BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXI
G
46
NAPOLI

46

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

TRIPLEX
BIBLICO-CRITICA
DEMONSTRATIO

In qua BIBLIA SACRA Vulgatæ Editionis Sixti V. juſſu recognita, & Clementis VIII. auctoritate edita non vitioſa demonſtratur, adeout ſit probatu difficile, vel unicum mendum in ea reperiri correctione dignum

ADVERSUS

NEOTERICOS CRITICOS HETERODOXOS

Dignitatem ejus fruſtra inſectantes elucubrata

AB ADM. REV. P.

F. BONAVENTURA A MAGDALONO

Lectore Emerito PP. Reformatorum S. FRANCISCI Provinciæ Neapolis, ac Scriptore Seraphici Ordinis.

TOMUS TERTIUS

NEAPOLI MDCCLXIV.

EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI

P. PETRO JOANNETIO

D E M O L I N A

Miniſtro Generali totius Ordinis Min. S. P. Franciſci &c. &c.

F. BONAVENTURA A MAGDALONO REFORMATÆ PROVINCIÆ NEAPOLIS.

I*N cujus potiſſimum nomine*, REVERENDISSIME PATER, *poſtremus hic Tomus qualiſcunque mei Operis apparere deberet haud mihi magnopere cogitandum fuit ; quoniam ſicut in Operum nuncupatione ejus cummaxime ratio haberi ſolet, qui poſſit & velit oblatum ſibi munus Patrocinii & Nominis ſplendore illuſtrare, a malevolorum linguis & morſibus vindicando ; ita nullius certe ratio mihi potius habenda fuit quam Tui, cujus ſi ſpectetur illuſtriſſima Majorum progenies, ex qua feliciter prodiiſti, aut ſapientia ſolertiſſimaque agendi ratio, qua magnalia operatus es, aut ſuprema noſtri Ordinis pro ſecunda vice accepta poteſtas, propter quam ceu virum ferme novum ac plene mirabilem Te Te*

Digitized by Google

exhibes, *nihil penitus occurrit quominus mentem animumque meum ad Te protinus hilariterque converterem: ratum habens*, *quod alias ad Temetipſum publice ſcripſit Vir ille doctrina & auctoritate ſua præclarus P. Carolus a Golleono*, In Te enim, *ajebat* (*a*), & ſtirpis nobiliſſimæ prærogativam & ſupremam Ordinis dignitatem, & virtutes omnes pulcherrimo ordine, ac miro prorſus modo collectas conſpicio. *Quum generis & Protavorum facinora vix per conniventiam noſtra æſtimentur*, *& plus perſonalium morum quam illuſtrium Genitorum ornet apud omnes Nobilitas*, *unde merito ſcriptum eſt:* Non Generis, ſed virtutum Nobilitas, vitæque honeſtas gratum Deō faciunt & idoneum ſervitorem (*b*)*: nihil propterea agam de Tua præclariſſima Joanniorum proſapia*, *quæ longa ſeculorum ſerie quot Filios*, *tot ferme in litteris*, *in armis*, *in ſenatibus*, *apud orientales plagas*, *& univerſam pene Europam Heroes habuit: maxime quod nec præconiorum materiæ*, *nec Veterum Recentiorumque laudatorum uſpiam copia defecerit*. *Aliorum itaque eſto facultas recolendi*, *ac magnis laudibus proſequendi Tuum Michaelem Juan in locum Zenonis Imperatoris e vivis ſublati*, *ſuffragantibus Imperii Electoribus ſummo cum plauſu ſuffectum*, *Tuum Sebaſtianum Juan*, *ejuſque Filium Petrum in Ducale Venetorum ſolium elevatos*, *Tuum Honoratum Joannium Caroli V. Imperatoris Aulicum Epiſcopum Oxonienſem*, *ac Caroli Filii Philippi II. Regis Catholici præceptorem*

(a) *In Epiſt. Dedicatoria operis poſthumi de Gratia Chriſti diligenter elaborati a Cl. Viro P. Fortunato a Brixia*, *cui P. Carolus fuit a ſtudiis fidiſſimuſque comes*, *quique in ampliſſimo munere a Secretis Reverendiſs. Mæcenatis ſubſtitutus loco præfati Fortunati præmatura morte perempti*.
(b) *Cap. Vener. 37. de Prabend.*

rem (a); teſtetur Regia Granatenſis Præfectura, Nobilitatem domus Joanniæ Tuis Genitoribus Patruiſque per rectam lineam hactenus derivatam (b); præcipiat inſuper Realis Supremus Caſtellæ Senatus, ut honores ac præeminentiæ, exceptioneſque in toto Hiſpaniarum Regno Joannetiis de Molina nullo tempore denegentur (c): id unum, miſſis aliis (d), cæteroquin obſervatione digniſſimum, ac nuſpiam interituræ memoriæ habeo ſuccincte commemorare, quod Illuſtriſſimæ Tuæ Gentis adeo fueris meliora chariſmata æmulatus, ut in Te ea centuplum germinans, centuplum fructum Tibi Tuiſque mirum in modum parturias. Heinc inſignis Majorum Tuorum Religio ceu ſemen generoſarum ſtirpium in Tuo feraci ſolo propagata & exculta, tam uberem profecit frugem, ut reclamantibus fruſtra blandimentis deliciarum Proſapiæ & florentiſſimæ ætatis, quibus fruebaris, lenociniis voluptatum & honorum ſeculi, quorum ingentis ſpei tyrocinia poſueras, ſumma alacritate contendiſti inter humiles Diſcalceatos Minores inſervire Chriſto ad hoc, ut quo per humilitatem arctius Te ei conjungeres, eo verius Nobilis ac divini Generis particeps efficereris. Heinc ſpectabilis illa adſcenſio quam in corde diſpoſuiſti in Te unum tanquam in faſciculum colligere, mirificeque ordinare avitam doctrinam, prudentiam, ſagacitatem, moderationem, juſtitiam, miſericordiam, æquitatem, fortitudinem, ſolertiam, magnanimitatem: in quibus adipiſcendis atque

 præ-

(a) *Hæc ex Baronio, ex Sanſovino, ex Kirchero eleganter deſcribuntur a laudato Golleono loc. cit.*

(b) *Hujuſmodi declaratio emanata fuit die XVI. Julii 1740.*

(c) *Acta ſunt iſta die XXVIII. Septem. 1740.*

(d) *De quibus diſerte Kircherus in ſuo Archetypo, & Golleonus in cit. Epiſt. Dedicatoria ad Mecœnatem.*

Digitized by Google

præſtandis detentus adeo & impenſe in diem proficiens, ut quantus futurus eſſes, quantumve ob id bonoris & gloriæ portenderes haud ſero animadverſum fuerit. Nihil itaque mirum, quod Urbs Valentiæ Te nondum ſacro Sacerdotali charactere inauguratum, ſpeciali Superiorum privilegio philoſophicis mox Theologicis Cathedris moderandis præeſſe viderit, itemque audiverit exquiſitum Oratorem ſæpe e ſuggeſtis concionantem, quod Valentina Diſcalceatorum familia ſelectiſſimum Legatum Te Romam miſerit, graviſſimorum negotiorum quibus tenebatur curam apud Apoſtolicam S. Sedem habiturum, quod Urbem Eccleſiaſtici Imperii ingreſſus tantam brevi apud Moderatores Ordinis, apud ampliſſimos Præſules, apud Purpuratos, ipſum quoque Pontificem Maximum Benedictum XIV. peculiarem æſtimationem Tibi conciliaveris, ut arduam ſuſceptamque provinciam proſpere feliciterque aggreſſus fueris, atque perfeceris; ut præter expectationem tam pretioſo Theſauro eandem Provinciam locupletem feceris, quanti valet nobile Cœnobium Sanctorum Quadraginta Martyrum, Romæ in ejus commodum Tuis curis a fundamentis extructum; ut tam bene proſpexeris perpetuo bonori & gloriæ Diſcalceatorum omnium, ut eorum Auctor S. Petrus de Alcantara inter ſtatuas ad majorem majeſtatem in venerabili Vaticana Baſilica erectas, Te quoque curante, evectus fuerit; ut in Comitiis Ordinis Generalibus in Templo Aracœlitano celebratis anno Jubilæi 1750., eodem SS. optimoque Pontifice Benedicto XIV. ſacra pompa præſente, præſidente, bilariterque approbante, necnon cunctis ordinibus geſtientibus ſupremam Ordinis Præfecturam obtinueris. Quid? licet admiratione iſta

non

non careant, ac avitam Tui generis egregiam indolem, honorificentiam, gloriam, majeſtatem, aliaque id genus auguſta inſignia, quibus ea perpetuo luxit, Te in Te comparaſſe quam vehementiſſime probent; quum vero eorum recordor animoque complector, quorum præter Te nullum ferme invenietur exemplum, Te talem profecto exhibes, ut ultra proſapiam, ultra fortunam, ultra Teipſum Te erexiſſe videaris. Quinquennio a præfatis Aracœlitanis Comitiis elapſo, ac de præſtita Tua regendi ratione plene inſtructus laudatus Pater a Golleono, utpote qui a ſecretis Tibi inſerviens eorum quæ contigerant, & diſpoſueras Teſtis oculatiſſimus, hæc inter cætera publice Te alloquens proferre non dubitavit: Teſtes omnes ampliſſimo Tuo Regimini ſubjecti, qui uno ore Tuam & in agendo prudentiam, & in præcipiendo ſuavitatem, & in corrigendo moderationem, & in audiendis omnibus manſuetudinem, & in expediendis negotiis celeritatem, æquitatemque deprædicantes, Te juſtitiæ vindicem, diſciplinæ inſtauratorem, Paſtorem vigilantiſſimum, ac Parentem optimum conclamant. *Elogium ſane quo Tuum ſpectabile gubernium ad perfectionis culmen validius ſubvehitur, eo vehementiores fucoſæ aſſentationis ſuſpiciones apud malevolos ſaltem comparare ſibi videtur, perinde quaſi Tuæ gratiæ aucupandæ ſtudio unice ex ſuo Auctore natum: eo ferme pacto quo vix paucis generatim cuncti Moderatores Supremi placeant, & quos etiam inter privatos Mundus ingenue coluit, eoſdem poſtea habenas moderantes plerumque odioſos habeat. O Te, exclamare hic licet, vel inter conſueta mundi diſcrimina, in quæ etiam fortuna optimi incidunt,*

fe-

felicem ! Fatum cui inhæres omnia vincit ; aliis Rectoribus eſto vix paucorum ſubditorum mulcere corda, Tuum eſt eos etiam, quos ſive increpes, ſive corrigas, ad Tuum conciliare amorem: quod ſane tanto ſplendidius cuique perſpectum fiet, quanto in duobus ſequentibus Comitiis Ordinis Generalibus ardentiori animi voluntate & pleniori electorum ſuffragio Regnum Tuum non novit finem. Si in Comitiis Murcianis an. 1756. *e ſupremo Generalatus ſolio deſcendiſti, haud conſcriptorum Vocalium tribuendum eſt voluntati, vel Tuæ qua non tam prompte hilarique vultu ad regendum antea conſcendiſti, quam quod regendi munus reſignaſti; ſed ei potiſſimum uniceque inviolabili Ordinis ſanctioni, qua ad ſervandam Ciſmontanos inter & Ultramontanos diſtributivam juſtitiam quoad Generalatum, nullo tempore nullaque ex cauſſa ab alternativa declinandum. Verum enim vero quum nulla prorſus talis juſtitiæ læſio erat vel in eiſdem Comitiis in Ultramontanorum Commiſſarium Te cooptari, aut in Mantuanis an.* 1762. *iterum Generalatum ſuſcipere, quiſne electorum Tecum non fuit, in Te oculos non conjecit, Te ſuffragio ſuo non vocavit, in Tuum non exarſit amorem? Quum primum Te nec cogitante paratos Mantuæ noviſti vocales, iterum in Generalatus gradum nova miraque methodo Te vocaturos, nihil utique ſtudii prætermiſiſti ad declinandum tam peregrinum honorem, verbo, & ſcripto coram omnibus Definitorii & Diſcretorii Generalium Patribus, opponens imbecillitatem, infirmitatem, conturbationem, duriſſimum quoque judicium corde recogitans, quod Tibi ſervatum erat, cruciatuſque terribiles Potentibus paratos & Fortibus: quod ſi*

hi-

biſce non obſtantibus eo vocalibus cunctis ex univerſo Orbe accerſitis jucundius fuit dictis factiſque Te iterum ſupremum habere Rectorem , quo Tibi ſoli reclamanti & inſiſtenti videbatur moleſtius , cuine vel micam rationis habenti non innoteſcet, in Te longe falli quod cæteris ſupremis Rectoribus commune eſt, eoſdem nimirum de ſubditorum ingenua gratia , ac reali adminiculo malemereri potius , gravi quoque notiſſimoque facto omnes Tuo ampliſſimo regimini ſubjectos, qui in Comitiis Mantuanis moraliter repræſentabantur, univerſo Orbi voluiſſe teſtatum illud penitus, quod a die 20. *Septemb.* 1755. *a P.Golleono deſcriptum fuit, quodque nuper retulimus, aureis certe ac uncialibus litteris in cunctis portis Tuis præfigendum? Parce interea Reverendiſſime Pater, ſi innata Tua modeſtia & verecundia, qua tales Tibi partas immortales laudes virgineo auſcultaſti rubore , quaſque fortaſſis apud eos ad quos pervenient pro more non deſines miris modis prævelare, plus æquo abuſus fuerim: ratus, non ſomniis hoc in themate me crediddiſſe, non emendicatis decipulis, non fallacibus conjecturis, non anilibus aſſentationibus; ſed factis, idque genus factis, quæ me aliiſque tacentibus ex ſe ſe obvia ſunt, ubique gentium pervulgata, & notiſſima. Nunc tandem ad Opus, cujus amantiſſimum patrocinium ſuſcipere dignatus es, necnon ad ejuſdem Operis Auctorem deveniens, id unum longitudinis fugiendæ ad pedes Tuos, qui Patriarchæ S. P. N. Franciſci vices quam digniſſime geris, humiliter provolutus, ſupplex commendabo. Quemadmodum ſcilicet ab illo Te ceteroquin digno mandato quo graviter monuiſti, ut Lectores Ordinis Theologicam facultatem non aliter exigant, quam ad normam*

Fi-

Fidei Catholicæ, Sanctorum PP. doctrinæ, Eccleſiæque ſanctionum, præcipiendo quoque in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut tutiores & probabiliores doceamus & ſectemur doctrinas (a), *nunquam vel per digitum tranſverſum, vel unguem latum me diſceſſiſſe arbitror; eo ferme pacto quo meam ſententiam (ajentem, in Bibliis a noſtro olim præclariſſimo ſodali, ac totius Eccleſiæ ſplendidiſſimo Capite, Optimo Parente, Doctiſſimo Magiſtro, ac ſemper recolendæ memoriæ Papa Sixto V. ſtudio vere pontificio recognitis, ac auctoritate eximii Clementis VIII. in lucem editis, nullum penitus reperiri mendum correctione dignum) primo potiſſimumque documentis Catholicæ Fidei, Sanctorum Patrum teſtimoniis, & Romanæ Eccleſiæ judiciis, depromere conatus ſum & pro virili firmare, unde præ oppoſita ſententia longe tutior videatur & probabilior* (b)*: ita Reverendiſsime Pater pro humanitate qua polles & benevolentia in omnes, ac præſertim in eos, qui de litteris pro virili mereri conantur, hoſce ampliſſimo Nomini Tuo nuncupatos utcunque labores haud pro ingratis, & indignis Te habiturum veriſimilius crediderim. Cura ut valeas, & Deus eſto propitius.*

Neapoli ex Conventu S. Crucis de Palatio in Feſto SS. Corporis Chriſti 1764.

CON-

(a) *Apud Litter. Circul. Reverendiſ. Mæcenatis Romæ ex Aracælitano editas* 4. *Octobr.* 1762.

(b) *Nonnullis noſtri ſeculi Sapientibus præjudiciis Novatorum abreptis, re haud penſiculate perpenſa, arriſit aliena potius fide ſpargere in vulgus, ſententiam cui adhæremus levioris eſſe momenti, vel alicujus probabilitatis; ſed quam longe a veritate, & a pietate iidem aberrent Opus appello, ſatis habens hic dicere, præfatos Sapientes maxime Orthodoxos non ſine gravi Apoſtolicarum conſtitutionum, aliorumque R. Eccleſiæ judiciorum contemptu poſſe nobis adverſari, ut potiſſimum videre eſt Cap. II. Demonſtr. III.*

CONSPECTUS TOMI III.

CAPUT VI.

De Tribus Corollariis primæ Biblico-Criticæ Demonſtrationis.

AD memoriam Corollaria revocantur, 515.
Corollarium I. Hodierni fontes Hebræi Veteris Teſt. Græcive novi minime ſunt authentici. Oppoſita propoſitio eſt radicale fundamentum Eccleſiæ Lutheranæ & Calvinianæ, 516. Nec res nec nomen authentiæ hodiernis fontibus quadrat, 517. Diſtinctio de Scripturis pertinentibus & non pertinentibus ad Fidem & mores pleraque præſefert incommoda, 518. 519. Nihil eſt in Scripturis, quod aut per ſe aut per accidens Fidem & mores non ſpectet, 520. Waltonus nititur ſuadere, menda hodiernorum fontium non obſtare authentiæ eorundem, 521. Sed perperam, 522. 523. Authentia Vulgatæ nullimode ſuffragatur authentiæ fontium, 524. Venditat verſiones omnes non eſſe proprie & per ſe authenticas, 525. Sed reſpectu verſionis Græcæ & Latinæ fallitur, 526. Ut apud Hebræos Textus Hebræus, apud Græcos Græcus, ita Latinus apud Latinos ſe habet ut originale, *ibid.* De mendis quæ impediunt authentiam, & de Theologis noſtris adverſariis, 527. 528.

Corollarium II. Hodierni fontes Hebræi veteris Græcive Novi Teſtamenti Vulgatæ Sixti V. & Clementis VIII. neque præferendi, neque coæquandi. Latina Eccleſia nuſpiam uſa eſt fontibus, ſed editione Latina, & credibilius mandato Apoſtolorum, 529. Principia quibus Latina editio fontes antecellit, 530. Noſtræ ſententiæ ſuffragantur Catarinus, Canus, Salmeron, Sixtus Senenſis, 531. Thomas Stapletonus, Gregorius de Valentia, Villalpandus, Pallavicinus, Joannes Morinus, Le Jay, 532. Joannes de La Haje,

Digitized by Google

Bonfrerius, Fraſſenus, Vincentius Gotti, Antonius Caſinus, 533. Waltoni jactantia, & nonnullorum inconſtantia, 534. Si Concilium non prætuliſſet Vulgatam fontibus Eccleſia veris Scripturis caruiſſet, 535. Hujuſmodi conſecutionem adverſarii impugnant, 536. Sed multipliciter expugnantur, 537. Magni faciunt ſimulque parvipendunt germanitatem alicujus lectionis aut voculæ, 538. Excepta Hieronymiana ætate Eccleſia Romana ſemper integras Scripturas licet diverſo modo apud Latinos codices habuit, 539. Cur Eccleſia in Miſſalibus interdum utatur lectionibus a Vulgata diſcrepantibus, 540. Objectantur Patres commendantes recurſum ad fontes, 541. Fit medela, 542. 543. Opponitur Caſſiodorus, 544. Sed nobis ſuffragante refragatur adverſariis, 545. Objiciuntur teſtimonia Salmeronis, Vegæ, 546. Sixti Senenſis, Bellarmini, Serarii, & Pallavicini, 547. Cur nonnulli nobis faveant, & adverſentur, 548. PP. Tridentini probe egerunt de fontibus, licet in decreto de ſolis Latinis codicibus loquantur, 549. 550. Utinam adverſarii Salmeroni adhærerent 551. Vegæ teſtimonium hoc in themate nullius ponderis, 552. Ex Sixto Senenſi nullum adverſarii emolumentum captant, 553. Perperam Senenſis nonnulla Vulgatæ loca pro mendis habuit, 554. Sicut & Hieronymum conſulto ea reliquiſſe, 555. Aliis ſcopulis offendit cum inconſtantiæ vitio, 556. Bellarminus, Serarius & Pallavicinus a vero aberrarunt deſuper decreto Tridentino, 557. Enudatur vera ſententia Hæreticorum criminantium Tridentinos ob antelationem Vulgatæ, 558. Pallavicinus in pleraque haud ſibi conſtantia hac in re incidit, 559.

Corollarium III. Vulgata Clementis minime per hodiernos fontes emendanda, ſed potius e contra. Hujuſmodi veritas ex ante liquatis de plano emanat, 560. Sententia oppoſita ſecum ducit Scripturarum confuſionem, 561. Hæretici propriam ſcabiem Catholicis tribuere conantur, 562. Sed incaſſum, ubi de ſubleſta eorundem Religione, 563. Theologi

Digitized by Google

logi ad lancem fontium Vulgatam caſtigantes a ſenſis Eccleſiæ aberrant, 564. Waltonus arguitur diſſimulationis & ineptiæ, 565. Veritatem primæ Demonſtrationis annulo ſignant Willalpandus, Stapletonus, Morinus, 566. Pallavicinus, Bonfrerius, Menochius, Joannes de La Haje, 567. Fraſſenus, Gotti, Antonius Caſinus, 568.

DEMONSTRATIO II.

Præludium ad ſecundam Demonſtrationem, 569.; quæque memoratur, 570.

CAPUT I.

De inviolabili integritate Hieronymianæ editionis.

Materiæ gravitas expoſtulat S. Hieronymi patrocinium, 571.

§. I. *Scitu neceſſaria præmittuntur.* Proteſtantes Hieronymianam criminantur erroribus, 572. Et ſine priorum Chriſtianorum exemplo, 573. Ad hoc ut concilient fontibus auctoritatem, 574. Ut oſtendant neceſſitatem critices, 575. Ut detrahant auctoritati PP. & Theologorum, 576. Ut in dirimendis rebus Fidei audiantur fontes, 577. Ut eliminetur locus Traditionis, 578. Ut commonſtrent Tridentinos erraſſe, 579. Quid de Theologis arbitrantibus Hieronymianam ſcatere vitiis, 580. Movetur quæſtio de Hieronymiana editione, non de obſervationibus Hieronymianis, 581. Diverſus in utriſque Hieronymi ſcopus, *ibid.* Diverſa auctoritas, 582. 583. Non ad morem Scriptoris canonici vel primorum Interpretum Spiritus S. aſtitit Hieronymo, 584. Textus Latinus pro divino habendus, *ibid.* Hieronymiana inchoative & in conſummatione, 585.

Digitized by Google

ASSERTIO.

Hieronymiana verſio in conſummatione edita nullum complexa fuit mendum correctione dignum.

§. II. *Probatur aſſertum ex Veterum teſtimoniis*. Ad rem facit regula Lirinenſis, 586. Proferuntur teſtimonia Auguſtini, 587. Ruffini, 588. Salviani, 589. Caſſiodori 590. Gregorii Magni & Iſidori, 591. Bedæ & Rabani Mauri, 592. Hugonis a S. Victore, 593. Teſtimonia Conciliorum, 594. Trithemii, Sixti V., Præfationis; unde increpatur adverſariorum contumacia, 595.

Spiſſum pervulgatumque Joannis Clerici objectum expenditur.

Quum ex æquo Veteres & nos habeamus oculos nil refert, quod Veteres linguarum imperiti magni fecerint Hieronymianam, 596. At Clericus agit ſimul Chriſtianum & Ethnicum, 597. Peſſime calumniatur Antiquitatem & DD. Pontificios, 598. Non licet Recentioribus revocare in dubium quod ab Antiquitate in rebus Fidei dictum eſt vel factum, 599. Face Traditionis ſcimus hanc & non aliam eſſe canonicam Scripturam, 600. Face Traditionis veteres dogmata Fidei conſtabilivere, 601. Hæreticorum mos ſemper fuit ſpernere auctoritatem ex traditione Veterum, 602. Et non ſine pravo conſilio, 603. Præſens quæſtio arctiſſime ad Fidem attinet, 604. Face Traditionis & Fidei Veteres probarunt Hieronymianam, 605. Clericus eorum quæ pueris Chriſtianis traduntur oblitus, 606. Suis ferme ſenſibus & verbis jugulatur, 607. Acuit calamum conſcribendis mendaciis, 608. Quomodo tendendum ad Fidei profectum, 609. Dedecet Chriſti diſcipulum Hieronymianam non venerari, 610.

§. III. *Conſolidatur aſſertio ex peculiari Spiritus Sancti aſſiſtentia, qua Hieronymus in ſua adornanda Verſione con-*

de-

Digitized by Google

decoratus fuit. Queis ardentibus crebriſque votis Hieronymus rite petierit Spiritus Sancti flamen, *611*. Pro ſua reverentia exauditus, *612*. Id a Veteribus ſatis agnitum, *613*. Et ab Eccleſia; ubi de Waltoni mendacio, *614*. Paritatibus Eſdræ, LXX. Seniorum, primi Latini interpretis, & ſummorum Pontificum ſuadetur aſſertio, *615*. Specimina quibus innoteſcit Græcam viralem in Spiritu S. editam, *616*. Quæ minime Hieronymo officiunt, *617*. *618*. Ideo Hieronymiana ab Eccleſia recepta quia divinitus adornata, *619*. Et a viro doctiſſimo ac mirificæ ſanctitatis, *620*. Sine Spiritus Sancti aſſiſtentia non editur codex Scripturarum authenticus, *621*. Conantur adverſarii removere a Hieronymiana titulum *Authentica*, *622*. Sed fruſtra, *623*. Obliquæ interpretationes Riccardi Simonii ſuper Trident. decretum percenſentur & refelluntur, *624*. *625*. *626*. Memoratur famoſa incantatio de Tridentinis probantibus Vulgatam in rebus tantum Fidei & morum, *627*. Eadem cantilena monumentis evertitur, *628*. Obtruſa ex mala intelligentia Vulgatæ, quam Concilium approbavit; ubi de Vulgata in ſe, & referta vitiis, *629*. Suppeditatur litteralis interpretatio Trid. decreti, *630*. Peculiarem Spiritus S. aſſiſtentiam in Hieronymo agnoſcunt Salmeron, Canus, Bellarminus, Morinus, *631*. De la Hay, Menochius, Dominicus Gravina, Fraſſenus, *632*.

§. IV. *Solemne objectum petitum ex copia mendorum &c.* Triplici potiſſimum via adverſarii tendunt ad ſcopum, *633*. Tabula I. lectionum & vocum, quas ipſemet Hieronymus caſtigat, utpote in maturiori ætate magis peritus, *634*. *635*. Tabula II. lectionum & vocum quas Hieronymus utpote deſtitutus neceſſariis præſidiis male ex Hebræo vertit, *636*. *637*. Tabula III. lectionum & vocum in quibus Hieronymus, ſine ulla ratione diſceſſit a primis interpretibus Græcis & Latinis *638*. *639*. *Reſpondetur ad Argumentum*, Perfunctorie & licenter adverſarii definiunt Hieronymianam ſcatere vitiis, *640*. Quum tot menda fabri-

bricant, ſua manifeſtant præjudicia, 641. Opponunt nobis ejusdem Hieronymi teſtimonia, 642. Sed tropologice & per ſimilitudinem intelligenda, 643. Palpabilis criticorum cæcutio, 644. Joannis Clerici deſipientia, 645. Variantes lectiones ab Eccleſia adoptatæ ſunt canonicæ, 646. Quod ſuadetur facto ejusdem Eccleſiæ, 647. Ex ſcopo Hieronymi, *ibid.* Ex Auguſtini doctrina 648.

§. V. *Diluuntur alia Recentiorum obiecta*. Teſtimonia probantia Hieronymianam complecti falſa & contradictoria, 649. Sed ab utraque calumnia vindicatur, 650. 651. Eraſmus ſuadens Spiritum S. Hieronymo non aſtitiſſe multipliciter taxatur 652. 653. Nec Hieronymo nec Hieronymianæ officiunt lectiones ex Hæreticis interpretibus acceptæ, 654. Cur Hieronymiana Auguſtino, aliiſque interdum non placuerit, 655. Hieronymus juſſu Damaſi verſionem utriusque Teſtamenti concinnavit, 656. Haud Hieronymus mutavit quod antiquitus legebatur; ubi de abſolute & relative mutandis, 657. 658.

CAPUT II.

De identitate, ſive convenientia Hieronymianæ verſionis cum hodierna Latina Editione.

Recentiores mentiuntur beneficium a Deo S. Eccleſiæ collatum 959.

§. I. *Primordia ad quæſtionem*. Novatoribus arriſit Hieronymo abiudicare hodiernam Editionem, 660. Quod quidem pravo fine, & mirabili inconſtantia, 661. Quo ſenſu præſens quæſtio excitetur, 662. 663. Hieronymus egit Interpretem, Correctorem, & Reviſorem, 664.

ASSERTIO.

Hodierna Latina Editio, ſive Biblia Sacra Vulgatæ edi-

editionis Sixti V. &c. eſt illa penitus eadem, quam Hieronymus in conſummatione edidit, & Eccleſia occidentalis approbavit.

§. II. *Hiſtoricum ſuppeditatur momentum, quo radicitus ſolidatur aſſertio, ſimulque primorum Novatorum profanitas profligatur.* Tria momenta, quibus Novatores confugiunt ad verſionem mixtam, 665. Ab obitu Hieronymi aduſque Gregorii Magni tempora ſola Hieronymiana erat in uſu, 666. Deſcribitur tempus in quo Hieronymiana vidit lucem, fuitque communiter recepta, 667. Dictis factiſque S. Gregorius refragatur denegantibus publicum uſum ſolius Hieronymianæ, 668. Poſt Gregorii tempora ſola Hieronymiana generaliter conſecrata, 669. Hiſtoria ſuborti rumoris ac ſubſecutæ mixtionis Editionum ad fabellas amandatur, *ibid.* & 670. Conatus Waltoni ſuadentis hodiernam Editionem eſſe imaginem non Hieronymianæ, ſed mixtæ, 671. Ex quo Editio hodierna pleraque exhibet accepta ex editionibus Virali, Aquilæ, Symmachi &c. perperam removetur a Hieronymo, fitque recurſus ad Editionem mixtam, 672. Veterum Traditione oſtenditur hodiernum Hebræum depravatum quoad loca quæ a Hieronymiana diſcrepant, *ibid.* Ejuſdem Hieronymi teſtimoniis convincuntur hallucinationes Waltoni, 673. Recapitulantur dicta, 674. Theologi qui denegant hodiernam Editionem eſſe ſolius Hieronymi, 675. Auctoritas ex privatis Doctoribus petita in rebus Fidei, alia apud Catholicos, alia apud Hæreticos, *ibid.* Præfationis teſtimonium, cui confidunt adverſarii, declaratur, 676. A quibus aliæ petendæ rationes, 677.

§. III. *Adverſariorum momenta ad trutinam revocantur.* Quod hodierna Editio in omnibus ſinguliſque Hieronymianam repræſentet difficile intellectu, 678. Sed omnem vincit difficultatem, qui inerrantiam Pontificiam præ oculis habet, 679. Quo ſenſu Veteres Hieronymianam appellant Verſionem ex Hebræo, 680. Hieronymiana a PP. Tridentinis probata fuit, 681. Abſurde Waltonus Hieronymo ab-

ju-

Digitized by Google

judicat Pſalterium hodiernæ Editionis, 682. Quater Hieronymus in Pſalterio laboravit, 683. Fallaces conjecturæ Recentiorum abjudicantium Hieronymo hodiernum Librum Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum, 684. De præfatiunculis quas Hieronymus Libris Scripturarum præfixit, *ibid.* Quo ſenſu nonnullos Libros apocryphos nominavit, 685. Nihil officit quod B. Cyprianus nonnulla citet de Libro Sapientiæ, Eccleſiaſtici &c. eo prorſus modo ac hodie legimus, 686. 687. Quare hodierna Editio quoad Librum Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum magis reſpondeat veteri Italæ, 688. Grave præjudicium hac noſtra ætate obtruſum, unde deſideratur Lector circumſpectus, 689. Hieronymiana præfatio quatuor Evangeliorum attinet quoque ad integrum Novum Teſtamentum, 690. Specimina eorunr quæ Hieronymus emendavit apud novum Teſtamentum, 691. Integrum novum Teſtamentum Hieronymus emendavit, 692. Opponitur diſcrepantia Vulgatæ hodiernæ a Hieronymiana exiſtente apud Hieronymi opera, 693. Sed id unice natum ab eiſdem Hieronymi Editoribus, 694. Minus exacte Hieronymi Pſalteria ab eiſdem edita, 695. Falſum Martianæi circa editionem Hieronymiani canonis, 696. Corollaria primæ Demonſtrationis ex ſecunda etiam peti poſſunt 697.

DEMONSTRATIO III.

Prava Hæreticorum hoc in themate machinamenta; 698. Exponitur tertia Demonſtratio cum iis, de quibus ſermo inſtituetur, 699.

CA-

CAPUT I.

De privilegio Romanæ Eccleſiæ haud errandi in deligendis & declarandis Scripturis genuinis atque canonicis.

Cauſſæ quæ nos cogunt ad differendum de generali inerrantia Romanæ Eccleſiæ in rebus Fidei, 700.

§. I. *Privilegium R. Eccleſiæ in definiendis infallibiliter, & irreformabiliter cunctis rebus ſpectantibus ad Fidem & mores ſummatim vindicatur ab Hæreticorum oblocutionibus.* Pro eodem uſurpamus Sedem Apoſtolicam & Papam, ubi quid ſit loqui ex Cathedra, 701. Hæreticorum commenta quibus evertunt primatum & inerrantiam Romani Paſtoris, 702. Permulti ſelectiſſimi Veteres in patrocinium Romanæ inerrantiæ vocantur, 703. Adiiciuntur teſtimonia Irenæi, Tertulliani, Origenis, Cypriani, Nazianzeni, & Ruffini, 704. Hieronymi, Auguſtini, & Bernardi, 705. Principia quibus ſolidatur Pontificia inerrantia, 706. Ex quibus colligitur apud Veteres perſuaſum, nullum Romanum Pontificem deviaſſe a Fide, 707. Pontifices qui variarum hæreſum a Novatoribus inſimulantur, 708. Sed temere & ſtudio terrendi minus cautos, *ibid.* Apud recentiores Dogmatiſtas viget profanitas de fallibilitate Romani Paſtoris, omnibus ferme Epiſcopis in oppoſitum euntibus, 709.

§. II. *Summatim exponitur germana ſententia Eccleſiæ Gallicanæ circa privilegium infallibilitatis, quo Romana Eccleſia in rebus Fidei dirimendis fruitur: ubi etiam de Gallorum Janſenianorum pravitate.* Quanti facienda auctoritas Gallicanæ Ecclesiæ, 710. A Janſenianis exagitatur, *ibid.* Principia quibus Janſeniani ad inerrantiam decreti Pontificii expoſtulant Concilium generale, 711. Brevi oratione obiterque refelluntur, *ibid.* Pugnant cum aliis eorundem Janſenianorum principiis, 712. Ex ipſo Janſenianorum facto patet cujus ſint indolis atque criterii, 713. Graviſſima eorundem hallucinatio, *ibid.* Studium affundendi tenebras

veritati eosdem excitavit plerisque evulgandis captioſis dicteriis, 714. Sed eo magis inexcuſabiliter, *ibid.* Privilegium Pontificiæ inerrantiæ perſuaſum veteri Gallicanæ Eccleſiæ; ubi etiam de ſpectabili munificentia ejusdem Eccleſiæ erga RR. Pontifices, 715. Eo vetus Gallicana Eccleſia a ſententia Pontificiæ errantiæ aliena, quo inter Eccleſias orthodoxas magis illuxit, 716. Obſequioſa conſtitutionibus Urbani VIII. prohibentis Librum Janſenii, 717. Innocentii X. damnantis quinque Janſenii propoſitiones, 718. Alexandri VII. intercludentis Janſenianorum perfugia, 719. Et proponentis formulam Fidei ab omnibus ſubſcribendam, 720. Spectabile zelum S. Facultatis Pariſienſis adverſus oſores Pontificiæ infallibilitatis, 721. Laudabile ſtudium Cleri Gallicani circa improbatum a Clemente XI. obſequioſum ſilentium; ubi de famoſo conſcientiæ caſu, 722. Bullæ *Unigenitus* Clerus Gallicanus lætanter obſequitur, 723. Solemniter eandem agnoſcit S. Facultas, 724. Ejusdem Bullæ irrefragabilem auctoritatem publicis ſcriptis a Janſenianis vindicant Gallicani Cardinales; ubi de Em. Noallio, 725. De Gallorum Antiſtitum doctrina & conſtantia gratulatur Benedictus XIV., 726. Janſeniani per calumniam Eccleſiæ Gallicanæ ſuos errores præfigunt, 727. Eccleſia Gallicana iis etiam Pontificiis conſtitutionibus religioſe acquievit, quibus ipſius petitio non præceſſit, 728. Ad acceptationem litterarum Apoſtolicarum requiritur conſenſus Eccleſiæ, ſed non ille quem Janſeniani flagitant, 729. Longe aberrant qui ſententiam Eccleſiæ Gallicanæ colligunt ex declaratione conventus Gallicani 19. Mart. 1682., 730. Præfata declaratio opponitur præcedentibus & poſterioribus decretis Gallicanis, 731. Opus inſcriptum, *Defenſio Declar. cleri Gallic.* haud Boſſuetio Meldentium tribuendum, 732. Verus Boſſuet nullum agnoſcit Pontificem in errorem lapſum, 733. Cur de ſententia Gallicanæ Eccleſiæ ſermo excreverit, 734.

AS-

ASSERTIO.

Romana Eccleſia privilegium habet haud errandi in deligendis & declarandis Scripturis genuinis atque canonicis.

§. III. *Triplici via aſſertio ſuadetur*. In veteri lege ſummi Sacerdotis erat tradere & interpretari Scripturas, 735. Ut patet in Moſe qui fuit etiam ſummus Sacerdos, 736. Sacerdotes ſummi non minores irrefragabiliter dubia dirimebant, ubi de famoſa Novatorum cavillatione, 737. Reſtaurantur dicta, 738. S. Petrus independenter a Concilio canonicas declaravit Paulinas Epiſtolas, 739. Gelaſius ſegregavit Libros canonicos a non canonicis, ubi de veritate Gelaſiani decreti, 740. Sixtus V. perpolivit Vulgatam a vitiis ex explorata ſententia quod ad Papam id pertineat, 741. Quod ſcripturæ Teſtimoniis ſignificat, 742. Ex humana diligentia a Sixto V. adhibita perperam infertur, eundem ſine Spiritus S. flatu Biblia recognoviſſe, 743. Quod in Bibliis recognitis legitur, totum a Sixto V. delectum, 744. Oportet ut in medio ſtatuatur infallibilis hujus controverſiæ Judex, 745. Qui minime eſt ſpiritus privatus, 746. Neque ipſa Scriptura corroborata regulis ſacræ Critices, 747. Neque Eccleſia ad mentem Janſenianorum, 748. Sed Romanus Pontifex, *ibid.* & 749.

§. IV. *Perpenduntur adverſariorum objecta*. Quomodo Papa & Eccleſia ſunt nobis idonei Scripturarum Teſtes, 750. *& ſeqq.* Teſtimonium Pontificis & Eccleſiæ non in Scripturam, ſed in Scripturæ germanitatem cadit, 751. Secus juxta Novatorum ſyſtema, *ibid.* Non Catholici ſed Proteſtantes rotant in famoſum argumentationis circulum, 752. Eccleſia dependenter a R. Pontifice judicare habet de Scripturis, 753. Cur Auguſtinus & Concilium Trid. Eccleſiam & non R. Pontificem appellant, 754. Teſtimonium humanum cui Pontifex inhæret nullimode infirmat ejuſdem inerrantiam, 755. Primo potiſſimumque innititur Spiritus S.

Digitized by Google

aſſiſtentia, 756. Declaratio Bibliorum recognitorum pertinet ad factum dogmaticum, 757. Pontificia infallibilitas non ſpectat ad fidei articulum, 758. Quod ſententia de Pontificia infallibilitate ſit futilis damnatum eſt; ubi de Janſenianorum pravitate, 759. Dedecet Orthodoxum inficiari infallibilitatem Pontificiam, 760.

CAPUT II.

Quid in hoc capite ſuſcipiatur diſcutiendum, 761.

§. I. *Prælocutiones ad futuram aſſertionem*. Biblia Sixtina Romæ impreſſa ann. 1590. ſunt opus ejusdem Sixti V. 762. Mendorum autem quibus illa ſcatent, quorumque nonnulla percenſentur minime Sixtus Auctor fuit, 763. Repugnante rerum geſtarum ordine coniicitur, Sixtum proprios agnoviſſe lapſus 764. & 765. Adcuratiſſimum Sixti V. ſtudium & tempus quod inſumpſit elucubrando exemplo originali Bibliorum recognitorum, *ibid.* Præfata menda unice prælo tribuenda, 766. Irrepſerant menda vitio Typographorum, & aliorum, 767. Ab impoſturis Sixtini Amamæ vindicatur Papa Sixtus, 768. Vulgare præjudicium Eruditorum arbitrantium Biblia Clementina in pleriſque diſcriminari a Sixtinis, 769. Refelluntur fallaces conjecturæ, quibus oſcitanter iidem credunt, non diſtinguentes exemplar Sixtinum impreſſum ab originali, 770. Quid præſtiterint Romani correctores ſub Gregorio XIV. & Clemente VIII. 771. Ipſamet inſcriptio Bibliorum Clementinorum rem enudat, 772. Opponitur teſtimonium Bellarmini ex Commentariolo ſuæ vitæ, 773. Sed noſtræ hypotheſi impenſe favet, 774. Nullum Bellarminus agnoſcit mendum apud exemplar originale Sixtinum, 775.

ASSERTIO.

Romana Eccleſia delegit & declaravit tanquam ſinceram canonicamque Scripturam quoad omnes & ſingulas

par-

Digitized by Google

particulas Bibliam Sacram Vulgatæ Editionis Sixti V. juſſu recognitam, & Clementis VIII. auctoritate editam.

§. II. *Proferuntur aſſertionis monumenta, ſimulque vindicantur ab adverſariorum cavillis*. Sixtus V. declarat Biblia recognita habenda pro authenticis quoad omnes ſingulaſque particulas, 776. Et omnibus quidem ſolemnitatibus ex Cathedra proferri ſolitis, ſola clauſula publicationis deficiente, 777. Nec refert, quod in præfato Diplomate non fiat mentio omnium & ſingularum particularum, habeatur *prout fieri potuit*, & quoad Miſſalia &c., 778. Clemens VIII. quoad authentiam Bibliorum recognitorum per omnia probavit & perfecit quod Sixtus intenderat, 779. Eximuntur Lapilli adverſariorum contorquentium diploma Clementis, & Præfationem, 780. Rationibus quoque Theologicis ſuadetur aſſertio, 781. Accedit tandem teſtimonium Clementis XI. in Bulla *Unigenitus*, 782.

§. III. *Infirmantur poſtremi famoſiores adverſariorum niſus*. Negotium Scripturarum rite deligendarum ſine Spiritus S. aſſiſtentia eſt operis metaphyſice impoſſibilis, 783. Spectatis ſententiis Præfationis, Sixti V., Clementis VIII., perpetuoque R. Eccleſiæ judicio Biblia recognita abſolute habenda ſunt pro expurgatis, 784. Adverſarii quum ſapientiores videri volunt nullius ſyſtematis eſſe convincuntur, 785. Quatuor proferuntur eorundem incantationes, 786. Cur relative mutanda conſulto immutata relicta ſunt; ubi de mendis typographicis, & divinitate noſtrorum Bibliorum, 787. Eadem canonica ſunt etiam quoad diſtributionem capitulorum & verſuum, 788. Exponuntur relationes Lucæ Brugenſis, & Serarii, 789. Sed ſuſpectæ ſunt fidei; ubi de Diſſertatione Bellarmino ſuppoſita, 790. Præjudicia Brugenſis & Serarii funditus convelluntur, 791. Qui tenent in Bibliis recognitis ſupereſſe menda corrigenda, minime inter Hæreticos, aut Excommunicatos computandi, ſed reſiſtunt R. Eccleſiæ judiciis, 792. Cur iidem nulla hactenus cenſura notati, 793. S. R. Eccleſiæ pietas & auctoritas, *ibid.*

CA-

Digitized by Google

CATALOGUS

Auctorum qui aliis in hoc Tomo acceſſerunt.

Berninus (Dominicus) in Hiſt. Hæreſ. edition. Venet. 1745.

Boſſuet ementiti Defenſio declarationis Cleri Gallicani, edit. Baſileæ 1730.

Boſſuet Meldenſium Serm. ad Clerum Gallican. edit. Pariſ. 1682. obiit 12. Aprilis 1704.

Caſſiodorus (Aurelius) edit. Pariſ. 1588. fatis ceſſit circa an. 562.

Ciacconius de Vit. RR. Pontif. edit. Romanæ 1630. vitam finivit 1599.

Defenſio auctoritatis pontificiæ ex doctrina Gallicanæ Eccleſiæ edit. Leodii 1747.

Hugo a S. Victore edit. Mogunt. 1617. lumina clauſit 1137.

Jacobus Hyacinthus Serry in Prælect. Teolog. edit. Venet. 1742.

Iſtoria della Coſtituzione *Unigenitus* di Monſ. Franceſco Lafiteau edit. Colon. 1757.

Lucas Waddingus de Scriptoribus Ord. Min. edit. Romanæ 1650. poſtremum diem vidit 1655.

Relatio Emin. Caroli Cavalchini in cauſſa V. Bellarmini edit. Rom. 1753.

Ruffinus Aquilejenſis edit. Pariſ. 1580. e vita diſceſſit circiter 410.

Salvianus Maſſilienſis edit. Venet. 1728. obdormivit circa an. 484.

Tournely (Honoratus) de Gratia Chriſti edit. Venet. 1736. occubuit 26. Decem. 1729.

Traitè de la Puiſſance edit. 1607. Dupino tributus; qui obiit 6. Junii 1719.

Vincentius Lirinenſis in Commonit. edit. Venet. 1728. requievit circa 450. AP-

APPROBATIONES ORDINIS.

MAndatis Reverendiſſimi Patris Paſchalis a Variſio Commiſſarii Generalis totius Ciſmontanæ Familiæ Fratrum Minorum morem humiliter gerens, Tertium Tomum Operis, cui titulus: *Triplex Biblico-Critica Demonſtratio, in qua Biblia S. Vulgatæ editionis Sixti V. juſſu recognita, & Clementis VIII. auctoritate edita non vitioſa demonſtratur &c. ab A. R. P. Bonaventura Setaro a Magdalono Reformatæ Provinciæ Terræ Laboris Lectore Emerito, ac Ordinis Scriptore elaboratum* diligenter, accurate, & delectatione maxima perlegi. Quum argumentum præſenti tempeſtate utiliſſimum, quod Sapientiſſimus Auctor pertractandum ſuſcepit, nedum ſolida, & clara methodo pertractet, ſed Neotericos, & acriores Hebraiſtas invicte refellat, ſicut omnibus numeris in I., & II. Tomo eſt conſequutus; teſtorque nihil in eo inveniſſe, quod Catholicæ Fidei contrarium ſit, vel bonis moribus. Unde ut opus abſolutiſſimum dignum cenſeo typis mandandum, ſi ita iis, quorum intereſt, videbitur.

Datum Neapoli in Regali Conventu S. Crucis de Palatio die 12. Septembris anno 1763.

Fr. Alexius a Neapoli Lector Emeritus, ac Exdeff. Generalis.

MAndatis ea qua par erat obedientia, obtemperans Reverendiſs. in Chriſto Patris, Patris Paſchalis a Variſio Commiſſarii Generalis totius Ciſmontanæ Familiæ Ordinis Minorum S. Franciſci Aſſiſien: librum cui titulus eſt: *Triplex Biblico-Critica demonſtratio Tom. III. ab A. R. Patre Bonaventura Setaro a Magdalono Reformatæ Provinciæ Terræ Laboris Lectore Emerito, ac Scriptore Seraphici Ordinis elaboratum*, omni, qua potui animi attentione legi, perlegi, atque examinavi; & vere deprehendi Sapientiſſimum Auctorem, ſingulari eruditione, atque rationum ſoliditate penitus, radicituſque evelliſſe in hoc tertio Tomo futilem, inanem, atque omni ex capite inſubſiſtentem hypo heſim omnium Neotericorum injuſte contendentium: *In Vulgata Clementis ſupereſſe menda ad fidem hodiernorum Fontium corrigenda*: Quemadmodum in I., & II. Tom. feliciter, & cum univerſali plauſu eſt executus. Omnia, quæ in hoc tertio volumine continentur, ſuperabunde reſpondere in I., & II. Tom. ab Auctore promiſſis inveni: nihilque in toto opere perlegi, quod Fidei noſtræ dogmatibus adverſetur, vel Sanctis Eccleſiæ moribus diſſonum ſit. Hinc tantam reor eſſe hujus operis dignitatem, atque utilitatem pro tuendis Sanctæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ Matris Eccleſiæ dogmatibus, præſertim hac noſtra tempeſtate, ut nihil ſit, quod ejus Editionem retardare valeat; quin potius crediderim futurum fore, ut Typis excuſum, & ab Æquiſſimis rerum æſtimatoribus perlectum ſtudioſæ juventuti revolvendum commendetur. Si ita quoque videbitur iis, ad quos ſpectat &c.

Datum Salerni in Conventu S. Laurentii die 17. Septembris 1763.

Fr. Silveſter Maria ab Amalphi S. Theologiæ Lector Emeritus, & Exdefinitor Generalis.

Digitized by Google

Fr. Paſchalis a Variſio Ordinis Minorum S. P. Franciſci Lector Emeritus, Concionator Generalis, & in hac Ciſmontana Familia tam Obſervantium, quam Reformatorum, & Conceptioniſtarum Commiſſarius Generalis, Viſitator, ac Reformator Apoſtolicus, & in Domino Servus.

CUm juxta Apoſtolicas noſtrique Ordinis Conſtitutiones de mandato noſtro idonei Cenſores opus quoddam a R. P. F. Bonaventura a Magdalono noſtræ Reformatæ Provinciæ Terræ Laboris Lectore Emerito, ex-Definitore, noſtrique Ordinis Scriptore elaboratum, cui Titulus eſt: *Triplex Biblico-Critica Demonſtratio. Tom. III.* recognoverint, illudque ab ipſis reviſum, & approbatum fuerit: Nos præſentium tenore, ad Salutaris Obedientiæ meritum facultatem facimus, quatenus, ſervatis de reliquo ſervandis, idipſum Typis mandare poſſit, & valeat.

Datum Romæ ex noſtro Aracælitano Cœnobio die 28. Septembris 1763.

Fr. Paſchalis a Variſio Commiſſarius Generalis.

Reg.

De Mandato Reverendiſſ. in Chriſto Patris
Fr. Carolus Antonius a Samoclevo Secretarius Generalis.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De tribus Corollariis primæ Demonſtrationis.

515. TEmpus eſt, ut vela primæ Demonſtrationis tot diſcordibus ex Oriente & ex Aquilone fremebundis ventis, quinque ſuperioribus capitibus inflata & turgefacta, tandem contrahamus. Ei profecto, cui ſtudio fuit ſedulam operam dare, quæ hactenus pro noſtro modulo enucleavimus, compertum eſſe debet *primo*, fontes hodiernos Hebræi Veteris Teſt. Græcive Novi ex eo jam tempore authentiam amiſiſſe, quo cœperunt ab hoſtibus fidei depravari & turbide fluere; *ſecundo*, eoſdem Originarios neque præferendos neque coæquandos vulgatæ Latinæ veteri, quam Concilium Tridentinum authenticam declaravit, & S. Sedes a mendis quæ irrepſerant perpolitam edidit; *tertio*, ad ſtateram hujuſmodi Vulgatæ eoſdem fontes in omnibus & quoad omnia fore emendandos. Verum quum ad hæc tria potiſſimum redigatur, & reſolvatur quidquid ſuſceptum noſtrum diſerte tangit, propter quod Waltonus majori qua potuit diligentia ſtuduit eiſdem extenuandis & refellendis, haud

Digitized by Google

abs re futurum eſſe duco eadem peculiari ſermone ſuadere, & reſtaurare.

COROLLARIUM I.

Hodierni fontes Hebræi Veteris Teſt. Græcive Novi minime ſunt authentici.

516. Hujuſmodi noſtram propoſitionem Lutherani & Calviniſtæ pro infeſta habent & moleſta, utpote quæ ex diametro contraria radicali fundamento ſuæ Reformatæ Religionis: *Noſtræ*, ita Witakerus (*a*), *Eccleſiæ Anglicanæ Calvinianæ Hebraicam Veteris, & Græcam Novi Teſtamenti eſſe ſinceram & authenticam ſentiunt*. Sixtinus Amama (*b*): *Textum Hebræum in Veteri, Græcum in Novo Teſtamento eſſe authenticas fidei Chriſtianæ tabulas, apud noſtros in confeſſo eſt. Hoc fuit REFORMATIONIS FUNDAMENTUM; pro hac theſi primi Proteſtantium Theologi tactis animis decertarunt*. Waltonus (*c*): *Sententia itaque noſtra eſt: Textus Hebraicos Veteris, & Græcos Novi Teſtamenti ſemper fuiſſe, & adhuc eſſe authenticos, ad quos omnes de fide & Religione controverſiæ omneſque verſiones probari, & examinari debent*. Quare egregius Joan. Morinus, prætermiſſis aliis viris Catholicis, quos alias (*d*) laudavimus, initio ſuarum Exercitationum hæc præſentat: *De Originario & authentico Textu* (Neoterici Hæretici) *gloriantur: Græcos Hebræoſque codices oſtentant, iſtos ſolos ut ſinceros apud gregales venditant; Latinos vero nihil penſi habent, ut putidum fungum averſantur, & conviciis quibuslibet onerant. Jam vero glorioſulæ oſtentationis rationem ſi poſtulentur, ni-*

hil

(a) *Apud P. Dominic. Gravin. Lib. IV. Cathol. Præſcript. Controv. IV. p.* 258. *col.* 2.

(b) *In Antibarb. Biblico p.* 125.

(c) *Proleg. VII.* §. 17. *p.* 284. *col.* 2.

(d) *Cap.* 1. *n.* 5. *&* ſeqq.

Digitized by Google

hil aliud quod oſtentent occurrit , *præter Originarii & authentici Textus gloriationem*. Et ſane , ſi conditores Proteſtantium pro authentia Originalium non acriter propugnaſſent , minime viam ſibi ſtraviſſent ad tot laxa perfugia , quibus palliarunt & palliant ſuam impudentem receſſionem ab obedientia Romanæ Sedis , abſque eo quod chriſtiano nomini renuntiaverint. Verum enim vero ex Scripturarum auctoritate, quam profitentur, diſtant ab Ethnicis, qui Scripturas explodunt ; inſuper quum non modo Teſtamento Veteri inhæreant, ſed etiam Novo, confitentes Unigenitum Dei filium in mundum veniſſe, utentes quoque Baptiſmatis remedio , diſtinguuntur a Judæis , verique ſunt Chriſtiani ; quum tandem omnia pene ſua dogmata, ſive cuncta ſubterfugia, quibus ſuas protegunt hæreſes, ultimate reſolvantur ad hujuſmodi cantilenam : *Hodierni Originarii Hebræi Vet. Teſtam. Græcive Novi ſinceri ſunt, & authentici* (*a*), per id ſane primo & ultimate conſtituuntur in eſſe Lutheranorum & Calviniſtarum, necnon diſtinguuntur a Gentilibus, Circumciſis, & a Romano-Catholicis juxta il-

(a) *Hoc quippe falſiſſimo principio nixi* ; primo , *odio habent Textum Latinum , & detrahunt Patribus Tridentinis quaſi errarint probando Vulgatam veterem in multis diſcordantem ab hodiernis Originariis* ; ſecundo , *denegant ſupremam poteſtatem Romanæ ſedis , Romanique Paſtoris , & Conciliorum tanquam emendicatam ex teſtimoniis acceptis non quidem ex Originariis , ſed ex Vulgata Latina* ; tertio , *inficiantur liberum arbitrium Miſſam , Purgatorium , Limbum , meritum congrui & condigni , orationem Sanctorum , cultum SS. imaginum , aliaque id genus multa , ut ex eodem Sixtino Amama apud n.483.* ; quarto , *ludibrio habent Traditionem veterum , utpote qui linguarum , & regularum critices minime gnari , & allegoriis aucupandis maxime intenti , jactantes quoque , quod ſicut a Patribus & ſequentibus Doctoribus ſcholaſticis , uno vel altero excepto abfuit peritia Hebraicæ , ita in multis iidem hallucinati ſunt , aquas turbidas haurientes ex fæculento rivulo Latinæ verſionis , ſicque haud eorundem Traditioni fidendum* ; tandem , *ut alia miſſa faciam , concludunt : Si hodierni Originarii Textus ſinceri ſunt & authentici , unice ad normam iſtorum , & a viris Linguarum peritis reſecandæ ſunt omnes controverſiæ fidei & morum , non autem Textus Latini & a Romano Pontifice aliiſque Eccleſiæ miniſtris , quibus ordinarie neque Hebræum abecedarium innoteſcit , atque ita indiſpoſiti ad aſſequendam rectam ſanctarum Scripturarum intelligentiam.*

Digitized by Google

lud philoſophicum adagium : *principium conſtitutivum eſt etiam diſtinctivum*. Quo præfato,

517. *Probatur aſſertum*. Adverſarii potiſſimum argumentantur authentiam hodiernorum Originalium ex integritate, quam eiſdem tribuunt, ſtatuentes, eoſdem fideliter convenire cum ipſis Autographis Prophetarum & Apoſtolorum; ſed ex capite primo & ſecundo hujus demonſtrationis abunde conſtat ingentibus corruptelis ſcatere, & permultis in locis ab Autographis diſcordare; ergo hodierni Originarii Hebræi Vet. Teſtam. Græcive novi minime ſunt authentici, & conſequenter haud ad normam iſtorum controverſiæ fidei & morum reſecandæ ſunt. *Præterea*, hanc vocem *Authenticum*, Waltono quoque teſtante, Theologi mutuo acceperunt a Juriſperitis; ſi hoſce conſuluerimus, celeberrimus Juriſconſultus Andreas Alciatus rationem reddens, cur Latina translatio novellarum Juſtiniani citaretur nomine *Authentica*, fert (a): *Accurſius* (quem coævi adpellabant Idolum Juriſprudentiæ) *ideo Authenticam appellavit, quoniam ex ipſo Græco Originali ad litteram traducta eſſet*: ad hoc itaque ut inſtrumentum aliquod authenticum cenſeatur, neceſſario requiritur, ut ad litteram cum ſuo originali concordet; atqui hodierni Originarii non modo quoad litteram, ſed multoties quoad ſenſum & notabiliſſimas partes diſcordant ab Autographis Apoſtolorum & Prophetarum, ut cuique datum eſt eruere affatim ex nuper citatis Capitibus, ergo &c. *Tertio*, hujuſmodi vox *Authenticum* ſecundum Julianum Juriſconſultum, Tractat. de Fide Inſtrument. ab eodem Waltono laudatum, ſignificat *ſcriptum aliquod quod ex ſe fidem facit in judicio, & ſupremæ eſt auctoritatis, ut a nullo rejici vel in quæſtionem vocari debeat*: quum itaque a primis Eccleſiæ ſeculis non ſolum emerſerit dubitatio circa fidem & ſinceritatem fontium,

(a). *Lib. XI. Parergon Cap. XVI., cujus fragmentum extat præfixum Codici* Authenticæ *edition. Venet. apud Juntas an.* 1621.

Digitized by Google

tium, ſed conceptis verbis Eccleſiæ proceres Juſtinus, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Hieronymus, aliique (*a*) pro corruptis habuerint, eorundemque corruptelas propalarint, plane ex eo jam tempore priſtinam fidem & auctoritatem amiſerunt. Si enim ſola dubitatio de germanitate alicujus inſtrumenti ſat eſt, ad mentem Juliani, ut fidem non faciat & jure merito rejiciatur, quid dicemus de originariis Bibliorum, de quorum fide veteres non tantum dubitarunt, ſed ocularibus ſpeciminibus eorundem depravationem convicerunt? quid dicemus de Originariis hodiernis longe amplius ſtudio Maſoretharum & recentiorum Hæreticorum conſtupratis & conſpurcatis, adeo ut in multis diſcrepent etiam ab exemplaribus, quorum Hieronymus aliique veteres habuere uſum (*b*)? quid dicemus quum neque & ipſimet adverſarii contenti ſint codicibus illorum Originalium, quos anteriores critici ediderunt, qua de cauſſa unuſquiſque novis editionibus incubuit, pro ſuo arbitrio addendo, detrahendo, immutando, & pervertendo (*c*)? ſi nullus videtur locus eſſe Originalium, de cujus interpretatione ipſimet Critici non dubitent & non diſſentiant (*d*), quomodo Originariis hodiernis convenient conditiones inſtrumenti authentici, nimirum *a nullo rejici vel in quæſtionem vocari debeat*? neminem ſane æquum judicem inveniri poſſe crediderim, qui inſtrumentum tot dubiis, litigiis, & criminationibus eventilatum, pro authentico adoptare vellet in ſuo Tribunali, & ad fidem iſtius ſubortas lites definire.

518. *Inſtabis primo*. Quemadmodum hodierni Originarii in rebus tantum fidei & morum immunes ſunt ab omni præcogitata corruptione, ita in rebus tantum fidei & morum ſunt authentici.

Con-

(a) *Quorum teſtimonia habes Cap. I. §. II. & Cap. II. §. II.*
(b) *Vid. num.* 455. & 470.
(c) *Vid. num.* 464. & 468.
(d) *Ut oſtendimus num.* 450.

Digitized by Google

Contra I. Hujuſmodi inſtantia eſt merum effugium a gregalibus Proteſtantium adinventum, quo non tantum confidunt vitare incommodum confuſionis Scripturarum, ſed & nuper prolatum argumentum cum aliis multis conſectariis noſtris flocci facere & illudere; quod ut manibus palpes, præter ea quibus oſtendimus num. 77. & ſeqq. hodiernos Originarios etiam in rebus fidei & morum ſcatere vitiis: quæ modo exponam, ſedulo velim accipias & revolvas. Teſtimonio ipſorum Criticorum conſtat, permulta Scripturæ oracula aliter legi in Originariis, aliter in Textu Latino: inter ſexcenta quinque celebriora ſeligam. Geneſeos Cap. 1. v. 6. Hebræus legit, *Fiat liquidum* ſive *expanſum*; Vulgata habet, *Fiat Firmamentum*. Geneſ. III. ver. 15. Hebræus, *Ipſe conteret*; Vulgata, *Ipſa conteret*. Geneſ. VIII. v. 7. Hebræus, *Exiit egrediendo & redeundo*; Vulgata, *Egrediebatur & non revertebatur*. Geneſ. XXXVI. v. 24. Hebræus, *Invenit mulos*; Vulgata, *Invenit aquas*. Exod. XXXII. v. 28. Hebræus, *Triamillia*; Vulgata, *Viginti tria millia*. Jam vero eos, qui præfatam reſponſionem proferunt, ita urgemus. Quum dicitur, hodierni Originarii in rebus fidei & morum ſunt authentici (quod pariter adverſarii reponunt de Vulgata Latina) plane infertur, in codice Bibliorum dari duo genera Scripturarum, earum nimirum quæ ſpectant ad fidem & mores, & earum quæ non ita ſe habent; ſed ſpectatis principiis & conſectariis ipſorummet adverſariorum, eruitur præfatam diſtinctionem divinis Scripturis minime adaptari poſſe; ergo doctrina de Scripturis ſpectantibus aut non ſpectantibus ad fidem & mores eſt merum effugium ab adverſariis excogitatum. Probatur minor, ſi talis diſtinctio in Scripturis reapſe dabitur, aſſignent quæſo, ad quam ſeriem pertinebunt quinque nuper expoſita Scripturarum loca, ad eam ne quæ cernit fidem aut mores, an ad oppoſitam? ſed quomodocumque dicant, dubio procul ponunt manum in ignem; non enim poſſunt amplecti primum, quoniam hoc in caſu nullus erit

rit

Digitized by Google

rit Scripturæ locus, qui ad fidem & mores non pertinebit, ſicque in ſuam famoſam diſtinctionem inepte congredientur: non enim foret aſſignabilis ratio, cur præfata loca ad fidem aut mores pertinerent, & non hæc alia: *Tunc præcurrit canis . . . . & quaſi nuntius adveniens, blandimento ſuæ caudæ gaudebat* (a); item, *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpem, veniens affer tecum* (b); item, *Ipſius enim & genus ſumus* (c); item, *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri* (d). Præterea, ſi præfata quinque loca ſpectabunt ad fidem & mores, neceſſario adverſarii cogentur concedere, aut Hebræum hodiernum, aut vulgatam Latinam in rebus fidei & morum corruptelis ſcatere, quod nec Waltonus cum multis aliis eruditioribus Proteſtantibus auſi ſunt proferre: namque non poſſunt dari duo Textus ſinceri & authentici, qui pugnent ad invicem, uti in prædictis locis Hebræus & Vulgata ſe inter ſe collidunt; non ergo tueri poterunt allegata quinque loca pertinere ad fidem aut mores. Neque inſuper ſtare poſſunt pro oppoſito, quia per ipſos ea ſolummodo loca in Originariis hodiernis ſunt ſincera & authentica, quæ ſpectant ad fidem & mores; quum igitur ipſimet contendant ea loca ſincera eſſe prout ſunt in Hebræo, non autem ut leguntur in Vulgata, de conſequenti pro ſpectantibus ad fidem & mores ea amplecti tenentur: atque ita ſi definire nequeunt ad quam ſeriem Scripturarum redigenda ſint conſignata quinque exempla, haud dubie præfatum effugium Novatores excogitarunt, ut minus cautos fallerent, & veritati magnas tenebras offunderent.

519. *Contra II.* Licet non paucos Recentiores pro meo modulo verſarim, ut ex eiſdem intelligerem quænam loca habeant in Scripturis pro pertinentibus ad fidem & mores

(a) *Tobiæ XI. v. 9.*
(b) *II. ad Timoth. IV. v. 13.*
(c) *Actor. XVII. v. 28.*
(d) *Ad Titum I. v. 13.*

res, quæque non ? vix comperi Capellum qui ad primam claſſem videtur collocare Hiſtorias de creatione, de providentia divina, de nativitate, vita, morte, reſurrectione Chriſti; ad ſecundam autem, quæ continentur in chronologicis, in nominibus hominum, urbium, regionum &c., ſubdens quod priora clare, & evidenter in omnibus codicibus traduntur, circa poſteriora vero habetur varietas codicum (a); at nunc iterum peto, priora ſunt ne clara & authentica in codicibus Originalium ſecundum ſenſum & ſubſtantiam, an etiam quoad verba & verborum texturam? Non poſſunt reſpondere primum, alioquin de Scripturis quatenus ſunt verba a Spiritu Sancto profecta, & a ſacris Scriptoribus exarata actum erit; quoniam ſi quæ pertinent ad fidem & mores non erunt ſincera & authentica ſecundum verba, potiori jure talia non ſunt ea loca Scripturarum, quæ levioris ſunt momenti; & conſequenter in omnibus Scripturarum codicibus, ſive Originalium, ſive Verſionum nulla penitus vocula invenietur, quæ ex ore Spiritus Sancti profecta ſit, & a ſanctis Scriptoribus exarata. *Item*, ex profeſso ipſimet adverſarii aſſerunt, Originales tam quoad ſenſus quam quoad verba fuiſſe immediate a Deo, propter quod paſſim commendant inſpectionem & præferentiam fontium ſuper omnes Verſiones. *Item*, teſtantur ſe non alio tendere præſidio regularum critices, niſi ad ſtabiliendam germanam & litteralem lectionem, quam nimirum Autographa exhibebant; Critici ergo ſecundum iſta principia opus eſt fateantur, hiſtorias de creatione, de providentia, & alia conſimilia ad fidem aut mores ſpectantia, in Scripturis ſincera eſſe & authentica quoad ſenſus, & quoad verba. Vide modo, quomodo aliis ſuis principiis hoc ipſum denegare videntur: plerique Criticorum Proteſtantium, & etiam Catholicorum cum Waltono ſentiunt, tam Originarios quam Verſiones in rebus fidei aut mo-

(a) *Cujus verba habes apud Walton. Proleg. VI. §. 2. pag.* 271. *col.* 1.

morum eſſe ſincera & authentica; atqui in hiſtoriis de creatione, de providentia &c. verba Originalium longe diſtant a verbis Verſionum; ergo per ipſos non quoad verba, ſed ſolummodo ſecundum ſenſum erunt ſincera & authentica. *Item*, ſi hiſtorias de creatione, de providentia, aliaque de rebus fidei & morum adverſarii haberent pro authenticis ſecundum verba, minime de verbis ipſorummet locorum tam immodice dubitarent; quum nullum ferme locum hactenus reliquerint, de cujus verbis & textura verborum non hæſitarint, ut videre eſt apud craſſiſſimos codices, quorum titulus *Polyglotta*, vel *Critici ſacri*, aliaque id genus ingentia volumina; ergo nullum penitus Scripturæ locum habent pro ſincero & authentico ſecundum verba. Verum enim vero ſi de ſola hiſtoria creationis ſermo fiat, cuique innoteſcet, Criticos taliter de verbis & verborum textura diſſentire ad invicem, ut nihil penitus certi & explorati erui poſſit (a); quomodo igitur hiſtorias de creatione, de providentia habebunt pro authenticis ſecundum verba, ſi de ſingulis verbis moroſam criſim inſtituunt? Neque dicas, tota altercatio & varietas ſe tenet ex parte Interpretum & interpretationum, non autem ex parte verborum quæ ſunt in Originariis; quandoquidem, omiſſis aliis, ipſemet numerus variantium lectionum, quem primo Maſorethæ aliique verpi exhibuerunt in Textum Hebræum, & deinceps Critici Chriſtiani tam in Hebræum quam in Græcum Novi Teſtam. præcludit hocce effugium; nullus itaque locus in Scripturis eſt, quem Critici agnoſcant ſincerum & authenticum ſecundum verba, & verborum texturam; ſed ut paulo ante oſtendimus, neque poſſunt declinare ad oppoſitum; ergo quum reponunt eam pervulgatam cantilenam, *originarii hodierni ſinceri ſunt & authentici in rebus fidei & morum* neſciunt quid dicant, jacent in labyrintho, oſtendunt habere oculos, & reapſe nihil recte intuentur.

(a) *Vide num.* 459. *&* 466.

Digitized by Google

520. *Contra III.* Minime inficiamur inter ipſas res dari diſtinctionem earum, quæ adtinent ad fidem & mores, & earum, quæ leviter aut nullimode religionem tangunt: hoc quidem pacto dicimus, e. g. Scriptura eſt infallibilis auctoritatis ad fidei dogmata moreſque formandos, aut vitia quibus Vulgata ante correctionem ſcatebat neque fidem lædebant neque mores, aut Romanus Pontifex in rebus fidei & morum eſt infallibilis; in his enim aliiſque conſimilibus exemplis diſtinctio unice cadit inter res ipſas, quæ utique non omnes ſpectant ad fidem & mores, quum nonnullæ ſint abſolute profanæ bonitate & malitia morali carentes; & conſequenter jure optimo inter ipſas res præfata diſtinctio locum tenet. Quod vero a viro Catholico minime cenſeo adoptandum, eſt poſitio talis diſtinctionis inter ipſas divinas Scripturarum lectiones aut verba, quaſi quod in ipſis autographis Prophetarum & Apoſtolorum quid fuerit, quod nec per ſe nec per accidens inſerviret ad firmanda fidei dogmata, bonoſque mores inſtituendos. Tametſi in Scripturis canonicis, ut nimirum a ſanctis hominibus profectis, nonnulla ſint quæ abſolute & ex ſeſe minime referantur ad fidem informandam aut mores, tamen quia adnectuntur iis, quæ immediate pertinent ad fidem & mores, & illa quoque eandem conditionem induunt. *Solo*, audi aquilinum S. Auguſtinum quomodo rem acute expendit (*a*), *enim vomere terra proſcinditur; ſed ut hoc fieri poſſit, etiam cætera aratri membra ſunt neceſſaria: & ſoli nervi in citharis atque hujuſmodi vaſis Muſicis aptantur ad cantum, ſed ut aptari poſſint inſunt & cætera in compaginibus organorum, quæ non percutiuntur a canentibus; ſed ea quæ percuſſa reſonant, his nectuntur. Ita in prophetica hiſtoria dicuntur & alia quæ nihil ſignificant, ſed quibus adhæreant quæ ſignificant, & quodammodo religentur.* Et paulo ante: *Hæc Scripturæ ſe-* cre-

(*a*) *Lib. XVI. de Civit. Dei Cap. II. Tom. VII. col.* 416. *D.*

creta divinæ indagamus . . . . neque niſi ad Chriſtum & ejus Eccleſiam, quæ Civitàs Dei eſt, eſſe referenda: hac itaque lege quod nihil ſit in Scriptura non adnexum iis, quæ ex ſeſe complectuntur ſummam religionis, ideo tota quanta eſt pertinet ad fidem, ad mores, & ad ſalutem. *Omnis ſcriptura*, eſt apertiſſima ſententia Apoſtoli (*a*), *divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia*: cui apprime concinunt Hilarius (*b*): *Quidquid in his eſt, excelſum, divinum, rationabile, & perfectum eſſe exiſtimetur*. Chryſoſtomus (*c*): *Nihil enim temere vel fortuito loquitur divina Scriptura, ſed & ſyllaba, & apiculus unicus reconditum habet theſaurum*. Hieronymus (*d*): *Singula verba Scripturarum ſingula ſacramenta ſunt. Iſta verba, quæ ruſtica putantur a ſeculi hominibus, plena ſunt ſacramentis*. Neque juvat reſpondere, hæc per exceſſum & ſtylo populari prolata fuiſſe; quoniam reapſe veteres Patres & Theologi in adpendendis & librandis minutiſſimis Scripturarum verbis & apiculis magnopere inſudarunt; reapſe ex illis Scripturæ locis, quæ levia reputantur, theſaurum ſacramentorum expiſcati ſunt (*e*); & Eccleſia tandem nuſpiam diſtinctionem de Scripturis gravioris & levioris momenti ſubodorata eſt, tametſi ejuſdem utendæ præſentiſſimam habuerit occaſionem, quum aut in Concilio Tridentino congregata condidit Decretum de canonicitate Scripturarum, aut Sixtus V. & Clemens VIII. in præfationibus ſuorum Bibliorum de Scripturarum origine, integritate, & auctoritate diſſeruere. Non ignoro, Hæreticos omnes cum permultis Catholicis recentioribus haud mi-

(a) *II. ad Timoth. III. v. 16.*
(b) *In pſal. CXXXV. Tom. 1. col. 140. B.*
(c) *Homil. XVIII. in Geneſ. Tom. 1. col. 112. D.*
(d) *In pſal. XC. Tom. VII. p. 116. C.*
(e) *Ut patet de hiſtoria canis Tobiæ, & de penula cujus ſollicitus fuit Paulus, ſuper quibus Domin. Gravina Lib. IV. Præſcript. controv. I. p. 14. col. 1. citat Chryſoſtomum, Ambroſium, & Hieronymum.*

mihi ſuffragio eſſe; ſed quum obſtet ratio, & auctoritas Scripturarum veterum Patrum & Eccleſiæ, opinio quantumvis communis haud magni facienda. Id unum quoque ſcio, doctrinam de Scripturis pertinentibus ad fidem & mores, & de aliis quæ non ſunt momentoſæ, a Novatoribus ſumpſiſſe exordium, & Grotium, Epiſcopium, & impium Spinoſam præſidio hujus doctrinæ evulgaſſe, ſacros Scriptores etſi in magni momenti rebus conſcribendis divinitus afflatos, in aliis vero ad fidem & mores non attinentibus falli potuiſſe, & interdum falſos. Nec finis: Præfata doctrina de Scripturis authenticis in rebus tantum fidei & morum, ſuo modo e tenebris inferorum extumulat hæreſim antiquorum Manichæorum, ſimulque roborat deliria recentiorum Anabaptiſtarum, & Servetanorum amico voto delirantium, periiſſe veras divinas Scripturas, & nobis vix eas adeſſe ab antiquis Hæreticis depravatas, quandoquidem præfata doctrina, in rebus tantum fidei & morum admittit hodiernas Scripturas eſſe authenticas. *Item*, maxima ex parte fruſtratur regale illud beneficium, quo Deus dignatus fuit humano generi mittere Epiſtolam verbatim deſcriptam ab hominibus Spiritu Sancto afflatis; quoniam tam amplam epiſtolam vix quoad pauca, ſive in rebus fidei & morum, libet noſtris adverſariis pro authentica habere. *Tandem*, neque cohæret, nec cohærere valet cum decreto Concilii Tridentini uti exponemus num. 628.

521. *Inſtabis ſecundo* cum Waltono (*a*). Mendæ quibus Originarii ſunt obnoxii non obſtant authentiæ eorundem, tum quia ſunt levioris momenti & ex errore ſcribarum irrepſerant; tum etiam talia errata ex aliis codicibus emendari poſſunt, & quotidie emendantur; tandem quum hujuſmodi mendæ in omnibus Verſionibus reperiantur, & in vulgata Latina multo plures & majoris momenti, quam in codicibus Originariis, profecto, ſi authentiam

(a) *Proleg. VII. §. 17. p. 285. col. 1.*

Digitized by Google

tiam Scripturæ tollerent neceſſario ſequeretur, nullam Scripturam hodie authenticam extare, nec Eccleſiam regulam certam fidei & morum habere, quod omnibus ἄτοπον & abſurdum, & maxime DD. Pontificiis, qui adhærentes Concilio Tridentino Latinam editionem authenticam eſſe contendunt. *Quot millia*, inquit, *variarum lectionum, quarum pars altera neceſſario erronea eſt ante correctionem Sixtinam & Clementinam collecta & emendata? multas etiam poſt iſtorum Pontificum editiones remanſiſſe, quæ correctione indigebant, tum ex Epiſtola Bellarmini . . . . ad Lucam Brugenſem; tum ex iis, quas poſtea collegit idem Lucas, liquet. Et in Bibliis Latinis juſſu Clementis VIII. recognitis diſerte affirmatur*, quod in illa pervulgata editione multa quæ mutanda videbantur immutata relicta ſunt. *Et poſtea*, Biblia non ſunt a nobis accuratiſſime caſtigata &c. *His tamen non obſtantibus* (Romanenſes) *Latinam editionem authenticam eſſe contendunt*; ergo non obſtantibus mendis quibus Originarii ſcatent adhuc erunt authentici.

522. *Contra*. Si mendæ, quibus hodierni Originarii obnoxii ſunt, authentiam non tollent, plane quævis Scriptura referta vitiis plene probabit, ſicque nullum erit diſcrimen inter Scripturam authenticam & non authenticam: *Inſtrumentum*, eſt Juriſconſultorum doctrina, *continens inveriſimilia nullam fidem facit & falſum præſumitur*; & ex Authent. *ad hæc* C. de fide Inſtrument. & ex Cap. *ex litteris* de fide Inſtrument. (*a*): *Defectus litteræ, raſuræ, lituræ, caſſaturæ in loco ſuſpecto vitiat ſcripturam*. Porro in hodiernis Originariis tot occurrunt vitia, & variantes lectiones, ut pene nequeant numerari. Si de ſolis locis, quæ in Hebræo Judæi malitioſe corruperunt, fiet mentio, *Plurima*, fert Fraſſenus (*b*), *exempla proferunt Jacobus Gordonus*,

(a) *Apud Joſeph. Sorge Tom. VIII. Cap. LXVII. de Scriptur. public. p.* 478. *edit. Neap.* 1743.
(b) *Diſquiſit. Bibl. Lib. II. Cap. V. p.* 329.

Digitized by Google

nus, *Huntlæus*, *Bonfrerius*, *Leo Caſtrius*, *qui ſpeciali libro profert pluſquam quadringentos textus Judæorum mala fide ſcriptos & in odium Chriſtianorum depravatos*, *& ex eo Marinus Merſennus*. *Item*, Textus Biblicus non eſt inſtrumentum humanum, in quo diſtinguuntur loca ſuſpecta a non ſuſpectis, quoniam quodlibet divinæ Scripturæ verbum, ut modo diximus, eſt fœtus Spiritus Sancti complectens theſauros Sacramentorum, & ad ſalutem ſpectans; proindeque quilibet locus vitiatus apud Originarios authentiæ eorundem refragatur.

523. Ad illud quod præfatæ mendæ ſunt minoris momenti, & tantummodo injuria temporum & Scribarum oſcitantia intruſæ, haud opus eſt dicta repetamus, quibus adiicies dicenda num. 538. Duntaxat velim obſerves confidentiam, qua Waltonus non veretur ad Scribarum oſcitantiam ea etiam errata amandare, quæ veteres Patres & cordatiores Recentiores unice tribuerunt pravo Judæorum & Hæreticorum ſtudio: pariter miraberis ejuſdem prætoriam poteſtatem, qua jactitat hodiernos Originarios reſtituendos, & reapſe reſtitui priſtino nitori, quo nimirum clarebant tempore Prophetarum & Apoſtolorum; quum e contra toto fere ſuperiori capite oſtenſum ſit, id hodie eſſe irritum, difficile, & impoſſibile, tum propter linguæ Hebraicæ aliarumque linguarum Orientalium præſentem imperitiam; tum propter defectum Biblicorum codicum, qui nobis non ſuppetunt; tum tandem propter conditiones, quæ huic negotio operam dantibus neceſſariæ forent, quibuſque Recentiores ſunt deſtituti.

524. Poſtremum momentum ortum ducit ex mala intelligentia illius Vulgatæ, quam Concilium Tridentinum declaravit authenticam, ex communi præjudicio quo autumatur in Vulgata Clementis ſupereſſe menda corrigenda, & ex minus adcurata interpretatione verborum præfationis Clementinæ; quæ quippe tria ex dictis, & amplius ex di-

cen-

cendis patebunt *(a)*. Interim ſatis habeo dicere, Concilium Tridentinum ex tot Latinis editionibus, quæ eo tempore circumferebantur, ne unam quidem declaravit authenticam, ſed ſolummodo ipſam Vulgatam veterem, præſcindendo ab iſta & illa editione, in quibus eadem Vulgata nonnullis fœdata mendis continebatur; qua de cauſſa ſtatuit & decrevit, ut fieret impreſſio novæ editionis, quæ emendatiſſime & exactiſſime exhiberet ipſam Vulgatam veterem, ut nimirum ab antiquo Interprete editam, ſublatis omnibus mendis, quæ in eas recentiores editiones irrepſerant: quod plane opus aliquando a S. Sede cœptum & ob alias occupationes intermiſſum, vigilantiſſimus Sixtus V. revocavit & confecit, quamquam ob non pauca præli vitia in ſua Biblia intruſa Clemens VIII. ad optatum finem illud perduxit; atque ita quum ipſa Vulgata vetus, quam Concilium declaravit authenticam, Sixtus emendavit & Clemens prodidit in lucem, nullum penitus mendum correctione dignum complexa fuerit aut complectatur, idcirco Waltonus dupliciter fallitur in aſſerendo, quod in Vulgata, quam agnoſcimus pro authentica, fuerint & ſuperſint menda corrigenda, & quod hac pari lege hodierni Originarii habendi ſint pro authenticis; quinimmo nobis incitamento eſt, ut eodem argumento ipſum perſtringamus. Quia Vulgata nullum complectitur mendum correctione dignum, ideo nos eam habemus pro authentica; ergo quum hodierni Originarii corruptelis abundent, plane authentici non erunt. Ita quoque abſurdum quod opponit nobis contra ipſum militat; nos enim tuemur ipſam Vulgatam veterem ſemper in ſe authenticam fuiſſe tam quoad ſenſus quam quoad verba, & duntaxat quoad nos PP. Tridentinos eandem declaraſſe authenticam; proferant modo Neoterici, qui-

(a) *Quoad primum adi num. 629. & ſeqq.; quoad ſecundum in ſequenti Demonſtratione; de tertio n. 657. 679. propius tandem Demonſtratione tertia.*

Digitized by Google

quinam eſt ille codex Scripturæ, quem habeant pro authentico ſecundum ſenſum & verba? quod ſi nullum aſſignare queunt, ipſi implicite denegant hodie Scripturam authenticam extare, & Eccleſiam habere certam fidei & morum regulam; ipſi enim de ſingulis ferme verbis tam hodiernorum Originalium quam Vulgatæ verſionis dubia excitant, & conſequenter confundunt verborum ſenſus, quoniam ſenſus nonniſi ex verbis & verborum textura eruuntur; itaque ſemel conceſſa in omnibus Scripturæ Textibus & Contextibus etiam Vulgatæ Clementis ambiguitate & incertitudine verborum, opus eſt, concedatur quoque ambiguitas & incertitudo ſenſuum, ſicque nulla Scriptura per eos hodie extat quæ ſaltem ſecundum ſenſus ſit authentica, quo quid falſius & abſurdius, viri docti videant.

525. *Obiicies I.* cum Waltono (*a*). Originaria ſcripta ſive Autographa proprie & per ſe authentica dici; exemplaria ſive Apographa dicuntur authentica non proprie & per ſe, ſed quatenus cum Originali conveniunt; Verſiones vero proprie authenticæ non ſunt, ſed auctoritatem ſuam habent ex convenientia cum libris Originariis, ex quibus ceu fontibus traductæ ſunt. Porro ipſa Prophetarum & Apoſtolorum Autographa omnium proprie authentica ſunt, ut quæ a Spiritu Sancto dictata. Textus Hebraicus teſtimonium habet Chriſti & Apoſtolorum, qui ex eo doctrinam ſuam confirmarunt, & omnes ad ejus lectionem hortati ſunt: quod nunquam feciſſent niſi pura & incorrupta fuiſſent exemplaria Autographis reſpondentia; Novi vero Teſtam. codices Originarii multis ſeculis poſt Apoſtolorum tempora ſervati ſunt, & ex antiquiſſimis ſcriptoribus Eccleſiæ, qui iſta Apoſtolorum Autographa conſulere poterant, & ex locis Scripturæ ab ipſis citatis, quæ amuſſim congruunt cum noſtris codicibus, conſtat, codices hodiernos eoſdem plane eſſe cum ipſis Autographis; conſequenter jure ſummo habendi ſunt pro authenticis.

Re-

(a) *Proleg. VII.* §. 16. p. 184.

Digitized by Google

Reſpondetur. Concedimus utique tam Apographa quam Verſiones in tantum authentica eſſe in quantum cum Autographis conveniunt, ſed quod iſthæc tantum ſint proprie & per se authentica non autem verſiones Græcæ, & Latinæ tametſi fideliſſimæ ſint & exactiſſimæ, denegamus. Ipſo Waltono teſte vocem hanc (*Authenticum*) a Juriſperitis Theologi mutuati ſunt; at ex nuper dictis num. 517. Juriſperiti præfatam vocem uſurparunt ad ſignificandum, Latinas conſtitutiones Juſtiniani fuiſſe ex Græco originali ad litteram traductas; ergo ſi vocem *Authenticum* aſſumpſerunt non in gratiam originarii Græci ſed verſionis Latinæ, profecto juxta acceptionem juriſprudentum vox *Authentica* potiori jure quadrat Verſionibus, quæ exacte reſpondent Originariis quam Originariis ipſis, vel ſaltem dicamus oportet æqualiter & pari lege. Quocirca curſim velim obſerves, quam apprime PP. Tridentini ad indicandam litteralem perfectiſſimamque conſonantiam, quæ eſt inter Vulgatam veterem & Autographa Prophetarum & Apoſtolorum ſtatuerint, eam ab omnibus fidelibus pro authentica habendam; & quam frigide Neoterici egerint ſimiam tribuentes eandem vocem *Authenticam* Originariis hodiernis, qui ingentibus corruptelis ſunt obnoxii, & longe diſtant ab Autographis.

526. Quod vero diligenter animadvertendum hic venit, vox *Authentica* convenit Vulgatæ veteri, non tantum quia exacte congruit cum Autographis Hebræo & Græco, ſed inſuper quia reſpectu occidentalis Eccleſiæ præſefert rationem Originarii & fontis, quantum videlicet ſpectat non quidem grammaticalem harum vocum ſignificationem, ſed moralem, ideſt, quantum ad ſupremam auctoritatem, quæ Originariis incorruptis propria eſt. Ut enim apud Hebræos Textus Hebraicus, & Græcus apud Græcos, ita apud Latinos Textus Latinus authentiam Originalium obtinuit, uti non obſcure conjicitur, tum ex titulo Crucis Chriſti præfatis tribus linguis atque elementis Hebraicis Græcis & La-

& Latinis conſcripto: *Sancta myſteria*, probe præclariſſimus Sixtus V. (*a*), *oraculaque divina quæ ſacris continentur libris ſicut in cunctarum gentium ſalutem parabantur, ita a tribus illis potiſſimum enunciarentur linguis . . . . quæ ſanctiſſimæ Crucis titulo conſecratæ Salvatoris noſtri regnum Hebræis Græcis, ac Latinis litteris prædicarunt*; tum ex Libris manu Prophetarum & Apoſtolorum exaratis, quorum nonnulli deſcripti fuerunt Hebraice, alii Græce, & pauci ſermone Latino (*b*); tum ex divino præſidio quod ſanctis hominibus ſpeciatim adfuit, quandoquidem ſicut Prophetæ & Apoſtoli divinitus acti ſcripſerunt, aut Hebraice, aut Græce, aut Latine, ita cœleſti afflante Numine Septuaginta ſeniores Hebræum fontem Græco ſermone reddiderunt, & aliquis Apoſtolorum diſcipulus ſive diſcipuli Spiritu Sancto pleni verſionem Latinam utriuſque Teſtamenti adornarunt; tum ex ipſo Scripturarum religioſo uſu, ut enim Synagoga quamdiu floruit conſecravit Scripturam Hebræam, Eccleſia Chri-

ſti

(a) *Initio diplomatis incip.* Æternus ille *&c.*

(b) *Doctiſſimus Salmeron Prolegom. XXVI. p.432. D. Marcum ejus Evangelium Latino ſermone edidiſſe probat teſtimonio multorum Syrorum & Græcorum, potiſſimum Catachuzeni & Gregorii Nazianzeni; tum S. Damaſi Papæ, Rodulphi Armacani, & Jacobi a Voragine: agit inſuper rationibus, tum ex eo quod Marcus, Clemente Alexandrino teſtante, ejus Evangelium ſcripſit in urbe Roma, ubi vulgus ex num. 254. & ſeqq. loquebatur Latine; tum ex quibuſdam Latinis vocibus uſurpatis a Marco, ut vox* denarii, cenſus, minuti, Centurionis, prætorii *quæ Latiniſmum ſapiunt; tum etiam dato verum non eſſe quod a pleriſque traditur, nimirum, Archetypum Latinum D. Marci apud Venetos in D. Marci Bibliotheca aſſervari, dato etiam quod nullum aliud revera extet exemplar vetuſtiſſimum Latinum D. Marci, nec rite infertur, non fuiſſe a primo Latine editum: quemadmodum juxta communiorem ſententiam Matthæus Hebraice ſcripſit, licet hodie hujuſmodi exemplar vetuſtiſſimum Hebraicum nec reperiatur; ac propter eo ex æquo dici poteſt id accidiſſe, quia ab aliquo Apoſtolico viro ſtatim in Græcum ſermonem utrumque Evangelium converſum fuit, atque ita eodem ſermone Græco quo generalius tunc temporis utebatur, utrumque fuiſſe generalius evulgatum. Hoc ipſum ſentit laudatas Salmeron de Epiſtola ad Romanos, non abs re id conjectans ex illo* Tertio *vel* Teruntio *cap. 16. ad Rom., quod quippe Latinum eſt; & ex lingua Latina quæ apud Romanos erat vernacula, & ad quos Paulus ſcribebat; eo ferme pacto quo Græco ſermone uſus fuit, quum ad Græcos ſcripſit.*

Digitized by Google

ſti orientalis Scripturam Græcam, ita Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum mater & magiſtra Latinam; tum ex ſumma veneratione, qua veteres Eccleſiæ PP. Scripturam Hebraicam Græcam & Latinam proſecuti ſunt, adeo ut ex æquo pro divinis habuerint Hebræa, Græca, & Latina: *Veſtigia*, inquit Auguſtinus (*a*), *ſequens Apoſtolorum, qui & ipſi ex utriſque, ideſt ex Hebraicis, & ex Septuaginta teſtimonia Prophetica poſuerunt, utraque auctoritate utendum putavi, quoniam utraque una atque divina eſt* (*b*): quodque ſpeciminibus reſtaurabimus n. 623.; tum ex inſigni præferentia Eccleſiæ Chriſti potiſſimum Romano-Latinæ ſupra veterem Synagogam; quæ ſi proprio Hebræo ſermone cæleſtia oracula accepit, tantum abeſt, ut vel ſuſpicemur, noſtram Eccleſiam columnam indefectibilis veritatis tam præclaro beneficio abire deſtitutam (*c*). Quid plus? Etiam Miſſa, quæ eſt repræſentatio paſſionis D. N. Jeſu Chriſti præfatis tribus linguis celebratur: *Notandum*, inquit Hugo a S. Victore (*d*), *quod tribus linguis Hebraica Græca & Latina Miſſa celebratur* . . . *Hebraicum quippe eſt* Alleluja, Oſanna, & Amen; *Græcum vero* Kyrie eleiſon; *Latinum, reliquum officium*. Immo ut cognoſcatur quod non Hebraica, ſed lingua Græca, & Latina in Chriſtianorum doctrina concordent, ideo eodem Hugone obſervante (*e*) Pontifex in dedicatione alicujus Eccleſiæ duplicem Alphabetum in pavimento deſcribit; Græcum ni-

(a) *Lib. XVIII. de Civ. Dei Cap.* XLIV. *Tom.* VII. *col.* 527. *C.*

(b) *Per Hebraicum Auguſtinus non Hebræum Textum hic intelligit, ſed Latinam editionem Hieronymi, quæ ſola inter alias Latinas illius ævi adpenſa fuerat ad Hebræum Textum: & eo vel maxime quod Hebraicæ imperitus erat, & inſuper Capite præcedenti col. 625. C. ſatis explicat, ſe teſtimonia aſſumpturum ex ea Scriptura quam ex Hebræo Hieronymus concinnarat, idipſum confirmans Lib.* IV. *de Doctr. Chriſt. Cap.* VII. *Tom.*III. *col.* 70.

(c) *Conſuleſis dicenda n.*539. *&* 584.

(d) *Lib.* II. *de officiis Eccleſiaſticis cap.* XII. *Tom.* III. *p.* 162. *B.*

(e) *Lib.* I. *de officiis cap.* III. *p.* 255. *D.*

Digitized by Google

mirum, & Latinum, non autem Hebraicum. In eo autem tam Hebraicæ quam Græcæ Latina Biblia præſtant, quod circa initium ſecundi ſeculi æræ chriſt. omnibus præfatis Bibliis magis minuſve depravatis, ſola Latina Biblia bis reſtaurata ſunt, ſuoque priſtino nitori reſtituta, primum a doctiſſimo & Sanctiſſimo Hieronymo, tum ab ipſamet Apoſtolica S. Sede ſub Romanis Pontificibus Sixto V. & Clemente VIII. Ea de re non immerito plerique Theologi paſſim affirmarunt, Vulgatam Latinam habendam eſſe pro ipſamet Originali Scriptura. *Pro certo*, legitur in Præfatione Bibliorum Pariſienſium pag. II. *atque indubitato apud nos eſſe debet: Vulgatam editionem . . . verum eſſe ac genuinum ſacræ Scripturæ fontem*. Ramos in defenſione Vulgatæ, & Pineda (*a*) affirmant, Concilium illis verbis *habeatur pro authentica* definiſſe, *editionem Latinam in omnibus ſuis partibus eſſe canonicam, ipſique eandem fidem in omnibus deberi, ac ſi eſſet Originalis Scriptura*. Stephanus Menochius (*b*): *Vulgatæ noſtræ editionis auctoritas apud Catholicos ſumma eſſe debet, & reipſa eſt*: Antonius Caſinus (*c*): Deus vult Vulgatam haberi *perinde, ac ſi eſſet Scriptura prorſus Originalis; & propterea ſic habenda*. Quibus adcurate animadverſis, arbitror fore ut æquus Lector ſponte intelligat, quam inſcite, quam perfunctorie Novatores ad præfatum cavillum confugerint.

Quantum vero ſpectat cæteras argumenti partes haud longius immoremur oportet, quum ex dictis earum infirmitas ſatis ſuperque conſtet. Nemo ſiquidem vir cordatus inficiatur Autographa Prophetarum & Apoſtolorum ſummæ fuiſſe auctoritatis, Chriſtum & Apoſtolos ſuam doctrinam confirmaſſe oraculis Vet. Teſtam., quæ eo tempore limpide fluebant tam apud Hebraicos quam Græcos codices; atque

ita

(a) *Apud Silveiram Reſol.* IV. *Opuſc. n.* 541.
(b) *Proleg. in ſac. Script. Cap.* XVIII. *p.* 8. *edit. Colon. Agrip.* 1630.
(c) *Cujus integra verba habes in Præfatione hujus operis* §. XIII.

ita jure meritoque vetus Teſtamentum ſcrutandum Chriſtus & Apoſtoli ſuos auditores monebant. At quæſtio nobis non eſt de authentia Autographorum, vel eorum exemplarium quæ Apoſtolorum ætate in uſu erant; bene vero de illis quæ hodie nobis adſunt, quorumque depravationem abunde oſtendiſſe credimus: longe itaque Waltonus a ſcopo aberrat. Quum vero addit, codices Originarios novi Teſtam. multis ſeculis poſt Apoſtolorum tempora ſervati ſunt; id ſane poterit imperitis ſuadere, quum ex teſtimoniis allatis num. 154. & ſeqq. unicuique datum eſt intelligere, neque Irenæum, neque Origenem, neque Hilarium, Ambroſium Hieronymum, alioſque proceres originalium Apoſtolorum, habuiſſe uſum, alioquin mediantibus iſtis longe validius ſacrilegium Hæreticorum corrumpentium loca novi Teſtam. cohibuiſſent (*a*).

527. *Obiicies II.* Codices Originarios fuiſſe etiam tempore Hieronymi authenticos nemo qui ſane ſapit poterit dubitare, quum ex ipſis Hieronymus noſtram Latinam editionem depromſerit; quo enim pacto hæc integra, & authentica eſſe poſſet, ſi ex authenticis codicibus non fuiſſet hauſta: hinc iis qui hodie affirmant, Originarios non eſſe authenticos, probandi onus incumbit quod corrupti jam ſint & de gradu authentiæ disjecti: quod ſi oſtendere non poſſunt, recipi debent uti ſunt in poſſeſſione aüctoritatis ſuæ. *Item*, ipſum nomen fontis ſatis indicat Textum authenticum; & apud veteres frequens eſt mentio *authentici*, *& Hebraicæ veritatis*, quæ elogia ſine debita authentia falſo fuiſſent adhibita. *Tertio*, ad hoc ut Bibliorum codex haberi poſſit pro authentico, vel requiritur ut nullimode ſcateat mendis, aut non? ſi ſecundum, jam mendæ quibus hodierni Originarii obnoxii ſunt non obſtabunt: ſi primum, neque Vulgata Clementis authentica erit, quoniam ipſimet codices Vaticani complectuntur pleraque præli vitia.

Tan-

(a) *Huc ſuo modo faciunt dicta apud noſtram Apologiam n. XX.*

Tandem, bene multi doctiſſimi viri de Romana Eccleſia tuentur authentiam hodiernorum Originalium.

528. *Reſpondetur*. Nemo ut Hieronymus nobis ſuffragio eſt ad probandum, Originarios ante Hieronymi tempora amiſiſſe ſinceritatem & authentiam; alioquin ab eiſdem nullimode in ſua nova verſione concinnanda diſceſſiſſet, uti oſtendimus n.126; ſicque primum argumentum conſiſtit in gerrarum cumulo. *Ad ſecundum*, quod pariter fumo vocum nititur, dicimus, Textus Hebræus veteris Teſt. Græcuſque novi vocantur fontes ad differentiam Verſionum, quæ tamquam rivuli ex ipſis aut immediate aut mediate derivatæ ſunt, non autem quatenus priſtina puritate & authentia hodie etiam potiantur. Qua vero lege veteres exornarint Hebræum Textum epithetis *authentici*, *& Hebraicæ veritatis* ſatis expoſuimus num. 102. *Ad tertium*, illæ mendæ impediunt authentiam Bibliaci codicis, quæ ſunt cauſſa, unde ex ſe non faciat certam fidem, & ab aliquo reiici vel in quæſtionem vocari poſſit: quum autem præli vitia, quæ irrepſerant & irrepent in codices Clementinos, minime tollant certam fidem eorundem locorum Scripturæ ubi inveniuntur, quoniam præſidio illius Regulæ quam initio operis tradidimus, facili negotio innoteſcere poteſt, quid & quomodo de mente ipſius S.Sedis eo loci legendum ſit, idcirco authentiam eorundem Bibliorum nec impediunt nec tollunt; at vitia quibus abundant hodierni Originarii neque conſiſtunt in ſolis mendis typographicis, neque Critici inter ſe conveniunt in eiſdem agnoſcendis & corrigendis, neque Eccleſia hactenus ſtatuit quænam ſint, & quid ſit eodem originali charactere & ſermone ſubſtituendum; & conſequenter ſicuti tollunt ab ipſis Originariis certam fidem, & excitant quæſtiones perpetuaque jurgia, ita authentiam eorundem impediunt & propulſant. *Quod tandem* ſpectat auctoritatem nonnullorum DD. Catholicorum, in primis minime rem iſtam ad rigoroſam exactamque criſim ipſis curæ fuit revocare, & aliorum potius fide ad oppoſitam ſententiam abierunt; hinc quidam

Digitized by Google

dam inquit: *Quod ab uno ſemel traditur ſtatim reliqui arripiunt & mordicus tuentur*, vel ut de Ariana hæreſi Hieronymus ſcripſit (a): *Arius in Alexandria una ſcintilla fuit, ſed quia non ſtatim oppreſſa eſt, totum Orbem populata eſt.* *Praterea*, non ſufficit ut vir quantumvis clarus & eximius autumarit Originarios hodiernos authenticos eſſe, ſed diſpiciendum ſedulo queis principiis, utrum firmis & ſibi conſtantibus, an vero gracilibus & ſibi non cohærentibus id protulerit; *item*, attendendum, quænam ſententia magis congruat cum veritate nuda, cum decreto Concilii Tridentini, & cum diplomatibus Sixti V. & Clementis VIII. hæc inquam diligenter revolvas velim, & quod verius religioſiuſque videbitur, eligas.

Corollarium II.

Hodierni fontes Hæbrei veteris Græcive novi Teſtamenti, Vulgata Sixti V. & Clementis VIII. neque præferendi, neque coæquandi.

529. Licet iſtud & ſequens corollarium inevitabili conſecutione enaſcantur ex primo, nihilominus quum Recentiores peculiaribus monumentis nitantur ſuadere præferentiam hodiernorum fontium, & ad normam iſtorum Vulgatam Sixti & Clementis emendandam fore, id mihi cauſſæ eſt, ut ſingulatim de eiſdem ediſſeram.

Probatur aſſertum I. Eccleſia Chriſti Latina nuſpiam fontes Hebræi veteris Teſtam. Græcive novi prætulit, aut coæquavit Latinæ editioni; ergo multo magis hodie neque præferendi, neque coæquandi ſunt Vulgatæ Sixti & Clementis. Prob. antecedens. *Eccleſia Latina*, fert Doctiſſimus Salmeron (b), *per hanc potiſſimum editionem* (Latinam) *ortas*

(a) *Lib.* III. *ad Galat. Tom.* VI. *pag.* 148. *C.*
(b) *Proleg.* III. *p.* 24. *col.* 1.

tas hæreſes confutavit : quid credere , quid operari filii ſui debeant , docuit : illam ad divina officia , ad conciones , ad diſputationes publicas conſtanter adhibuit . Denique in omnibus ad Eccleſiæ ædificationem ſpectantibus , ſive ad Hæreticos & Schiſmaticos, qui omni tempore pullularunt, revincendos ſive ad fideles arguendos , vel erudiendos, ac conſolandos in medium propoſuit (*a*) : quomodo ergo Latina Eccleſia fontes prætulit aut coæquavit Vulgatæ editioni, ſi nuſpiam illis uſa eſt, ſed unice & ſemper Textum Latinum adhibuit, tam in publicis privatiſque lectionibus & prædicationibus, quam in definiendis rebus fidei & morum, & in extirpandis hæreſibus? Quoniam Recentiores contendunt fontes præferendos eſſe Vulgatæ, ideo monent ad normam fontium , & non Textus Latini controverſias fidei & morum definiendas; ergo ſi Latina Eccleſia ab ortu ſuo uſque hodie nuſpiam ad normam fontium eaſdem controverſias definivit, plane nuſpiam Latinæ editioni fontes prætulit aut coæquavit. Neque velim patiaris ſeduci a nugis Neotericorum dicentium , id accidiſſe propter imperitiam linguæ Hebraicæ & Græcæ; quia ad intentum noſtrum ſufficit quod Eccleſia Latina nuſpiam fontibus uſa fuerit in lectionibus definitionibus &c. , ſive id acciderit ex imperitia linguarum , ſive aliunde: *Eſt traditio?* pulchre Chryſoſtomus (*b*), *nihil quæras amplius*. *Secundo*, omnibus compertum eſt primis Eccleſiæ ſeculis haud Romæ defuiſſe eruditos qui Græcam callerent, & in Oriente qui intelligerent & loquerentur Syriace, quæ lingua magis cum Hebræo quam cum Græco ſermone convenit, & tamen neque Chriſtiani Romani habuerunt uſum Textus Græci novi Teſtamenti, neque Orientales adhibuerunt Hebræum Textum, ſed verſionem Viralem , ut patet ex octo Conciliis Generalibus in Oriente ce-

(a) *A quovis viro æquo & veritatis amatore allegata Salmeronis. ſententia habenda eſt pro rata & explorata , ex dictis §. II. Cap. IV. & ex dicendis* §. II. *Cap.* II. *Demonſtrat.* II.

(b) *Homil.* IV. *in Epiſt.* II. *ad Theſſal.*

celebratis (*a*), in quibus teſtimonia Scripturarum non ex fonte Hebræo, ſed ex verſione Virali & Latina aſſumpta comperimus; non ergo imperitia linguarum cauſſa fuit, ut Latina Eccleſia non fuerit uſa Originariis Textibus. Immo ſi nobis propoſitum eſſet reddere rationem, cur Eccleſia Orientalis loco Hebræi fontis conſecrarit Græcam Septuaginta, & Latina Eccleſia Textum Latinum? id contigiſſe reor ex mandato ipſorum Apoſtolorum: *Quod*, eſt Aquilini Doctoris aurea regula (*b*), *univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur*; & per conſequens Latina Eccleſia jure, Latinæ editioni nec prætulit nec coæquavit fontes. Quod autem potiori jure hac noſtra ætate neque ſint præferendi & coæquandi, luce clarius adfulget tum ex parte fontium quorum exemplaria minus vitioſa erant ſuperioribus ſeculis ac hodie, tum ex parte ipſius Vulgatæ, quæ licet in omnibus codicibus bis fuerit referta mendis, nimirum ante Hieronymum & ante Sixtum V.; hodie tamen in codicibus Clementinis perpolitam habemus.

530. *Probatur II.* Eiſdem principiis ſparſim hactenus enucleatis. Idcirco Hæretici tuentur præferentiam hodiernorum fontium, quia ſupponunt fontes hodiernos eſſe integros & authenticos; ſed ex dictis eruitur omni corruptelarum genere illos abundare, ob idque authenticos non eſſe; ergo irrationabiliter affirmatur præferentia hodiernorum fontium. *Item*, ubi Textus Latinus quaſi per manus ab ipſis Apoſtolis aut ab Apoſtolorum diſcipulis ad nos uſque pervenit, hodiernum Hebræum nonniſi ex manibus Judæorum inimicorum crucis Chriſti accepimus. Ubi Textus Latinus ſacro perpetuoque uſu a primo uſque hodie conſecratus eſt

(a) I. *Nicanum an. Chriſti* 327. II. *Conſtantinopolitanum an.* 338. III. *Epheſinum an.* 439. IV. *Chalcedonenſe*. V. *Conſtantinopolitanum ſecundum an.* 556. VI. *Conſtantinopolitanum tertium an.* 680. VII. *Nicænum ſecundum an.* 687. VIII. *Conſtantinopolitanum quartum an.* 787.

(b) *Contra Donat. de Baptiſmo Lib.* IV. *cap. ult. Tom.* IX. *col.* 140. C.

a ferme innumerabilibus viris Doctis & piis, fontes hodierni vix a tribus retro ſeculis apud Chriſtianos ſunt introducti, eruti quoque ex quibuſdam manuſcriptis, quorum ætas, Auctores, & religio Auctorum, eorumque, qui ab injuria temporum ſervarunt, haud nobis certo innoteſcunt, & inſuper typis mandati ab editoribus maxima ex parte ſuſpectæ fidei. Ubi peritia ſermonis Latini, qua valemus ſine ambiguitate Vulgatam veterem intelligere, conſtanti ſeculorum ſerie in Eccleſia Occidentali floruit & viget, minime id affirmare poſſumus de peritia illius Linguæ Hebraicæ & Græcæ, quæ hodie in ſcholis traditur. Ubi tandem, ut alia miſſa faciam, circa intelligentiam fontium tot ferme occurrunt interpretationes quot ſunt Interpretes, ſecus circa intelligentiam Vulgatæ editionis; & conſequenter ſi tot aliiſque ſuper. expoſitis principiis editio Latina fontibus antecellit, iſti plane neque præferendi ſunt neque coæquandi.

531. *Probatur III.* Teſtimoniis Theologorum haud infimi ſubſellii. Ambroſius Catharinus Theologus Concilii Tridentini in Libello apologetico contra Cajetanum, paſſim eundem redarguit propterea quod plurimis in locis auſus fuerat detrahere tam Vulgatæ veteri, quam antiquo Interpreti, utrumque poſtponendo hodiernis fontibus & recentibus Interpretibus: legeſis præfatum Libellum, in cujus Præfatione Ambroſius proteſtatur eas Scripturas toto ſe corde ſuſcipere, pleno ore confiteri, & pro virili defendere quæ Apoſtolica auctoritate tradita ſunt, ut eſt Vulgata vetus; non autem illas quas ad fidem hodiernorum fontium tam Hæretici quam Cajetanus cæteriquo Hebraiſtæ noviter expoſuerant.

Melchior Canus (a): *Si qua morum & fidei quæſtio inter Catholicos exoriatur, eam definire oportere per Latinam hanc veterem editionem .... In fidei ac morum diſputatione*

(a) *Lib.* II. *de locis Theolog. Cap.* XIII. *p.* 53. *col.* 2.

tione non eſſe nunc temporis ad Hebraica Græcave exemplaria provocandum, nec ex iis certam controverſiarum fidem eſſe faciendam. Quod ſi Canus ita ſentit de Vulgata vetere quæ ſuo tempore ſcatebat nonnullis vitiis levioris momenti, multo magis idipſum aſſeruiſſet ſi inſpexiſſet eandem Vulgatam ab omnibus mendis ſub Sixto & Clemente perpolitam. Neque ſcrupulum in Lectorem iniiciant particulæ illæ *in fidei ac morum diſputatione*, tum quia Scriptura data eſt nobis pro regulandis iis rebus, quæ ſpectant ad fidem & mores, non autem quæ nullimode religionem tangunt; &, inſuper Canus ſcribebat eo tempore, quo exemplaria Vulgatæ immunia erant ab iis tantum vitiis, quæ fidem, & mores non lædebant.

Sixtus Senenſis (*a*): *Si rejectis vetuſtis editionibus, recentiores quotidie tranſlationes in Eccleſiam introducere contendimus, quis erit aut finis, aut modus interpretandi ſacros libros . . . . . . ; dum interpretes* (fontium) *ſumma inter ſe diſſentione certantes, alter alterum rejicit, confutat & damnat . . . . Quod ſi quis ſuperveniens dixerit, neutri editioni ſtandum, ſed ad Græcos, vel Hebræos fontes recurrendum, ut eorum lectione, propoſita controverſia finiatur, ſtatim longe acrior naſcetur contentio, dum uterque in ſuo errore pertinax, aliter, atque aliter Græcam, vel Hebræam vocem vertendam eſſe contendet, præcipue ſi vox ambigua fuerit, ut innumeræ pene apud Hebræos ſunt . . . Itaque ut auferantur de medio omnes altercationes, dubitationes, & hæreſes, quæ ex diverſitate multarum editionum oriri poſſent, aliquam oportet eſſe interpretationem . . . Eccleſiæ determinatione probatam, cujus auctoritate omnes ejuſmodi controverſiæ tollantur.*

532. Thomas Stapletonus (*b*) diſſerens de Scripturis primo traditis ſermone Hebræo, poſtea Græco, tandem La-

D 2 tino,

(a) *Lib.* VIII. *Biblioth. S. Hæreſi* XIII. *tom.* II. *p.* 1099.
(b) *Controv. V. de Poteſt. Eccleſ. Quæſt.* III. *art.* 2. *p.* 525.

Digitized by Google

tino, concludit quod corruptis & varietate compugnantibus exemplaribus Hebraicis & Græcis, *Sola* ſubdit *Latina verſio, ſicut & Latinorum fides, pura & ſincera & orthodoxa remanſit.*

Gregorius de Valentia (*a*): *Ex dictis intelligitur nullo modo auctores illos audiendos eſſe, qui adhuc poſt Concilium Tridentinum contendunt, poſſe etiam nunc editionem Vulgatam per Hebraicos & Græcos codices tanquam per fontes (ut ajunt) in locis aliquibus, quod ad ipſam ſententiam attinet, emendari.*

Villalpandus (*b*): *Propter Hebræos, Græcos, aut Chaldæos Textus non licet recedere a Vulgata*, & alibi (*c*): *Neque enim piis viris licet levioribus quibuſdam grammatices obſervationibus S. Patres Eccleſiæ lumina reprehendere, nedum ſacram ipſam Vulgatam & probatam lectionem carpere quam nos & tueri pro viribus, ut tenemur, profitemur; itaut nullius vereamur pro ejuſdem defenſione ſubire vel offenſionem, vel reprehenſionem.*

Sforza Pallavicinus, in anteceſſum indicata corruptione hodiernorum fontium Hebræi & Græci infert (*d*): *Onde ora que' Teſti non ſono idonei teſtimoni a dimentire una ſpoſizione* (Latina) *sì lungo tempo ricevuta dalla Chieſa.*

Joannes Morinus (*e*): *Iniquiſſimum enim erat Eccleſiam Catholicam, quæ a Spiritu S. dicitur & conſtituitur columna & firmamentum veritatis, velut ſibi diffidentem ad infenſiſſimos hoſtes poſt tot ſecula veritatis diſcendæ cauſſa relegare & compellere . . . Hæc quis credat niſi reverentiam erga Eccleſiam prorſus exuerit, animumque induerit adverſus eam plane hoſtilem, & immani odio efferatum? . . . Eccle-*

ſia

(a) *Lib.* VIII. *Analyſeos cap. V. penes Morin. Lib.* I. *Exercit.* I. *cap.* 2. *p.* 13. *col.* 2. *D.*
(b) *In Ezechiel. Lib.* II. *Cap.* XXXII. *Tom.* III. *p.* 406. *col.* 2. *D.*
(c) *Lib.* III. *Cap.* XVII. *p.* 473. *col.* 1. *B.*
(d) *In Hiſtor. Concil. Trid. Lib.* VI. *Cap.* XVII. *n.* 3. *p.* 649.
(e) *Lib.* 1. *Exercit.* 1. *cap.* 1. *p.* 6. *col.* 2. *D.*

Digitized by Google

ſia vero Vulgatam verſionem incorrupte conſervatam fuiſſe teſtatur, ab eaque ad fontes provocare vetat: quid ultra tergiverſamur, ipſique fidei diffidimus?

Guido Michael le Jay (*a*): *Quod vero Hebræo aliiſque Contextibus minus quam Vulgatæ verſioni ducimus deferendum nemo equidem nos erroris redarguat, niſi Evangeliſtas etiam ipſos, Apoſtolos, & priſcos omnes naſcentis Eccleſiæ Patres, ſimul audeat reprehendere, qui . . . ex LXX. potius interpretum verſione, quos tum Eccleſia ſequebatur, quam ex Hebræo fonte licet ſtante adhuc veteri Synagoga teſtimonia ſua . . . repetierunt.*

533. Joannes de la Haje (*b*): *Hac noſtra ætate non poſſe aliquem in controverſiis & diſputationibus ſive lectionibus verba aliqua Vulgatæ translationis reiicere, & ad Hebraica exemplaria recurrere.*

Bonfrerius (*c*): *Majorem verſionis noſtræ auctoritatem eſſe debere, quam Textus Hebraici. Catholicis loquor, nam frendeant oblatrentque Hæretici, per me licet.*

Fraſſenus (*d*): *Sequitur* (ex monumentis quæ antea expoſuit) *majorem verſionis noſtræ Vulgatæ auctoritatem eſſe debere, quam Hebraici Textus bodierni, tametſi frendeant oblatrentque Heterodoxi.* Similia ex eodem exſcripſimus n. 52.

Vincentius Gotti (*e*): *Eccleſia non permittit recurſum ad Textus Hebraicos & Græcos pro corrigenda ex illis Vulgata . . . nam Vulgata ab Eccleſia declarata eſt authentica, & conformis ſuo Originali puro & ſincero; Textus autem Hebraici & Græci qui modo ſunt, non ſunt ab eccleſia declarati ut tales, neque deciſum, eos eſſe fontes ſeu Originalia pura ac ſincera: non eſt autem emendandum id, quod nobis certo conſtat eſſe purum, & authenticum per id, quod nobis certo non conſtat*

(a) *In Præfatione Polyglot. Pariſ. p.* II.
(b) *In Proleg. ſect.* XVI. *Cap.* III. *Tom.* 1. *p.* 80.
(c) *Proloquior. in Sac. Script. Cap.* XIII. *ſect.* V.
(d) *Diſquiſit. Bibli. Lib.* II. *Cap.* V. *p.* 338.
(e) *De verit. Relig. Chriſt. Cap.* VIII. §. III. *Tom.* II. *p.* 173.

Digitized by Google

ſtat eſſe tale . . . ideo ſtante diverſitate inter Textus & Vulgatam, non poſſumus tuto affirmare mendum eſſe in Vulgata, ſed potius in Textu, nec corrigere Vulgatam per Textum, ſed potius Textum per Vulgatam.

Antonius Caſinus tandem, ut alios bene multos Theologos prætermittam (*a*): *Ex Concilii decreto nulla prætendi cauſſa poteſt, reiiciendi teſtimonium Vulgatæ: ergo nec propter Textus Originales reiici poteſt: ergo Textuum Originalium tantum valet auctoritas, quantum permittit Vulgata: ergo a Concilio non ſolum Vulgatæ poſthabiti, ſed etiam ſubditi ſunt.*

534. His itaque tot virorum Catholicorum ſententiis exue quæſo Lector optime ſi eam perſuaſionem induiſti, qua Waltonus aliique Recentes affirmant, *quid opus eſt teſtimonia coacervare, quum habeamus Eccleſiæ Romanæ viros doctiſſimos quorum aliqui Concilio Tridentino interfuerunt, confitentes nihil contra Textuum Originalium authentiam Concilium decreviſſe, nec Vulgatam Latinam fontibus prætuliſſe:* namque habes Catharinum, Canum, & Salmeronem, qui Concilio interfuere, habes Sixtum Senenſem qui eodem tempore floruit, habes tot alios Theologos, qui non interrupta ſucceſſione adſertum noſtrum prodiderunt. Fateri non vereor, pleroſque horum aliorumque Theologorum interdum adverſæ quoque ſententiæ ſuffragium præſtare; ſed unum ſcio, in duobus oppoſitis minime veritatem, quæ una & indiviſibilis eſt, ineſſe poſſe: hinc divinis oculis perſpectum eſt, utrum gloriolæ captandæ, an reperiendi veri cauſſa quartum argumentum directe adverſus eos Catholicos qui oppoſitum ſentiunt, ut ut ſum, ſubiiciam.

535. *Probatur IV.* Concilium Tridentinum Latinam veterem editionem declaravit authenticam, quam poſtea Sixtus V. caſtigavit, & Clemens VIII. prodidit in lucem; ſed ex quo Concilium Vulgatam declaravit authenticam, de

(a) *In Encyclopæd. diſput.* IV. *p.* 31. *col.* 1.

de conſequenti eam prætulit hodiernis fontibus Hebræi veteris Teſtam. Græcive novi; ergo Catholici, quorum religio eſt parere Tridentino decreto, oportet aſſertum noſtrum adoptent & tueantur. *Probatur min.* Concilium idcirco veterem Latinam editionem declaravit authenticam, ut opportunum remedium adhiberet pro extirpatione ſceleſtiſſimæ Hæreſis illius temporis, qua Sacramentarii, Anabaptiſtæ, Servetani, & Lutherani aſſerebant teſte Sixto Senenſe (*a*): *Rejectis omnibus ſacroſanctæ Scripturæ editionibus quibus hactenus Eccleſia uſa eſt, novis editionibus, ut certioribus ac fidelioribus utendum*; ſive ut fert Salmeron (*b*): Hæretici illius temporis contendebant falſitatis aut aperti mendacii convincere veterem Latinam editionem, ut confeſtim opponerent: *veterem Eccleſiam quæ ſine veris & ſinceris Scripturis fuit, Eccleſiam Dei veram minime fuiſſe, & a ſeipſis, & ſua ætate qui veras Scripturæ interpretationes ſe habere jactitant, veram Dei Eccleſiam ortam fuiſſe*; atqui ſi Concilium vi decreti Vulgatam veterem non antetuliſſet fontibus, tunc nullum penitus remedium adhibuiſſet pro extirpatione hujus hæreſis: quandoquidem ſicut ex ſuppoſitione, quod Vulgata non fuerit vi Tridentini decreti prælata fontibus, infertur, Eccleſiam Chriſti aduſque tempora illorum Hæreticorum nuſpiam habuiſſe veras Scripturas, ſicque veram Eccleſiam non fuiſſe; ita tenendo quod Concilium vi decreti Vulgatam prætulerit fontibus, conſequens eſt, Eccleſiam ſemper habuiſſe veras Scripturas, atque ita ſemper veram Chriſti Eccleſiam fuiſſe. Utramque partem pro novitiis latius expendam: quoad primam, ſuppoſito enim quod vi Tridentini decreti Vulgata non fuerit prælata fontibus, conſectarium eſt, in omnibus locis in quibus Vulgata diſcrepat ab hodiernis fontibus, fontes eſſe ſinceros, Vulgatam vero vitioſam; quid enim ſigni-

(a) *Lib.* VIII. *Biblioth. S. Hæreſi* XIII. *tom.* II. *p.* 1099.
(b) *Proleg.* III. *p.* 24. *col.* 2.

Digitized by Google

gnificat Vulgatam non præferri fontibus, niſi quod ipſius auctoritas dependeat a fontibus, & quod iis tantum in locis habenda ſit pro ſincera in quibus congruit cum fontibus; in quibus vero diſcordat non fontes, ſed ipſam habendam eſſe pro vitioſa? Quum itaque pene innumerabilia ſint Scripturarum loca, in quibus Vulgata & fontes hodierni inter ſe collidunt, plane juxta datam hypotheſim Vulgata de mente ipſius Concilii Tridentini innumerabilibus ferme vitiis referta eſſet; quumque tandem compertum ſit, Eccleſiam Chriſti ab exordio uſque hodie nuſpiam habuiſſe uſum Hebræi Textus, & Eccleſiam Latinam neque Hebræi neque Græci, quis adeo hebes qui non concluderet cum præfatis Hæreticis, quod ſicut Eccleſia aduſque ea tempora veram Scripturam non habuit, ita vera Dei Eccleſia non fuerit? Quoad ſecundam partem eodem pacto diſcurre: quum Vulgata vetus vi Tridentini decreti prælata fuerit non tantum Latinis editionibus, ſed ipſis quoque fontibus, profecto radicitus excidit allegata hæreſis; quoniam ſicut in locis in quibus Vulgata diſcrepat a fontibus, Concilium Vulgatam agnovit pro ſincera & canonica, fontes vero pro vitioſis; ita infertur quod Eccleſia Latina, quæ ab initio perpetuoque ſeculorum uſu Vulgatam conſecravit, veram ſemper habuit Scripturam, & per conſequens notis veræ Eccleſiæ ſemper inſignita.

536. *Dices*. Patres Tridentini conceptis verbis explicant in ſecundo decreto, idcirco declaraſſe Vulgatam authenticam, ut nimirum ex tot Latinis editionibus qui tunc circumferebantur, innoteſceret, quænam habenda foret pro authentica; ergo in Tridentinos minime inceſſit ſtudium coercendi præfatam Hæreſim: & maxime quod hujuſmodi ſtudium neque Sixtus Senenſis neque Salmeron tradunt, Tridentinos fuiſſe ſubodoratos. *Præterea*, minime inferendum eſt, Eccleſiam veterem caruiſſe veris ſinceriſque Scripturis ex quo Vulgata vetus, qua uſa eſt Latina Eccleſia, ſit vitiis obnoxia ob idque a Concilio poſtpoſita fontibus;

ſicut

Digitized by Google

ſicuti, licet ante Hieronymianam verſionem nullus eſſet Latinus codex, qui ab omnibus mendis eſſet immunis, non inde infertur Eccleſiam Latinam tum temporis caruiſſe ſinceris Scripturis; quandoquidem ut Eccleſia cenſeatur veras Scripturas habuiſſe minime requiritur, ut in uno duntaxat codice habuerit, ſed ſufficit ſi integritas Scripturarum nuſpiam abſuerit ab ipſa omnium Biblicorum codicum univerſitate, ut ipſe faſſus es num. 99. & 121.; & hac quidem de cauſſa gregales eorundem Hæreticorum gracilem hanc conſecutionem excogitatam neque adoptarunt, neque in memoriam revocant: immo Riccardus Simonius obſervat, varietatem lectionum & vocum conſentire ingenio Eccleſiæ, ut quæ in Miſſalibus aliiſque Eccleſiaſticis libris retinet quaſdam lectiones & voces, quæ aliter habentur in Vulgata, ſicut & in martyrologio ampleċtitur in vigilia Nativitatis Domini chronologiam juxta verſionem Italam ſive ſecundum LXX., non autem ut habetur in Hebræo & in vulgata Hieronymi, ſive Clementina.

537. *Contra*. Ratio qua Concilium authenticam declaravit Vulgatam veterem *ut innoteſceret &c.*, non removet a PP. Tridentinis ſtudium confutandi allegatam Hæreſim; quemadmodum licet ex verbis Concilii eruatur, Vulgatam veterem ideo probatam fuiſſe, quia in ipſa Eccleſia longo ſeculorum uſu conſecrata fuerat, hoc non impedit quo minus Patres fuerint ab illis pariter momentis excitati, quæ num. 482. protulimus. *Item*, Recentiores innumerabiles pene interpretationes eidem attribuunt decreto; non obſtante quod directe adverſentur verbis ejuſdem decreti, necnon duarum præfationum Bibliorum Sixti V. & Clementis VIII., ut ex dictis & dicendis quiſque ſtudioſus non ignorabit; itaque ſi ex modo depromptis auctoritas Vulgatæ tantam habet indiſpenſabilem connexionem cum præfata Hæreſi, ut ipſa antelata fontibus Hæreſis evaneſcat, & ipſa poſtpoſita magnum Hæreſi pondus accedat, quo potiori jure non erit ſentiendum & pro certo adoptandum,

dum, idcirco Tridentinos prætuliſſe Vulgatam hodiernis fontibus, ut quoque ſubortum monſtrum ſtatim interimerent? *Item*, Sixtus Senenſis iis unice rationibus, quæ concludunt Vulgatam præferendam fontibus, quæque ex num. 531. intellexiſti, allegata Hæreſi confutata immediate ſubdit: *Proinde hoc animadvertens ſacroſancta Tridentina Synodus, recte in Seſſione quarta, decreto ſecundo ſancivit, ut ex omnibus Latinis editionibus quæ circumferuntur ſola vetus & Vulgata editio . . . pro authentica habeatur*: idem itaque Sixtus, quoad præſens momentum facem nobis prætulit.

Ad ſecundum. Idcirco per adverſarios fontes præferendi ſunt Vulgatæ, quia tenent, veras ſincerasque Scripturas contineri in hodiernis fontibus, non autem in Vulgata veteri niſi in quantum cum eiſdem fideliſſime congruat; adeout diſcordantibus ad invicem, non fontes, ſed Vulgata habenda ſit pro vitioſa: porro hujuſmodi falſo principio nixi, Vulgatam tot vitiis refertam traducunt in ſuis annotationibus & tractatibus, ut nullam paginam nullumque continuum ferme verſum in ipſa agnoſcant non aliquo errore fœdatum; taliter quod ſi ipſis fidem adhibuerimus, Vulgata de veris diviniſque Scripturis neque quartam partem complectatur. Quod ſi vero res ita ſe habet, quomodo ex præferentia fontium non rite inferetur, Eccleſiam, quæ unice & ſemper Vulgata uſa eſt, divinis ſinceriſque Scripturis caruiſſe? major pars trahit ad ſe minorem, ſicque ſi juxta hypotheſim Criticorum maxima Vulgatæ pars vitioſis Scripturis ſcatet, plane Eccleſia vitioſa Scriptura uſa erit, uti argumentabantur ſupradicti Hæretici. *Veniam ad paritatem*, utique Eccleſia Latina ante Hieronymianam verſionem habuit veras integraſque Scripturas non in uno codice, ſed in ipſa generali codicum univerſitate; ſed non eo ſenſu quo ab adverſariis perperam ſupponitur, alioquin etiam tunc temporis Eccleſia veris Scripturis caruiſſet. Idcirco dicimus, ante Hieronymianam verſionem Eccleſiam Latinam habuiſſe veras Scripturas, quia Itala, utpote Te-

xtus

xtus Originarius ejuſdem Eccleſiæ, veras ſincerasque Scripturas complectebatur, & iis tantummodo locis erat vitioſa, in quibus diſcordabat a fontibus illius temporis, non quidem indiſcriminatim & ubicumque, ut lubet Criticis, ſed duntaxat ubi limpide fluebant, & inſuper hujuſmodi ſincera loca fontium in Itala videbantur alium ſenſum redolere, ſicuti oſtendimus num. 125. & ſeqq.; proindeque ſicut mendæ, quæ irrepſerant in Italam, vix ad minimam partem totius ſacri codicis redigebantur, ita Eccleſia, quæ Itala utebatur, recte cenſetur veras Scripturas eo tempore habuiſſe; quoniam ſi major pars trahit ad ſe minorem, a fortiori maxima ad ſe minimam trahet. Quum vero opponitur, propter præfatas mendas Eccleſiam tunc habuiſſe integritatem Scripturarum non in uno, ſed in ipſa generali codicum univerſitate, hoc incitamento potius eſt, ut validius ipſos Criticos perſtringamus: ſi enim illa pauca loca, in quibus Itala diſcordabat ab Autographis, fuerunt cauſſa, ut Eccleſia non in ſola Itala, ſed in ipſa generali codicum univerſitate haberet ſinceras integraſque Scripturas, quid dicendum erit ſi adhærebimus Recentioribus aſſerentibus, Vulgatam hodiernam tot in locis vitiis abundare in quot diſcrepat non quidem ab Autographis, neque ab illis codicibus fontium, qui circumferebantur Hieronymiano tempore, ſed ab hodiernis longe amplius injuria temporum, ſcribarum oſcitantia, & etiam Judæorum & Hæreticorum malitia conſtupratis, conſpurcatis, mirum in modum corruptis? quomodo non inferemus, Vulgatam hodiernam neque quartam partem ſanctarum Scripturarum complecti, ſicque Eccleſiam Latinam vere ſanctis Scripturis caruiſſe, & etiamnum carere?

538. *Ad probationem paritatis*. In primis obſerves velim, quomodo Adverſarii hoc in rerum themate contrariis ventis inconſiderate ſeſe donant. Neminem latet, quanti ipſi faciant germanitatem ſingularum lectionum & verborum SS. Scripturarum, quantumque ſtuduerint & ſtudeant

Digitized by Google

eiſdem ſeligendis & ſtabiliendis. Non enim alio ſcopo ſe ſe dediſſe & incubuiſſe jactitant Regulis ſacræ critices, niſi ut vitaretur ea Scripturarum confuſio, quæ oritur ex variantibus lectionibus veterum codicum, & earundem unice præſidio ſtabiliretur vera genuinaque lectio, ſive vox a Spiritu Sancto profecta: eo inſuper hoc ſuper negotio progreſſi ſunt, ut pro ſtabilienda germanitate quarundam lectionum ſive vocum, etiam ſecundum eorundem ſyſtema minime pertinentium ad fidem aut mores, paſſim excitent inter ſe ebullientes tricas, moroſaque dubia, anxietates, jurgia, contentiones (*a*); at vide quomodo in præſentiarum ad oppoſitum extremum turpiter tranſeunt, nihil penitus de Scripturarum lectionibus verbiſque etiam gravioris momenti curam habentes: aſſerunt, quod ut Eccleſia cenſeatur veras Scripturas habuiſſe & habere, ſufficit, ſi eaſdem habeat in ipſa omnium codicum univerſitate; ulterius, prætoria auctoritate ſtatuunt, ſinceritatem & integritatem Scripturarum reperiri non tantum in fontibus, ſed in omnibus verſionibus (licet alibi id denegent); integram manere jactant Scripturæ auctoritatem in eiſdem omnibus Bibliorum codicibus Judæorum Hæreticorum & Catholicorum, non obſtante quod variis lectionibus ad invicem compugnent; quare addunt, varietatem lectionum nihil penitus fidei ſubſtantiam lædere, ex omnibus variantibus lectionibus nec unam eſſe unde vel Orthodoxæ fidei vel pietati ullum detrimentum inferri poſſit, in iis tan-

(a) *Sic ſuper hunc locum Geneſeos* XXVI. *v.* 24. Aquas calidas, *quæ voces nullimode per eoſdem adverſarios fidem cernunt aut mores: multi cum Pellicano contendunt ſubſtituendam ipſammet Hebræam* jamim, *tanquam nondum intellectam; Munſterus, Caſtalio, Vatablus, Clarius, Grotius, quos ſequitur Natalis ab Alexandro, reddunt*, mulos; *Santes Pagninus* aquarum congregationes; *aliique multi, quos inter Calvinus ejuſque gregales*, Onagros; *alii*, Symin; *quidam*, equas calidas; *Paraphraſtes chaldæus*, Gigantes, *tanti ergo adverſarii interdum faciunt quaſdam Vulgatæ voculas, & graviſſime de earundem genuinitate cauſſantur, ut ipſam Maſorethurum aliorumque circumciſorum ſuperſtitioſam criticam ſuperent.*

tandem quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt & ad fidem moreſque ſpectant, omnia Bibliorum volumina pura eſſe genuina & integra. Jam vero ex hiſce contrariis principiis clare adparet, nec ipſos Adverſarios conſtanter tenere, quod ad Eccleſiam ſufficiat integritas Scripturarum in omnibus codicibus diſperſa: ſi enim variantes lectiones nihil penitus ſubſtantiam fidei læderent, ſi ex omnibus variantibus lectionibus nec una eſſet unde vel. minimum detrimenti inferri poſſit circa fidem & pietatem, incaſſum plane tot regulas critices ſibi digeſſerunt ad ſtabiliendam genuinam Spiritus S. lectionem, incaſſum tot craſſos codices annotationum ediderunt ad hoc ut illuceſceret lectio correctior & magis exacta, incaſſum tot dubia excitarunt ut adcuratius & penſiculatius genuinitatem alicujus vocis definirent: ſi de varietate lectionum & verborum non eſt curandum, ut quid tot Vulgatæ lectiones & verba taxant? ut quid criminantur Patres Tridentinos, quia authenticum declararunt veterem Textum Latinum? ut quid conqueruntur de Romanis Correctoribus propter cuſtodiam quarundam lectionum & vocum veteris Interpretis, quæ ipſis non placent (a)? ut quid tandem enixis votis tam privatis quam publicis poſtulant, & exoptant, ut Eccleſia ablegato Clementino exemplari novum Bibliorum perfectius exemplar condere faciat, atque proponat fidelibus utendum (b)? annon iſta manifeſtiſſima indicia ſunt, quibus ipſimet Adverſarii oſtendunt probe deprehendere & agnoſcere, quanti interſit Eccleſiæ Dei habere integerrimas Scripturas in codicibus ejuſdem penitus exemplaris Latini, cujus ſinguli codices non tantum complectantur ſenſus Spiritus S., ſed ejuſdem quoque ſingula verba, quæ nimirum primus Interpres vel Interpretes Latini, ſicut & S. Hieronymus peculiari Spiritus S. flatu in ſuis codici-

bus

(a) *Ut innuimus num.* 466. *de τὸ* Firmamentum, *&* *de voce* Ipſa *paragrapho octavo ſuperior. Cap.*

(b) *Huc etiam referre poteris quæ exponentur num.* 574.

bus conſignarunt ? Adverſarii itaque non veritatis ſtudio reponunt , ſat eſſe Eccleſiæ habere Scripturas in univerſitate codicum , & variantes lectiones nihil integritudini Scripturarum , & utilitati Eccleſiæ obeſſe ; bene vero huc confugiunt , ut mediantibus hiſce decipulis noſtra argumenta eludant , ut quoque ſuadeant neque in codicibus Clementinis ſinceram integramque Scripturam contineri , & tandem præſto eiſdem ſit ſubterfugium & velamentum , quo impune valeant ſæpe detrahere Vulgatæ Clementis , ſive veteri , nec non ab eadem licenter declinare . Quid tum ? Quum præfatam ſtropham non alio momento ſuadeant , niſi eo præjudicio quo putant , Eccleſiam Latinam nuſpiam habuiſſe veras integraſque Scripturas in illis ſolis codicibus Latinis quibus uſa eſt , ideo

539. *Nota*, quod Romana Eccleſia tametſi a primo uſque hodie integerrimas Scripturas etiam quoad minimum apiculum conſtanter habuerit , non tamen ſemper eodem modo . *Ab initio* habuit apud Autographos latinos quos ediderunt aliqui Apoſtolorum aut Apoſtolorum diſcipuli , adeout in hypotheſi quod fuiſſent omnes codices fontium & verſionis viralis tunc deperditi , adhuc nihil penitus Eccleſiæ defuiſſet de ſincero & integro Scripturarum codice ; quod ſi quis id denegabit , opus eſt afferat divinam providentiam majoris benevolentiæ teſtimonio proſecutam fuiſſe Synagogam Judæorum quam poſtea deſeruit , & Eccleſiam Græcam , quæ tot turpiſſimis hæreſibus & ſchiſmatibus maxima ex parte defecit , quam Eccleſiam Romanam a Deo aliis duabus prælatam , & poſitam pro columna & firmamento veritatis : hoc enim in caſu ubi Hebræi & Græci ditati fuiſſent Autographis Scripturarum ſinceris & integris , filii Romanæ Eccleſiæ nec ab initio hujuſmodi privilegio participes effecti , ſicque hanc ob cauſſam Hebræi & Græci merito poſſent Latinis inſultare , & de eiſdem creſcere ; quod quam nos dedeceat , noſtriſque turpe & probroſum , viri quique cordati

dati videant (a). *Circa initium ſecundi ſeculi*, corruptis omnibus ſingulisque codicibus Hebraicis & Græcis, eadem depravatio fluxu temporis ſenſimque in omnes quoque Latinos codices transfuſa eſt, unde contigit, ut ſicuti multa divina oracula ab eiſdem fuerunt detracta, aut conſpurcata, ita Eccleſia Latina neque in aliquo uno Latino codice, neque in ſolis codicibus Latinis, ſed in ipſa tantummodo univerſitate codicum Hebraicorum, Græcorum, & Latinorum integerrimas Scripturas tunc habuerit; cum hoc tamen quod minima duntaxat pars deſiderabatur in codicibus Latinis, ut bene percipi poteſt ex paucitate locorum, quæ in ſua nova verſione Hieronymus præſidio Orientalium voluminum aut ſupplevit, aut expunxit, aut immutavit, quæque relative ad totum Bibliorum codicem vix minimam partem conſtituebant. *Sub oram quinti ſeculi*, Hieronymiana verſione in lucem edita, & loco veteris Italæ communiter uſurpata, denuo Latina Eccleſia obtinuit integerrimas Scripturas in omnibus ſolis & ſingulis illis Latinis codicibus, qui exactiſſime & emendatiſſime reſpondebant Hieronymiano Autographo; quo quippe peculiari Dei beneficio potita fuit adusque quartumdecimum ſeculum. Non denego in Latinos codices, quorum uſum Eccleſia illo intermedio tempore habuit, irrepſiſſe aliqua menda; ſed quia tunc non erant qui dubitarent de exacta eruditione D. Hieronymi, aut contenderent Textum Latinum denuo adpendendum ad ſtateram fontium, & inſuper omnes alii codices Latini harmonice confluebant ad detegenda ea menda, quæ in unum vel alium codicem fortuito irrepſerant, idcirco ea minime obſtiterunt quo minus Eccleſia in ſolis & ſingulis Latinis codicibus cenſeretur habere germanas integraſque Scripturas; ea profecto lege qua hodie Juriſconſulti pro integerrima habent Authenticam Juſtiniani, non obſtante quod ſingula exemplaria impreſſa ſuos nævos habeant, immo potiori jure

(a) *Legeſis quoque nuper expoſita num. 526. ex quibus alia argumenta expiſcari poteris.*

Digitized by Google

re propter communiorem uſum Biblicorum codicum, uti notavimus num.422.; ea pariter lege qua ſinguli codices Clementini nuper impreſſi cenſentur continere integra Biblia Vaticana ſub Clemente excuſa, non obſtante quod in quibuſdam minutis ab iſtis declinent. *Ineunte quintodecimo ſeculo*, ab iniquiſſimo humani generis hoſte, accenſo ardentiſſimo igne, propter cauſſam Joannis Reuchlini, inter Theologos & Rhetoricos, necnon vaferrimo Eraſmo excitato ad cantandum pro Rhetoricis (*a*), & ſuadendum ea dicteria, de quibus num.430., quæque Lutherani Calviniſtæ aliæque portæ inferi cum quibuſdam etiam Catholicis deſponſarunt; pariter eodem tempore introducta arte typographica in multas Europæ primarias urbes, brevi tempore eo res perducta eſt, ut Scripturarum germanitas non parvam ſubierit depravationem apud Latinos codices; itaut ſi Concilium Tridentinum huic malo non providiſſet mediante decreto de authentia Vulgatæ & Regulis indicis, quibus taxavit non tantum omnes editiones Latinas ab Hæreticis editas, ſed etiam Iſidori Clarii & Vatabli, certe integritudo Scripturarum deperdita eſſet tam apud ſingulos Latinos codices, quam apud ipſam Latinorum codicum univerſitatem, eo penitus modo ac Hieronymiano tempore, immo perniciofius propter humana præſidia (codicum nimirum & linguarum orientalium) longe ineptiora iis quæ aduſque Hieronymianam ætatem ſatis viguerunt, quæque Hieronymo valuerunt ſuppetias ferre. *Tandem prope finem ſextidecimi ſeculi*, reſtituta per S. Sedem priſtino nitori Vulgata veteri, Eccleſia Romana tertio feliciter impetravit in omnibus, ſolis, & ſingulis codicibus Clementinis germanas integraſque Scripturas; taliter ut quantum ſpectat earundem genuinitatem & integritatem, nullimode opus habeat aliis Bibliacis Contextibus Hebraicis, Græcis, aliaque quavis lingua conſcriptis. Quo præ-

(a) *Legeſis Dominicum Berninum Hiſtor. Hæres. Seculo* XVI.*cap.*II. *Tom.* IV.*p.*245.*item, quæ obiter proſeremus n.*573.

præfato plane eruis, quid reſpondendum ſit Neotericis gannientibus, nihil obſtare ſi in Vulgata Clementis ſuperſint menda corrigenda, & in eadem ſola non contineatur Scripturarum integritas, quum ſemper in ipſa codicum univerſitate Eccleſia eam habuerit; vides enim, quod ubi Adverſarii per univerſitatem Biblicorum codicum ſubintelligunt generatim, & pro omni tempore codices tam Latinos, quam Hebraicos, Samaritanos, Græcos, Syros &c., e contra bene intellexiſti, eo tempore excepto quo ante Hieronymum varietas codicum abundabat, cæterum tam ante quam poſtea uſque hodie, ſemper apud ſolos Latinos codices Romana Eccleſia integerrimas Scripturas habuit. *Addas*, ubi Adverſarii loquentes de Eccleſia nondum utente Hieronymiana Verſione, ſupponunt, eam habuiſſe integritatem Scripturarum potiſſimum & maxima ex parte apud codices fontium, bene noviſti, hoc nec eſſe verum, nec tanquam verum defendi poſſe; & per conſequens quidquid in præſidium ſuæ hypotheſis Adverſarii eruunt ex præfata cantilena, totum, utpote mendaciis ſubnixum, falſum, fictitium, commentitium.

540. *Ad poſtremam partem inſtantiæ*. Si nonnulli recentes Hæretici ex præferentia fontium non inferunt cum ſuis anteſignanis, Eccleſiam veterem caruiſſe veris Scripturis & notis Eccleſiæ Dei, veriſimile eſt id feciſſe, ne hujuſmodi pravitatis monſtro terrerent Criticos Catholicos ab adoptando ſuo ſyſtemate, quo fontes Vulgatæ præferunt: cæterum ſicut ſuorum Auctorum perfida opinio fuit reiicere veteres editiones, & loco earum novas obtrudere, ſub velamento quod fideliores eſſent & certiores, hoc ipſiſſimum tuentur hodierni Critici; quandoquidem, ut cuique innoteſcit, iſti quoque colore ditandi Eccleſiam exactioribus Scripturis paſſim optant monentque, editionem Clementinam, quæ eſt ipſa Vulgata vetus, poſthabendam, novamque a linguarum peritis elucubrandam, & ad uſum publicum deducendam: ita Waltonus, cujus votis conſentiunt Riccardus Simonius, Nata-

lis ab Alexandro, Jacobus Le Long, plerique alii de noviſſimis Scriptoribus. *Quod ſpectat obſervationem Riccardi*, nuſpiam Eccleſia ſomniata eſt patrocinari varietati lectionum, quinimmo eidem vitandæ & diſperdendæ diligenter occurrit, tum mediante decreto Concilii Tridentini, quo inter omnes Bibliacos Textus & Contextus ſolam Vulgatam pronuntiavit authenticam, tum mediante editione Vulgatæ correctæ, cui ex præcepto S. Sedis omnes fideles adhærere tenentur, nihil nimirum de ea immutando addendo, vel detrahendo (*a*). Quod ſi autem Eccleſia retinet in Miſſalibus, in Martyrologio, aliiſque libris eccleſiaſticis quaſdam lectiones Vulgatæ veteris, unice ut oſtenderet magnam rationem quam habet venerandæ antiquitatis; ſive veteris Eccleſiæ Latinæ, quæ interdum illis lectionibus & vocibus uſa eſt: quare Marius Alterius Theologus & Canonicus Baſilicæ Vaticanæ exponens, cur Baſilica Vaticana utatur pſalterio veteris Italæ, & non illud quod a Hieronymo fuit emendatum, ab univerſa Eccleſia receptum, & in Vulgata continetur, *ob magni* fert (*a*) *certe faciendam antiquitatis auctoritatem*. Cæterum vel ſi alia abeſſent, ecquis non deprehendet conſilium Eccleſiæ quam longiſſime diſtare a ſtudio Criticorum? illa retinet eas duntaxat variantes lectiones & voces quibus vetus Eccleſia uſa fuit, Critici proferunt in medium lectiones & voces quas nuſpiam Latina Eccleſia uſurpavit: Eccleſia variantibus lectionibus & vocibus quas retinet, nihil penitus auctoritatis tribuit in detrimentum Vulgatæ Hieronymianæ ſive Clementinæ, Critici eo fine variantes lectiones pronuntiant, ut validius Vulgatæ detrahant: Eccleſia cuſtodit quaſdam variantes lectiones ut teſtimonio veteris Eccleſiæ confirmet auctoritatem ſuam, Critici obiiciunt variantes lectiones fon-

tium

(a) *Alias his conducentia habes num.* 383. *& ſeqq.*
(b) *Apud monitum præfixum Breviario Romano ad uſum Cleri Baſilicæ Vatic. edit. Romæ an.* 1673.

Digitized by Google

tium aliorumque Contextuum, ut infirment Textum Latinum quo uſa eſt tam vetus, quam hodierna Eccleſia (*a*). Simonius itaque perperam interpretatur ingenium Eccleſiæ ſuffragantis nonnullis variantibus lectionibus (*b*).

541. *Obiicies I.* cum Waltono (*c*). *Conſtans hæc erat veteris Eccleſiæ ſententia. Auguſt. Lib.* 15. *de Civit. c.* 13. *hæc habet*. Quum diverſum aliquid in utriſque codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum geſtarum utrumque eſſe non poteſt verum, ei linguæ potius credendum, unde eſt in aliam per Interpretes facta translatio. *Hieron. Epiſt. ad Suniam & Fretellam ſic ſcribit*, Sicut in N. Teſt., ſi quando apud Latinos quæſtio exorta eſt, & inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci ſermonis, quo novum ſcriptum eſt Inſtrumentum: ita in Ver. Teſtamento, ſi quando inter Græcos Latinoſque varietas eſt, ad Hebraicam recurrimus veritatem; ut quicquid de fonte proficiſcitur, hoc quæramus in rivulis. *Iterum in Epiſt. ad Lucinium*. Ut veterum Librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda eſt; ita novorum veritas Græci ſermonis normam deſiderat. *His addendus Ambroſius Lib.* 2. *de Spiritu S. c.* 6., Si quis de Latinorum codicum varietate contendit, quorum aliquos perfidi falſaverunt Græcos inſpiciat codices. *Ex his ſatis conſtat, quantum veteres fontes prætulerint verſionibus; iis vero, qui verſiones præferunt dico cum eodem Hieron. Epiſt.* 102. *ad Marcellam*, quibus diſplicet fontis unda puriſſima cœnoſos rivulos bibant. Hactenus Waltonus.

542. *Reſp. I.* Quam inepte Novatores ex præfatis ſententiis PP. eruerint, hodiernos fontes fore Vulgatæ præferendos, jamdudum demonſtrarunt noſtrates, quos inter do-

(a) *Legeſis num.* 647. 668.

(b) *Ex num.* 482. *eruere poteris alia momenta, quibus adſtringi poſſunt Catholici ad confitendum hodiernos fontes vi Tridentini decreti neque præferendos neque coæquandos Vulgatæ.*

(c) *Prolegom.* VII. §. 20. *p.* 285. *col.* 2.

ctiſſimus Salmeron, qui hiſce verbis rem expendit (*a*): *Obiici poſſet ex Hieronymi Epiſt. ad Lucinium: Ut veterum &c., & Auguſtinus diſerte affirmat Latinis quibuslibet Græcos adbibendos, eorumque, ſi fuerit neceſſe, auctoritate emendandos, tum in veteri, tum in novo Teſtamento. Reſpondemus, quod ut illo ſeculo id erat neceſſarium facere, ubi opus erat . . . quia erant varii lectionis Latinæ codices, ut ita inveniretur lectio caſtigatiſſima; ita jam, ubi una tantum Latina eſt translatio, quæ tot ſeculis per omnes Occidentis obtinet Eccleſias, non eſt neceſſarium facere.* Et ſane, quæſtio nobis non eſt de re aliqua, quæ nullimode pro temporum varietate mutationem ſubeat, ut ex. gr. utrum Deus ſit unus in eſſentia Trinuſque in Perſonis? utrum velit omnes homines ſalvos fieri? utrum Chriſtus ſit verus Dei Filius? utrum B. Virgo ſit Dei Genitrix? & conſimilia; ſed agimus de auctoritate fontium relative ad Textum Latinum, quæ quidem, ut neminem latet, nonniſi ex integritate & ſinceritate eorundem penſanda venit: porro integritas tam fontium quam Textus Latini aliter profecto ſe habuit temporibus Hieronymi Ambroſii & Auguſtini, aliter hodie; tunc temporis fontes licet in multis corrupti, non ita tamen depravati uti hodie habentur (*b*), & e contra codices Latini Textus, ubi tunc tanta varietate compugnabant ut viderentur tot eſſe exemplaria quot codices, modo dicere poſſumus, Autographum Latinum, quem primitus ediderunt aliqui Apoſtoli, aut Apoſtolorum diſcipuli, & poſtea D. Hieronymus priſtino candori reſtituit, tanquam in ſpeculo nos habere peculiari Dei beneficio & S. Sedis vi-

(a) *Prolegom.* IV. *in fine p.* 41. *col.* 2.

(b) *Memento quæ diximus num.* 70. *&* 455. *de diſcrepantia hodierni Hebræi ab eo quo Hieronymus uſus eſt; ſicut & Græci Textus hodierni non tantum in multis conſtuprati a Roberto Stephano, ut innuimus n.* 409., *ſed inſuper ubique variantis apud codices tam manuſcriptos quam impreſſos; addita quoque imperititia quæ hodie habetur illius Hebraicæ & Græcæ, quibus ſacri Textus conſcripti fuere a SS. Prophetis & Apoſtolis, ut in n.*435.

vigilantia apud omnes ſingulosque Clementinos codices; & conſequenter ſi codices tam fontium quam Latinæ verſionis longe aliter ſe habent hodie atque temporibus Auguſtini, quis non deprehendet præfatas veterum ſententias, quæ illo ſeculo rite ſubſiſtebant, modo neque currere, neque ad uſum deducendas: quemadmodum licet circumciſio ex. gr. ante adventum Salvatoris erat Hebræis medium neceſſarium ad ſalutem, poſt tamen Evangelii promulgationem evaſit fruſtranea immo lethifera; ita licet tempore, quo Latini codices ita variabant ut aliquibus in locis nihil certi verique poſſet ex ipſis erui, neceſſarium eſſet recurrere ad fontes, hac noſtra ætate quum in Clementinis codicibus habeamus eam exactiſſimam Latinam verſionem, quam Hieronymus concinnavit, codices fontium ſint longe amplius corrupti atque olim, & tandem minime Recentioribus affulgeat ea linguarum peritia quæ neceſſaria foret, plane recurſus ad hodiernos fontes non modo non eſt neceſſarius, ſed inſuper vanus & illicitus, ſicut & præfatæ PP. ſententiæ ad rem hodie non faciunt. Et vero, Eccleſia ſtatim ac adoptavit Hieronymianam verſionem penitus prætermiſit recurſum ad fontes, eaque ſola per multa ſuccedentia ſecula contenta fuit, ut ſequenti Demonſtratione enucleabimus; ergo multo magis hodie non indigemus fontibus, tum quia multo pluribus corruptelis ſcatent, tum quia deperdita eſt ea peritia linguarum quæ opus eſſet, & aliunde eadem penitus perfectiſſima Latina editione nunc fruimur. Ut autem res iſta ab ambagibus Neotericorum quibus affuſa eſt penitius vindicetur, & redimatur.

543. *Reſpondeo II.* Veteres PP. laudatis, aliiſque conſimilibus ſententiis commendarunt recurſum ad fontes, quoad effectum intelligendi clarius Textum Latinum eſto, quoad effectum emendandi eundem ſubdiſtinguo, generatim & quoad omnia loca in quibus Latinus diſcordabat a fontibus denegatur, quoad ea ſolummodo in quibus conſtabat omnes Latinos codices turbide fluere iterum diſtinguo, & hoc expe-

diens

Digitized by Google

diens fuit eo tempore concedo, etiam hodie tametſi limpide fluant inficiamur. Itaque Patres interdum commendarunt inſpectionem fontium, ut facilius clariuſque innoteſceret aliquis locus Latini Textus; ita SS. Ephrem & Hieronymus ex inſpectione Hebræi, hanc vocem Vulgatæ *ferebatur*, aſſumpſerunt etiam ad ſignificandum *incubabat*, *fovebat*, ut diximus num. 345.; & Auguſtinus præſidio Græci intellexit quid ſignificet illud *os* poſitum pſalm. 138. v. 15., de quo num. 495. Interdum commendarunt recurſum ad fontes quoad effectum etiam emendandi Textum Latinum, ut manifeſte colligitur tum ex allegatis ſententiis PP., tum ex facto Hieronymi, qui multoties adjumento fontium Italam editionem caſtigavit. Quod vero nemo veterum optarit vel monuerit, ut Latinus Textus generatim & quoad omnia emendaretur ad normam fontium conſtat ex eodem Hieronymo, qui permulta loca Italæ retinuit in ſua nova verſione, non obſtante quod non haberentur in fontibus (a), & ex Eccleſia veteri, quæ adoptavit & conſecravit Hieronymianam, tametſi in multis a fontibus diſſonaret. Si enim ſententia veteris Eccleſiæ fuiſſet, quod Latinus Textus generatim & quoad omnia emendaretur ad normam illorum fontium, ſive, quod fontes illius temporis præferrentur in omnibus verſioni Latinæ, tunc neque Hieronymus a fontibus uſpiam diſceſſiſſet, neque Eccleſia Hieronymi verſionem adoptaſſet. Neque tandem factum, quo Eccleſia Hieronymiano tempore permiſit, & voluit, Latinos codices aliquibus in locis emendari ad normam fontium, debet Criticis exemplo eſſe, quatenus ipſis quoque conveniat eidem negotio hodie incumbere; quoniam, ut non ſemel notavimus, diſpar eſt ratio: tunc temporis codices fontium licet corrupti, erant tamen melioris notæ, linguarum peritia exactior, & Latini codices magis variabant; modo fontes longe amplius depravati, notitia lingua-

(a) *Vid. num.* 61. *&* *ſeqq.* 126. *&* *ſeqq.* 163. *&* *ſeqq.*

guarum magis imperfecta, & Latini codices priſtino candori reſtituti; & conſequenter ſatis claret, quam inepte, quam frigide Waltonus relate ad hæc noſtra tempora uſurparit verba Hieronymi ad Marcellam.

644. *Inſtabis*. Magnus Aurelius Caſſiodorus licet floruerit circa dimidium ſexti ſeculi, quando nimirum Occidentalis Eccleſia, ad ſuam voluntatem, in privatis publicisque lectionibus conſecrabat Hieronymianam verſionem, adhuc monuit, quod ſi in eadem reperirentur verba abſurde poſita, intrepide corrigerentur ad normam fontium. *Quod*, inquit (a), *ſi alia verba reperiuntur abſurde poſita, aut ex his lectionibus quas B. Hieronymus in editione ſeptuaginta Interpretum emendavit; vel quos ipſe ex Hebræo tranſtulit, intrepide corrigenda ſunt: aut ſicut B. Auguſtinus ait, recurratur ad Græcum Pandecten, qui omnem legem divinam dignoſcitur continere collectam, vel quibus poſſibile fuerit, Hebræam Scripturam, vel ejus Doctores requirere non detractent. Docet enim, ut unde ad nos venit ſalutaris translatio inde iterum redeat decora correctio. Merito enim Patribus noſtris de hac re maxima cura fuit, ne tunica Domini, quam truculentis militibus ſcindere non licuit, lectoribus ſubiaceat imperitis*. Hactenus Caſſiodorus, quibus liquet, ſuperlaudatas ſententias veterum de recurſu ad fontes & de eorundem præferentia, æque ante Hieronymianam verſionem ac poſtea habuiſſe locum; ſicque etiam hodie juxta monitum veterum expedit, ut Vulgata Clementis etiam ſi ipſam Hieronymianam repræſentet, poſtponamus fontibus, & iſtorum adiumento eandem corrigamus.

545. *Reſpond*. Allegatum teſtimonium cum nonnullis aliis, quæ continentur apud Citatum Caput XV. non levi indicio ſunt, ut dicamus eadem fuiſſe interpolata, vel a primo editore Caſſiodori criticorum præjudiciis abrepto, vel ab ipſo Caſſiodoro minus adcurate dicta. Namque, ut cui-

(a) *Lib.* 1. *divinar. Lectionum Cap.*XV.

Digitized by Google

cuique evolventi præfationem & integrum Librum primum Divin. Lection. patet, Caſſiodorum tam bene ſenſiſſe de eruditione & verſione Hieronymi, ut fuiſſe videatur prædicator eximius: tradit quod Hieronymus ab Oriente inſtar ſolis, Eccleſiæ occidentali face eloquii ſui illuxerit, quod tantum cæteris Scripturarum interpretibus præſtiterit, ut poſt ipſum non amplius eſſet opus accedere ad Hebræum fontem (*a*), quod nonniſi auctoritate divina ſuam novam Verſionem colis & commatibus ordinarat (*b*), quod ſola Hieronymi diligenti cura Latinus Textus multorum tranſlatione variatus, fuerat emendatus, compoſitus, & Eccleſiæ traditus (*c*); *item*, conſequenter ad iſta poſt pauca ſubdit: *Reſtat nunc ut dicere feſtinemus quemadmodum Scripturis divinis Librariorum vitia corrigere debeamus*. Non enim ſpopondit ſe acturum de corrigendis vitiis Hieronymi, ſed Librariorum, qui nimirum non exacte tranſcripſerant Hieronymianum exemplar; & inter alias regulas, quas ad hunc finem conſignat capite quintodecimo præcipua videtur, haud tangenda & præcipitanter emendanda idiomata legis divinæ, ſive proprias locutiones, quas communis uſus non habere cognoſcitur, aut ea Hebræa nomina hominum vel locorum, quæ poſita ſunt ut ſervetur in eis linguæ ſuæ decora ſinceritas, aut quædam verba quæ videntur contra artem humanam, aut tandem caſus generaque nominum vel temporum humanis regulis non convenientia, quæque non ſine magno Sacramento appoſita ſunt; ſed ubi pendens emergat dubietas, eadem inquirenda apud auctoritatem *duorum*, inquit (*d*), *vel trium priſcorum emendatorumque codicum* (latinorum) . . . *ſcriptum eſt enim: in ore duorum vel trium ſtabit omne verbum, & præſumi non liceat quod divino vindicatur eloquio*. Quæ quidem vera rectaque prin-

cipia

(a) *Ita Lib.* 1. *cit. Cap.* XXI. *p.* 240. [illegible]
(b) *Loc. cit. cap.* XII. *p.* 234.
(c) *Cap.* XIV. *p.* 234. *a t.*
(d) *Cap.* XV. *p.* 236.

cipia minime congruunt cum teſtimonio ejuſdem Caſſiodori in obiecto expoſito, nimirum, in hypotheſi quod in Hieronymiana editione reperirentur aliqua abſurde poſita, intrepide corrigenda adiumento fontium; quam quidem diſſonantiam facile intelliges non tantum ex noſtro, quam etiam eorundem Criticorum ſyſtemate. Verum enim vero, quum ipſi teneant, Vulgatam Clementinam etiamſi ſit ipſa Vulgata vetus ſive ea quam Hieronymus edidit, examinandam & emendandam ad normam fontium, idcirco pro conſectariis habent, & quod Hieronymus interdum in ſua verſione erravit, & quod ſola humana eruditione eandem adornarit, & quod iſta complectatur non tantum vitia Librariorum; ſed ipſius quoque Hieronymi, quod non ſola inſpectione & collatione veterum codicum Latinorum, ſed quoque fontium perpolienda ſit, quod in eandem pariter ſubſtituendæ ſint tum locutiones ad noſtrum uſum aptiores, tum Hebræa nomina hominum & locorum ad normam hodiernæ Grammatices Hebraicæ, tum verba quæ noſtris Rhetoricis apprime quadrant, tum tandem caſus & genera nominum vel temporum hodiernis humanis regulis conſona; ergo quum Caſſiodorus tradat conſectaria oppoſita, profecto aut minus adcurate allegatum in argumento teſtimonium deſcripſit, aut, quod facilius crediderim, primus editor Caſſiodorum falſavit; eo ferme pacto, quo ab eiſdem Criticis parile facinus patratum eſt apud codices aliorum veterum (*a*). Dici quoque poteſt, quod ſicut curis Caſſiodori fuit tradere in citato Capite quintodecimo regulas vitiorum corrigendorum in Latinis Bibliis, ita retulerit regulam de caſtigandis erroribus ad normam fontium, non ad finem ejuſdem deducendæ ad uſum, ſed ut morem gereret veteribus PP., qui eam tradiderunt, & non ſine fructu executioni mandarunt. *Tandem*, tranſmiſſo, quod neutiquam concederem, Caſſiodori ætate hanc regulam viguiſſe, ne-

(a) *Vide num.506. & ſeqq.*

que id noſtris Criticis poteſt exemplo eſse propter diverſitatem, tam codicum fontium, quam linguarum: eo enim tempore Caſſiodorus ſcripſit, in quo nec Hebraicus Textus contraxerat Maſoretharum figmenta, neque Hebraica lingua fuerat oblivioni tradita (a).

Objectum ab auctoritate Theologorum magni nominis petitum.

546. Plerique doctiſſimi viri Eccleſiæ Romanæ, eorum etiam qui Concilio Tridentino interfuerunt, conficentur, nihil contra Textuum Originalium authentiam Patres decreviſſe, neque vulgatam Latinam fontibus prætuliſſe, aut coæquaſſe. Salmeron Proleg. III. *Nihil*, inquit, *de exemplaribus Græcis vel Hebræis agebatur: tantum inter tot editiones Latinas quot ſecula noſtra parturierant, quanam ex illis præſtaret, ſermo erat. Liberum autem reliquit omnibus qui Scripturas ſacras profundius meditantur, fontes Græcos, aut Hebræos, quatenus opus ſit, conſulere, quo noſtram vitio Librariorum, aut temporum injuria corruptam, emendare valeant. Licebit itaque nobis ſalva Concilii auctoritate ſive Græci, ſive Hebræi exemplaris lectionem variam producere, eamque ut verum Bibliorum Textum expendere, & enarrare &c.*

Andreas Vega *de Juſtificatione Lib. XV. cap. IX.* fert *primo*, quod Tridentina Synodus noluit Vulgatam tanquam de cælo delapſam adorari; *ſecundo*, quod ſciebat illius Interpretem non fuiſſe Prophetam, ac proinde neque cohibere voluit linguarum peritos, qui aliquando docent melius potuiſſe aliqua verti quam ex Vulgata editione habentur; *tertio*, quod Sancta Synodus probavit Vulgatam tantummodo in honorem vetuſtatis, & quia nullum complectebatur perniciosum errorem, ſubdens, hanc fuiſſe ipſius S. Synodi mentem. *Et*, inquit, *hanc fuiſſe mentem Synodi, nec quippiam amplius ſtatuere voluiſſe, ex verbis ipſis &* ex

(a) *Hiſce addas quæ dicturi ſumus n. 658.*

Digitized by Google

ex aliis conſuetis approbationibus Concilii potes colligere. Et ne dubites de his, veriſſime tibi poſſum allegare pro his Ampliſſimum & Obſervantiſſimum Dominum Sanctæ Crucis Cardinalem, de pietate, & de litteris, & ſtudioſis omnibus optime meritum, qui illi ſeſſioni & aliis omnibus præfuit, ac pridie quidem quam illud decretum firmaretur, & poſtea non ſemel mihi teſtatus eſt, nihil amplius voluiſſe Patres, firmare. Itaque nec tu, nec quiſpiam alius propter hanc approbationem Vulgatæ editionis impeditur, quominus ubi hæſitaverit, ad Fontes recurrat & in medium proferat quicquid habere potuerit, quo juventur & locupletentur Latini, & Vulgatam editionem ab erroribus repurgent, & quæ ſenſui Sanctorum, & ipſis fontibus ſunt magis conſentanea, aſſequantur.

547. Sixtus Senenſis Lib. VIII. Biblioth. San. diſertiſſime tradit in Vulgata, quam Concilium declaravit Authenticam *inveniri mendas, ſolæciſmos, barbariſmos, hyperbata, & multa parum accommodate verſa, & minus Latine expreſſa, obſcure & ambigue interpretata, itemque nonnulla ſuperaddita, aliqua omiſſa, quædam tranſpoſita, immutata, ac vitio Scriptorum depravata . . . Non tamen ex his ſequitur, Eccleſiam uſque in hanc diem non habuiſſe veram, ſinceram, integram, ac fidelem Novi Teſtam. editionem . . . Temerarium igitur eſt imo plane Hæreticum, propter leves quoſdam defectus, qui in noſtra Vulgata editione citra ullum fidei ac morum detrimentum reperiuntur, eam ſpernere, & abjicere, novaſque & profanas in locum ejus Hæreticorum translationes introducere, præſertim poſt œcumenici Concilii Tridentini decretum.* Ex quibus P. Natalis aliique Recentiores inferunt (a): *Non pugnat igitur contra decretum S. Synodi, qui in Vulgata noſtra leves aliquas mendas ſupereſſe cenſet, quæ fidei, ac diſciplinæ morum doctrinam non ſpectant.*

(a) *Sec. IV. Hiſt. Eccleſ. Diſſert. XL. Art.* III. *p.* 254.

Bellarminus de verbo Dei cap. X. obtundens hujuſmodi Calvini mendacium: *Decreviſſe Tridentinos Patres, minime eſſe audiendos eos, qui ex fonte ipſo purum liquorem proferunt, & ex certa veritate falſum coarguunt*, ita reſpondet: *Hoc ideo mendacium voco, quod nihil ejuſmodi in decreto Concilii legatur. Nec enim Patres fontium ullam mentionem fecerunt, ſed ſolum ex tot Latinis verſionibus, quæ nunc circumferuntur unam delegerunt, quam cæteris anteponerent*.

Serarius in Prolegomen. cap. XIX. Quæſt. XII. conceptis verbis rem definit ſcribens: *Non antetulit Hebræis Græciſve fontibus Latinam noſtram verſionem Tridentina Synodus*. Et prætermiſſis aliis longe pluribus Theologis inſignibus, & de Eccleſia Catholica optime meritis agmen claudat Eminentiſs. Cardinalis Pallavicinus, qui Libro VI. Hiſtor. Concil. Trident. cap. XVII. citat & commendat præfatos Theologos atque ſententias, quibus fit evidentiſſimum tanti intereſſe Eccleſiæ Catholicæ tueri de mente Concilii Tridentini, fontes hodiernos eſſe Vulgatæ præferendos, ut qui in oppoſitum pergit, nonniſi temere & non ſine Eccleſiæ Catholicæ detrimento id ſentiat; quoniam pro infirmis venditat ea principia, quibus Pallavicinus Tridentinos vindicavit a dicteriis Sarpianis.

Reſpondetur.

548. Denegari non poteſt, plures inſignes Theologos hoc in rerum themate varia, diverſaque ſcriptitaſſe, ita ut nobis ſuffragentur ſimul & refragentur. Verum ſi unde id contigerit interrogaveris, bona pace & ſine ullius præjudicio dicere auſim; quia licet ipſorum religio fuerit tueri adverſus Hæreticos authentiam Vulgatæ, quam Concilium approbavit; tamen quum pro uſu inducto a Novatoribus ipſi quoque habuerint in deliciis operam dare addiſcendis linguis Orientalibus, & harum præſidio elucubrandis Commen-

mentariis & annotationibus litteralibus in Scripturam; non autem, ut par erat & maxime eo tempore neceſſarium, revocare ad exactam criſim hujuſmodi perarduum ſpiſſumque argumentum quod nos tenet, quodque Hæretici & Hebraiſtæ Catholici in immenſum auxerunt, factum eſt, ut ii potiſſimum Theologi non ſatis deprehenderint vera firmiſſimaque principia ſcitu neceſſaria, & haud ſibi conſtiterint, modo declinantes ad dexteram, modo ad ſiniſtram. Si enim bene noviſſent, vel ſi noverunt firmiter tenuiſſent, Textum Latinum datum eſſe Eccleſiæ occidentali loco Scripturæ Originalis, inſpectionem & collationem mutuam vetuſtiſſimorum Latinorum codicum, primo & potiſſimum conferre emendationi Vulgatæ, hodiernos vero fontes & hodiernam linguarum peritiam eſſe media obſcura, ambigua, & ferme inepta; & tandem Concilium Tridentinum duntaxat approbaſſe Vulgatam veterem in ſeipſa, non autem mendis refertam, ſi inquam ad hæc ſaltem tria ſedulo attendiſſent, plane a primo Hæreticorum ora obſtruxiſſent, in vitium inconſtantiæ minime impegiſſent, & nobis pleniſſimo eſſent ſuffragio. Id tamen quatenus opus ſit velim accipias, qua quidem lege.

549. *Ad Salmeronem*. *Nihil de exemplaribus Græcis vel Hebræis* ſed *de Latinis tunc agebatur* diſtinguo, ſi ſpectemus nuda decreti verba, eſto, ſi motiva & cauſſas unde Patres Tridentini excitati fuere ad conficiendum decretum illud, denegatur. Quamquam ſpectatis verbis decreti nulla penitus mentio fontium habeatur, ſed ſermo fiat de ſolis Latinis editionibus, quibus Vulgata expreſſe præfertur; at ſi nobis curæ fuerit introſpicere cauſſas, quibus S. Synodus decretum illud confecit, adeo perſpicuum eſt diſerte egiſſe de exemplaribus Græcis & Hebraicis tam abſolute conſideratis quam cum reſpectu ad Vulgatam Latinam, ut nemo hactenus fuerit auſus inficiari, neque uſpiam in futurum rationis compos inficiari valebit. Namque idem Salmeron immediate ad præfata verba ſubdit:

Sy-

Digitized by Google

Synodus *rejectis reliquis Latinis*, *unam hanc Vulgatam reliquis tanquam . . . SUIS FONTIBUS*, *unde eſt orta*, *magis conſentientem pronuntiavit*; quomodo ergo potuiſſet S. Synodus pronuntiare Vulgatam inter omnes Latinas magis conſentientem fontibus unde eſt orta (*a*), ſi nihil penitus de fontibus egiſſet? Sarpius tametſi nullum non moverit lapidem ut veritatem infuſcaret, adhuc diſertiſſime fert (*b*), tam graviter & diligenter Patres & Theologos Tridentinos locutos fuiſſe & diſceptaſſe ſuper materia fontium & Vulgatæ Hieronymi, ut minime contenti fuerint rem iſtam abſolvere otio unius conciliaris Congregationis. Item Pallavicinus exponit ſummam epiſtolarum, quas e loco Concilii ſcripſerat Præſes Concilii Cardinalis S. Crucis ad Secretarium Summi Pontificis, & Legati Pontificii ad Cardinalem Farneſium, uno calamo denuntiantes: idcirco Concilium poſt diligentiſſimum ſcrutinium compoſuiſſe decretum in favorem Vulgatæ, quia plane clarebat, Hebræos & Hæreticos multis in locis corrupiſſe fontes Scripturarum: *Eſſendo* (*c*) *aſſai chiaro*, *che gli Ebrei e gli Eretici hanno corrotti i Teſti della Scrittura in molti luoghi*. Et tandem, quomodo Patres poterant nihil agere de Exemplaribus Græcis & Hebraicis, quum non ob aliam cauſſam Vulgatam approbarunt, niſi ut compeſcerent moroſitatem eorum, qui fidentes hodiernis fontibus novas verſiones Latinas ediderant, & his mediantibus Eccleſiam graviter turbarant? quum id-

(a) *Non enim Synodus pronuntiavit Vulgatam conſentire fontibus utcumque*, *ſed* fontibus unde eſt orta; *quod perinde eſt ac ſi dixiſſet*, *conſentire fontibus non hodiernis*, *qui corruptelis ſcatent*, *ſed puris & immaculatis*, *ex quibus Vulgata olim expreſſa fuit ab aliquibus Apoſtolorum vel Apoſtolorum diſcipulis*. *Nec refert quod Vulgatam quoad vetus teſtamentum non ex Hebræo*, *ſed ex Virali primi Auctores hauſerint*, *quoniam ſicut eo tempore tam verſio Viralis quam fons Hebræus limpide fluebant*, *ita non diſcordabant ad invicem*, *& per conſequens idem eſt ac ſi ex ipſo fonte Hebræo Vulgata eſſet expreſſa*.

(b) *In Hiſtor. Concil. Trid. Lib. II. p. 159. & ſeqq.*

(c) *Apud Pallavicinum Lib. VI. Cap. XVII. n. 15. pag. 659.*

Digitized by Google

idcirco Novatores nolebant ſtare ſententiis Vulgatæ , quia tuebantur fontes hodiernos eſſe authenticos , & antiquum Interpretem in multis hallucinatum ? Si Patres nil penitus de fontibus egiſſent , nullumque ſermonem de eiſdem habuiſſent haud leve pondus acceſſiſſet ex ſuo ſilentio hypotheſi Novatorum ; ſicque iſti eo majores vires audacius ſumpſiſſent, quo Patres minus caute & inconſultius Vulgatam probaviſſent : abſit ergo ut nos quoque ad eundem ſcopulum offendamus, in quem non tantum Hæretici, ſed plerique Catholici , propter hocce teſtimonium Salmeronis male intellectum , impegerunt.

550. Ad illud ejuſdem Salmeronis : *Liberum reliquit omnibus fontes conſulere* diſtinguo ; quoad effectum clarius intelligendi Vulgatam, eſto , quoad effectum ejuſdem emendandæ ſubdiſtinguo , pro ſemper , & a mendis Interpretis , aut illis mendis, quas Eccleſia nuſpiam judicavit correctione dignas nego , pro definito tempore , & a mendis quæ vitio Librariorum aut temporum injuria irrepſerant, quibuſque codices Vulgatæ illius temporis ſcatebant iterum diſtinguo , liberum reliquit in illis tantum caſibus, in quibus vetuſti correctioreſque Latini codices taliter diſcreparent ad invicem , ut nihil certi ex eis erui poſſet , concedo , aliter nego. Qui amat tenebras, veras diſtinctiones odio habet ; ſive id accidat ex infirmitate ingenii ſpernentis quod non capit , ſive ex malitia qua contendit omnia confundere ; ne veritas illuceſcat. Itaque Synodus Tridentina liberum reliquit omnibus, qui Scripturas profundius meditantur fontes conſulere, non ut *Hæretici*, inquit idem Salmeron cit. *frequenter impudentiſſimo faciunt*, *ſed quatenus opus ſit* , id eſt, quoad effectum expendendi & clarificandi Vulgatam , ſive *quo eam dilucidius explicare atque illuſtrare poſſint*. Quantum vero ad effectum ejuſdem emendandæ liberum reliquit *primo* , pro eo tantum temporis ſpatio, quo S. Sedes non ederet codicem a men-

dis caſtigatum (*a*); *ſecundo*, non quoad ea loca emendanda, quæ conſtarent eſſe fœtus antiqui Interpretis, aut quæ Hieronymus juſtis de cauſſis noluit emendare, ſed tantummodo quæ, *vitio Librariorum vel temporum injuria corrupta*: in quibus quoque emendandis Synodus liberum reliquit conſulere fontes non abſolute, ſed in hypotheſi quod Latini codices vetuſtiores & correctiores datis in locis non ſatis convenirent; ſi vero concordare reperirentur, tunc non ex fontibus, ſed ex præfatis Latinis ea loca caſtigarentur. Id Salmeron, ni fallor, excepto poſtremo docuiſſe videtur, idipſum per ſingulas partes pro data opportunitate conati ſumus oſtendere; & per conſequens libertas, quam teſtatur Salmeron relictam fuiſſe viris doctis circa inſpectionem fontium, nullimode ſuffragatur iis qui autumant, Vulgatam fuiſſe prælatam Latinis editionibus & non fontibus.

551. Quod vero in votis potiſſimum eſt, utinam & huic clariſſimo Theologo Concilii Tridentini Recentiores adhæſiſſent. Salmeron tradit, Concilium probaſſe Vulgatam ſublatis mendis, quibus codices illius temporis occurrerant; Recentiores hoc reticent, ut ſubdolo prætextu, quod Concilium non obſtantibus mendis adhuc Vulgatam eiſdem ſcatentem, declaravit authenticam, ſibi ſtruerent viam ad ſuadendum iſta frigida emplaſtra: *Concilium approbavit Vulgatam in rebus tantum fidei & morum. Mendæ levioris momenti minime authentiam tollunt. Scopus Concilii*

(a) Voluit præterea, *pergit loc. cit. p.24. col.2.* Sancta Synodus, ad hanc Latinam editionem amplectendam, & in omnibus conſectandam nos arctare, non quidem ſimpliciter, ſed dummodo eſſet a vitiis, quæ in eam irrepſerunt, & ab omnibus mendis, & erroribus emaculata, atque repurgata. Atque utinam labor in ea expurganda & recognoſcenda inchoatus per peculiarem illuſtriſſimorum Cardinalium, atque doctiſſimorum virorum deputationem a Sanctiſſimo D. N. Pio V. indictam, tandem aliquando perficeretur: ita enim fieret, ut Latinam Bibliorum editionem genuinam & germanam magno cum totius Eccleſiæ, & ſtudioſorum utilitate brevi haberemus.

cilii fuit tantum definire; *Vulgatam nullo pernicioſo errore eſſe fœdatam*, & cætera hujuſmodi. Salmeron de mente Concilii monet conſulendos codices fontium & veterum Patrum, donec S. Sedes non ederet in lucem Vulgatam correctam; Recentiores variis cavillis & velamentis contendunt Vulgatam etiam correctam a S. Sede licenter appendere ad ſua privata judicia. Salmeron quamquam non introſpexerit mendas Vulgatæ primo & potiſſimum corrigendas ex vetuſtioribus & correctioribus Latinis, tamen quum inquit apertos errores Vulgatæ, quæ in codicibus illius temporis continebantur, emendari poſſe ex Hebræis vel Græcis, ſtatim ſubdit, *ſi tamen Eccleſiæ Dei & meliora ſentientibus* (ſubaudi) *ita videatur*; Recentiores non modo venditant Vulgatam correctam emendandam ex Hebræis & Græcis, ſed inſuper de mente Concilii & S. Sedis id ſe facere temere teſtantur. Quid plus? Salmeron eo unico fine protulit: *nihil de exemplaribus Græcis & Hebraicis agebatur &c. Liberum reliquit &c.*, ut oſtenderet, Synodum per approbationem Vulgatæ non rejeciſſe fontes; Recentiores præfata verba aſſumunt ad obtrudendum, fontes non tantum non eſſe rejectos, ſed etiam Vulgatæ prælatos: ille propter inſanabilem diſcrepantiam, quam eſſe agnovit inter Hebræum & Vulgatam Hieronymi, tenet (*a*), eum qui diceret, volumina Hebræorum ſincera eſſe, de conſequenti tenetur fateri hujuſmodi abſurdum, Vulgata Hieronymi corrupta eſt & depravata; iſti neque Salmeronianam conſequentiam admittunt, neque conſequens pro abſurdo habent; ille Vulgatam probatam in Concilio teſtatur eſſe Hieronymi, iſti exceptiones opponunt: ille haud aſſerere dubitat, Hieronymum in Spiritu Sancto verſionem ex Hebræo concinnaſſe, iſti libere inficiantur: tantum igitur abeſt, ut Salmeron ſuffragetur hypotheſi adverſariorum, quin potius pro palato illius ævi

(a) *Prol. IV. p. 29. col. 2.*

ſatis eandem infirmarit & rejecerit.

552. *Ad Andream Vegam*. Neſcio equidem, Theologus iſte cæteroquin doctus & pius, uti claret ex univerſo ejus Opere de *Juſtificatione*, quomodo de præſenti argumento nonnulla obiter proferens, inglorius manſerit: uſqueadeo ut a S. Congregatione Concil. Trident. Interpretum hanc ſibi cenſuram promeruerit: *Acriter reprehendendus Vega Libro XV. de Juſtificatione capite nono, qui audacter locutus eſt de hac re* (a). Nec refert quod nonnulli pro ſuppoſititia hujuſmodi cenſuram habeant, quandoquidem qui diligenter conferet doctrinam Vegæ cum verbis decreti Concilii Tridentini, & ſententiis Apoſtolicæ S. Sedis, omnem penitus ſuſpicionem exuet. Conſtat enim, Concilium taliter adprobaſſe Vulgatam veterem, ut in negotio emendationis nullimode corrigeretur antiquus Interpres, & ubi dubium emergeret deſuper germanitate lectionis ejuſdem, primo & potiſſimum conſulerentur Latini codices; & tamen Vega hujuſmodi facultatem corrigendi antiquum Interpretem non modo libere concedit linguarum peritis, & quod correctio Vulgatæ potiſſimum fiat ad normam hodiernorum fontium; ſed inſuper teſtatur, hanc fuiſſe mentem Tridentinorum PP., qui decretum Vulgatæ confecerunt, perinde quaſi melius ſibi, quam Apoſtolicæ S. Sedi res iſta innotuerit. *Addas*, quod nec ſibimet ſatis conſtat: modo enim videtur fateri, in Vulgata, quæ circumferebatur tempore Concilii Tridentini, reperiri menda tantummodo Scriptorum vel chalcographorum (*b*); modo eidem Vulgatæ appingit menda etiam Interpretis. Quamvis teſtetur, Concilium adprobaſſe Vulgatam ad coercendam confuſionem quam affert multitudo translationum;

(a) *Ita legitur in Bibliotheca cujus uſum habuit Cardinalis Bellarminus.*

(b) Synodus, *inquit Vega Lib. XV. in XVI. Cap. Decreti de Juſtificat. pag. 476. edit. Venet.* 1548. approbavit duntaxat Vulgatam editionem repurgatam a mendis, quæ vitio Scriptorum vel chalcographorum in eam obrepſerunt.

num ; ſimulque tamen affirmat, quod nemo per approbationem Vulgatæ impediatur, quominus ubi hæſitaverit ad fontes recurrat, & in medium proferat quicquid habere potuerit, ut Vulgata editio ab erroribus repurgetur, quaſi quod hujuſmodi libera agendi ratio non æque ac antea tenderet ad confuſionem Scripturarum. Et tandem præfata Vegæ doctrina, de libero recurſu ad fontes quoad Vulgatam emendandam, in nullo ferme differt ab ea, quam tradidit. Clarus Brixianus in Prologo & Prolegomenis, quamque Vatablus in ſuis adornandis Bibliis uſu tenuit: aſt cuique perſpectum eſt, iſtorum præfata Opera cenſuram incurriſſe (a); nulli itaque dubium, quod Vega hac in parte a vero aberrarit, tametſi vir probatus ſimulque cum Clario interfuerit Concilio Tridentino.

553. *Ad Sixtum Senenſem*. Ipſi quoque ultro fatemur, in omnibus ſingulisque Vulgatæ codicibus, qui circumferebantur tempore Concilii, nonnullas reperiri mendas, ſolœciſmos, barbariſmos, hyperbata &c., & quod ex his nullum detrimentum transfuſum fuerit in Eccleſiam, circa perpetuum beneficium habendi veras, integraſque Scripturas: adverſarii autem, ut aliquod exinde captent emolumentum opus eſt oſtendant, ad voluntatem Senenſis Concilium adprobaſſe Vulgatam ſubintellectis allegatis vitiis, & quod eandem poſtpoſuerit hodiernis fontibus, quod ſane nec pro tantillo Senenſis ſubodoratur præfato loco, nec ex univerſa ipſius doctrina colligi poteſt, quinimmo argumentatur oppoſitum juxta ea quæ expoſuimus num. 535. Verum tamen eſt, quod quum Sixtus aliique Theologi illius ætatis prætermiſerint clarius indigitare, quod Concilium non conſecravit Vulgatam utcunque, ſed ſolummodo Vul-

 ga-

(a) *In tertia regula Indicis juſſu Concil. Trident. edita hæc habentur*: Totum volumen Bibliorum, quod Biblia Vatabli dicitur, aut partes ejus, concedi viris piis & doctis poterunt. Ex Bibliis vero Iſidori Clarii Brixiani prologus, & prolegomena præcidantur, ejus vero textum, nemo textum Vulgatæ editionis eſſe exiſtimet.

gatam veterem in ſe ſpectatam (*a*) ſeu ut a primo Interprete editam, & a D.Hieronymo priſtino nitori reſtitutam, quod idem eſt ac dicere, ab omnibus mendis correctione dignis immunem; idcirco non parva rerum confuſio in ipſam Dei Eccleſiam ſubrepſit, & eo tandem progreſſa eſt, ut P. Natalis cum aliis Recentioribus crediderit, non pugnare contra decretum S.Synodi, qui in Vulgata etiam correcta cenſeret aliquas mendas ſupereſſe. Poſito enim quod Synodus probavit Vulgatam veterem in ſe, omnium nimirum vitiorum expertem, quamque hodie tanquam in ſpeculo nobis Vulgata correcta repræſentet, qua lege decreto S.Synodi non detrahet, qui cenſeret, in Vulgata correcta etiamnum menda corrigenda reperiri? quomodo non blandiretur Hæreticis calumniantibus, Concilium conſecraſſe etiam vitia, quibus Vulgata tunc erat obnoxia, & Latinam Eccleſiam nuſpiam habuiſſe veras integraſque Scripturas in codicibus Latinis, quibus ſemper uſa eſt? Dicam plus: ſi juxta Senenſem temerarium erat & plane hæreticum propter leves quoſdam defectus, qui revera extabant in codicibus illius temporis, ſpernere ipſam Vulgatam, & in locum ejus novas profanaſque translationes introducere; qua quæſo cenſura taxandi non erunt hodie, qui hiſce noſtris utcunque obſervatis adhuc contenderent vitiorum inſimulare Vulgatam correctam, & aliam peregrinis lectionibus refertam obtrudere? Dixi qui hiſce obſervatis, quandoquidem Theologi, qui hactenus de re hujuſmodi ſcripſerant haud excuſatione carent, quum permulta ſcitu neceſſaria eos latuerint, & nonniſi aliter, vel ſine ſyſtemate arduam hance provinciam illuſtrandam ſuſceperint, perplurima aliena fide longe amplius propagando.

554. *Inſtabis*. Senenſis loco cit. agnoſcit pro mendis ea Vulgatæ loca, quæ Sanctes Pagninus, Thomas Cajetanus; Franciſcus Forerius, & Hieronymus Oleaſter viri ex Domi-

(a) *De qua ex inſtituto diſſeretur num. 629.*

minicano Ordine erudititſſimi, interpretationibus & explanationibus ſuis indicarunt: fatur quoque, præfatos errores, menda, & depravationes ab eodem D. Hieronymo fuiſſe conſulto relicta in veteri editione Novi Teſtam.; atqui conſtat in hodierna Vulgata correcta permulta ex iis mendis reperiri, quæ a præfatis viris doctis taxata fuere, ſicut ea etiam quæ Hieronymus inemendata reliquit; alioquin Vulgata correcta diverſa foret ab editione Hieronymiana; ergo teſtimonium Senenſis æquè militat contra Vulgatam correctam.

Reſp. Si Romani Correctores Vulgatam Sixtinam ſive Clementinam adornaſſent ad normam interpretationum, & explanationum prædictorum Dominicanorum, pari ratione debuiſſent adhærere Iſidoro Clario, Vatablo, aliiſque viris doctis de Romana communione, immo & Hæreticis in iis ſaltem, ex quibus nihil pernicioſi erueretur circa fidem & mores; quoniam eiſdem penitus præſidiis fontium & linguarum, iſti & illi Vulgatam aliarum mendarum inſimularunt, in quo quidem caſu Correctores haudquaquam priſtino nitori reſtituiſſent Vulgatam veterem, ſed novam penitus peregrinamque editionem obtruſiſſent, contra expreſſum graviſſimumque mandatum Concilii Tridentini & Apoſtolicæ S. Sedis, uti expoſitum eſt num. 434. Itaque ſi Romani Patres in negotio correctionis flocci fecerunt menda ab allegatis Dominicanis, aliiſque Hebraiſtis accumulata, luce clarius liquet, voces & lectiones Vulgatæ correctæ, quæ non reſpondent interpretationibus & explanationibus illorum, non eſſe menda in ſe, ſed penes Sixtum Senenſem cæteroſque privatos Theologos, qui plus æquo ſtuduerunt rimari & dirimere quaſdam perpleſſas Vulgatæ difficultates adminiculo hodiernorum Contextuum & regularum grammatices, quaſi ejuſdem omnino ſubſidii hodie eſſent ac Hieronymiano tempore. Ultraquamquod, nunquam præfatos religioſos Theologos cum Senenſi pro vitiis agnituros fuiſſe arbitror eas voces & le-

ctio-

Digitized by Google

ctiones, quas ex veteri Vulgata Correctores retinuerunt, ſi eiſdem datum eſſet auſcultare judicium S. Sedis deſuper illis, ſive intueri Textum Latinum a S. Sede caſtigatum: quandoquidem bene noverunt Chriſtianam Religionem potiſſimum niti ſpirituali fundamento, nempe Chriſto, cujus vices in terris gerit Romanus Pontifex, & humanam rationem fungi munere ancillulæ, in quantum ſcilicet ſolummodo inſervit ad ferendum judicium diſcretionis & examinis, non autem judicium deciſionis ex auctoritate (a).

555. Ad aliud ejuſdem Senenſis. Nullum penitus locum invenio apud Hieronymum, in quo indicarit ſe in veteri editione Novi Teſtam. conſulto reliquiſſe menda, errores, ac depravationes: ut potius non ſemel teſtatus ſit, idcirco in ejus nova verſione adornanda nec vigiliis pepercisse, nec laboribus, nec impenſis, niſi ut Eccleſiam Latinam puro ſinceroque Scripturæ Textu ditaret. Legeſis quæ expoſuimus num. 260. & ſeqq., quibus hoc aliud teſtimonium adiicies: *Cujus*, inquit (*b*) *ſtudium fuit omiſſa repetere, depravata corrigere, & Sacramenta Eccleſiæ puro & fideli aperire ſermone . . . . Habeant, qui volunt, veteres libros vel in membranis purpureis, auro, argentoque deſcriptos, vel uncialibus, ut vulgo ajunt, litteris onera magis exarata, quam codices, dummodo mihi meiſque permittant pauperes habere ſchedulas, & non tam pulchros codices, quam emendatos*. Quomodo enim Sacramenta Scripturarum Hieronymus tradidiſſet Eccleſiæ puro fidelique ſermone, ſi in eiſdem conſulto reliquiſſet menda, errores, & depravationes? *Addas*, quod nec eundem Senenſem id latuit, quandoquidem non multo antea (*c*) hæc habet. *De editione Latina veteris Teſtam. a Hieronymo facta, quam fide*

(a) *Recole dicta num.* 474., *ac dictura* 604. & *Cap.* 1. *tertia demonſtrat.*
(b) *Præfat. in Job Tom. III. pag.* 690. *G.*
(c) *Lib. VIII. Biblioth. S. Hæreſ. XIII. p.* 1106.

de certa, *vera*, *dilucida*, *& exacta fuerit*, *ipſemet Hieronymus indicat*. Et paulo infra ſubdit: *Novam vero editionem*, *ſeu caſtigationem Hieronymi*, *etiam ipſo vivente*, *maximo favore ab Eccleſia fuiſſe receptam*, *indicat Auguſtinus his verbis: Proinde*, *non parvas Deo gratias agimus de opere tuo*, *quod Evangelium de Græco in Latinum interpretatus es*, *quia pene in omnibus NULLA OFFENSIO EST*. Haud diſſimulo, Hieronymum Præfatione ad quatuor Evangelia* hæc ſcripſiſſe: *Codicum Græcorum emendata collatione*, *ſed veterum*, *qui ne multum a lectionis Latinæ conſuetudine diſcreparent*, *ita calamo temperavimus*, *ut his tantum*, *quæ ſenſum videbantur mutare correctis*, *reliqua manere pateremur ut fuerant*. Verum quem virum doctum fugiet tam longum latumque diſcrimen, quod intercedit inter iſta Hieronymi & Senenſis verba? Hieronymus ex eo quod fatur, inſpectione & collatione veterum Græcorum codicum ea ſolummodo loca correxiſſe, quæ videbantur ſenſum mutare, plane eruitur, idcirco alia reliquiſſe uti fuerant, quia falſum ſenſum nec præſeferebant, nec præſeferre videbantur, & quantumvis correxiſſet ſemper idem ſenſus eſſet; Senenſis autem quum affirmet, Hieronymum conſulto reliquiſſe menda, errores, ac depravationes, unuſquiſque profecto intelliget, ea etiam conſulto reliquiſſe immutata, quæ neceſſario caſtiganda forent: quod nonniſi Joannes Clericus vel alius iniquus impoſtor auſus eſt comminiſci, evulgans (*a*), quod non ex animi ſententia interdum Hieronymus laudavit & ſequutus fuit ſeptuaginta Interpretes, ſed ut amoliretur invidiam, quæ ei creabatur ab inimicis, ac ſatisfaceret vulgo Theologorum tunc temporis habentium maximam rationem verſionis Septuaginta, nec de hujuſmodi opinione facile deducendorum. Pro majori tamen hujus rei captu haud prætermittas quæ exponentur num. 657. & 658.

556.

(a) *In Quæſtionibus Hieronym. quæſt. VIII. num. XV. p. 260. quæſt. IX. n. V. p. 298 & alibi.*

Digitized by Google

556. Prius vero quam ad alios Theologos incumbamus refellamus oportet, quæ Senenſis eodem præjudicio abreptus addidit: nempe quod veteres Eccleſiæ Patres errata a Hieronymo relicta bene noverint, non approbarint, & juſtis de cauſis diſſimularint, edocti exemplo Sanctorum Apoſtolorum, qui quanquam ſcirent editionem Septuaginta in multis redundare, & in multis deficere, eam tamen ubique prædicaverunt, & ex ea prima noſtræ fidei fundamenta jecerunt. Verum enim vero, nec vel uno fugaci exilique monumento Senenſis id probat, nec unde didicerit citat, vel a nobis fando auditum fuerit; ut potius, ſi neceſſitas urgeret, poſſemus in eundem commovere plenam nubem veterum, qui Hieronymianam verſionem in omnibus fide digniſſimam cenſuerunt, ſummis laudibus celebrarunt, eadem private & publice religioſiſſime utentes, ex dicendis Demonſtratione ſecunda. Ita quoque ſibimet contradicit, quum redundantiam & deficientiam verſionis Viralis, cujus uſum Apoſtoli habuerunt, amandat ad menda errores & depravationes, perinde quaſi Apoſtoli prædicarint Scripturam erroribus obnoxiam, & ex ea ſic fœdata prima noſtræ fidei fundamenta jecerint. Namque loco cit. Biblioth. S. p. 1105. eleganter affirmat probatque, divino lumine & non humano ingenio a Septuaginta duobus viris Spiritu S. plenis editam eſſe Græcam verſionem; & infra ſolvens argumenta Hæreticorum petita ex capite detractionis, reponit: *Hieronymus eos* (Interpretes) *multis in locis egregie tutatur, demonſtrans, eos nec negligenter, nec malitioſe, ſed prudenti pioque conſilio, multa de Chriſti Sacramentis, & Sanctæ Trinitatis myſteriis omiſiſſe:* & quoad redundantiam ab Hæreticis pariter oppoſitam ſubdit: *De his vero, quæ ab eiſdem* (Interpretibus) *addita ſunt, D.Hieronymus in Libro de optimo genere interpretandi oſtendit, in illis verba non eſſe conſideranda, ſed ſenſum ad quem Septuaginta ipſi nihil de ſuo addiderunt, licet verba quædam, quæ in Hebræo non erant, adjunxerint*. Hæc vero quomodo ſtabunt

cum

cum iis, quibus Senenſis indicat verſionem Septuaginta, quam Apoſtoli prædicarunt, obnoxiam fuiſſe erroribus detractionis, & redundantiæ? Cæterum ſi Apoſtolorum temporibus verſio Viralis ſcatuiſſet erroribus, neque Chriſtus ad eam indiſcriminatim ſcrutandam diſcipulos miſiſſet, neque Apoſtoli prætermiſiſſent a præfatis depravationibus abſtergere.

557. *Ad Bellarminum tandem, Serarium, & Pallavicinum* dicimus, præfata eorum teſtimonia ac ſententias, nec conſentire veritati, nec ipſiſmet honorifica eſſe; quoniam licet ſpectatis nudis verbis Tridentini decreti nulla habeatur mentio fontium, & de Latinis tantum editionibus ſermo fiat; quod vero Synodus in Congregationibus præhabitis deſuper adprobatione Vulgatæ, diſerte egerit de fontibus tam in ſe, quam cum comparatione ad Vulgatam, ſatis ſuperque hucuſque enucleaſſe putamus; quandoquidem juxta dicta num. 482., idcirco Synodus Vulgatam antiqui Interpretis probavit, quia bene novit, hanc inter omnes Bibliacos fontium & verſionum codices, qui ad nos uſque pervenerunt, magis conſentire Autographis Prophetarum & Apoſtolorum: & ex n.535., ideo Hæreticos pro arbitrio majorem fidem adhibere hodiernis fontibus, ut peregrinas Scripturas obtruderent. Iſthæc autem ſponte ſua cujuſvis Theologi attente conſiderantis ſubeunt animum, ſuadentque Patres Tridentinos affatim eruditeque diſſeruiſſe de fontibus ante editionem decreti; quibus adjicies relationes Sarpii, & Pallavicini, quibus hoc ipſum conteſtantur apud nu. 549. Si vero interrogetur, eccur S. Synodus in præfato decreto nullum penitus verbum habuit de fontibus? reponam, quia nihil intererat. Si qua enim occaſio foret utilitas aut neceſſitas faciendi mentionem in decreto de exemplaribus Hebraicis & Græcis, maxime ſtudio eorundem vel in parte vel in toto probandorum vel reprobandorum; at S. Synodus omnia ſingulaque exemplaria Hebraica, & Græca neque approbavit, neque reprobavit, & duntaxat ex declaratione Congregationis Concil. Trident. Interpretum ea-

dem remiſſa fuerunt ad tertiam regulam Indicis, de qua nu.90.; jure igitur meritoque in decreto nullum de fontibus verbum habere voluit. *Confirmatur*, quia Latina Eccleſia ſemper editione Latina uſa fuit & utitur, & e contra callidiſſimus humani generis hoſtis, teſte celeberrimo Papa Syxto V. (*a*), nullum non movit lapidem, ut hujuſmodi cæleſtem Latinam divini verbi ſementem vitiaret, opprimeret, & extirparet mediantibus corruptiſſimis Latinis editionibus, quas tam Hæretici quam quidam Catholici, licet diſſimili conſilio, ex eo jam tempore obtruſerant, uſque adeo nihil rati, ac firmi, nulla denique inviolabilis auctoritas ſine magna difficultate reperiri poſſe videretur; idcirco graviſſima cura Synodum inceſſit, ut quemadmodum fidelibus utpote Textu Latino utentibus erat ſumme neceſſarium ſcire, quænam inter tot editiones Latinas, quæ tunc circumferebantur, habenda foret pro germana & authentica; ita iidem omnino quieſcerent, dum ex ejus decreto ſolam Vulgatam veterem inter tot Latinas editiones pro authentica habendam diſcerent: ergo quum Eccleſia Latina nuſpiam in publicis privatiſque lectionibus, officiis, prædicationibus &c. uſa fuerit fontibus, ſicque fideles nulla premebantur neceſſitate ſciendi, quorſum perveniat eorundem integritudo, & auctoritas, non levi certe bene agendi peritia Synodus pro ſuperfluo habuit ibi recordari fontium. *Item*, S. Synodus primum potiſſimumque præ oculis habuit providere ſaluti animarum, quæ ſolo pabulo editionis Latinæ per tot retro ſecula fructum centuplum pepererunt; non autem moroſis tricis eruditorum, qui paucis antea annis prætermiſſo neceſſario ſcrutinio rerum divinarum relative ad noſtram fidem informandam atque mores, ſe dederunt verborum aucupio, Rabbinorum more adtendentes non ad res & medullam, ſed ad vocabulorum corticem; igitur S. Synodus quam prudentiſſime ſe geſſit, quum de eo ſolo in decreto egit, quod potiſſimum ſpectabat ani-

(a) *In ejus Diplomate Æternus ſub init.*

Digitized by Google

nimarum ſalutem: ſicque longe falluntur, qui ex ſilentio decreti quoad exemplaria fontium, colligunt vel S.Synodum nihil penitus egiſſe de fontibus, vel Latinis tantum editionibus Vulgatam prætuliſſe. *Addas* ea quæ adtigimus num. 487. & 488., nimirum ſi Concilium ſolis Latinis editionibus & non fontibus hodiernis Vulgatam prætuliſſet, nullo modo potuiſſet decernere, Vulgatam pro authentica habendam, neque excommunicationis ſtigmate eos inurere, qui Vulgatæ verba quovis prætextu reiicerent.

558. *Inſtabis* Teſte Serario, in Prolegom. Cap. XXX. q. XII., Hæreticorum ſententia eſt, ſicut & quorundam Catholicorum aſſerere, Concilium anteculiſſe Vulgatam fontibus; & e contra reperiri Catholicos complures bonos Auctores, qui clare antelationem iſtam negant.

Reſp. En manifeſtum indicium, quo colligi poteſt, Serarium eoſque, qui ei conſentiunt, haud penitius rem introſpexiſſe. Calvinus enim aliique Hæretici, quos eo loci Serarius citat, contendunt, Concilium inſcitiſſime & præpoſtere anteculiſſe Vulgatam fontibus, quam profecto blaſphemiam nemo Catholicorum vel ſomniare auſus eſt; quinimmo ii doctiſſimi Theologi, quorum veſtigia premimus, quique affirmant, Concilium quam rectiſſime antetulit Vulgatam fontibus, multo longius latiuſque diſtant ab Hæreticis, ac Serarius cum aliis. Siquidem Hæretici, ex quo hodiernis fontibus omnimodam puritatem tribuunt eodem Serario teſtante (*a*), inferunt conſequutione cæteroquin naturali & neceſſaria *primo*, iis locis, in quibus fontes & Vulgata non concordant, corruptelas ſe tenere ex parte Vulgatæ, non autem ex parte fontium; *ſecundo*, Vulgatam poſtponendam fontibus; & ad eorundem normam emendandam, non e contra; *tertio*, Patres Tridentinos debuiſ-

(a) Quemadmodum Hebræo Textui hodierno tribuebant in veteri Teſtamento omnimodam puritatem Novatores, ita & Græco Textui tribuunt in Novo Teſtamento. *Serarius Proleg. Cap. XIII. q. unica p. 76. col. 2.*

buiſſe potius fontibus, quam Vulgatæ ferre præſidium; atque ita concludunt, Tridentinos inſcitiſſime eam pro authentica venditaſſe, ſeu prætuliſſe fontibus. Hujuſmodi autem Hæreticorum ſyſtema haudquaquam valent reſpuere ii Theologi qui cum Serario affirmant, Concilium non antetuliſſe Vulgatam fontibus; quoniam ſi ab eiſdem interrogetur, quare non antetulit fontibus, opus eſt confugiant ad præfatum Hæreticorum principium, reponentes, quia fontes hodierni omnimodam puritatem ſpirant (quod aliunde a Serario (a) denegatur) & conſequenter tenentur deſponſare præfata Novatorum conſectaria, ipſi quoque cum eiſdem detrahentes tum Vulgatæ, tum PP. Tridentinis. Quod, ſi vero hujuſmodi abſurdo territi, cogitarent principium illud aſpernari, vel eo admiſſo non adhærere conſectariis, in utroque caſu, ut bene vides, claudicarent, nunquam valentes adæquatam rationem reddere, cur Concilium non antetulit Vulgatam fontibus: atque ita apparenter tantummodo videntur ab Hæreticis diſcordare, re tamen vera eiſdem ſuffragantur. Secus autem ſors noſtra: ſi cum Hæreticis aſſerimus, Concilium antetuliſſe Vulgatam fontibus, alia tamen via incedimus, & ea ſane qua allegatum Novatorum ſyſtema funditus divellamus. Proferimus enim Concilium jure optimo antetuliſſe Vulgatam fontibus, quia fontes hodierni curruptelis abundant, quemadmodum ad nauſeam hucuſque depromptum eſt: ſi corruptelis abundant, conſequens plane eſt *primo*, quod diſcrepantibus ad invicem Vulgata & fontibus, ex parte iſtorum vitium unice ſe teneat; *ſecundo*, quod fontes ſint Vulgatæ poſtponendi, & ad ejuſdem ſtateram emendandi; *tertio*, quod Patres Tridentini quam rectiſſime antetulerint Vulgatam fontibus, ſive Vulgatam & non fontes recte agnoverint pro authentico Scripturæ Textu: ſicque ſyſtemati Hæreticorum ad radicem putamus imponere falcem.

Qui-

(a) *Legeſis ejus verba apud Caput I, n. 46. & 160.*

Quibus inferes, quod mendacium Calvini non conſiſtit in eo, quod retulerit Tridentinos antetuliſſe Vulgatam fontibus, uti a Bellarmino aliiſque creditum eſt & pervulgatum; bene autem in aſſerendo, quod Tridentini inſcitiſſime eam prætulerint; præſupponens quod ex fontibus hodiernis, ubi a Vulgata diſcordant, poſſit purus liquor proferri, & Vulgata de manifeſto vitio redargui. Si enim juxta dicta, diſſentientibus Vulgata & fontibus, vitium ſe tenet ex parte fontium, non modo cohibetur Calvini mendacium apertiſſima calumnia in Tridentinos mixtum, ſed oſtenditur inſuper, ſapientiſſimos Patres jure optimo protexiſſe Vulgatam, tum Latinis editionibus tum ipſis fontibus præferendo. Ne Corollarium iſtud longius eat, prætermittimus diſſerere de Bellarminiano Libello, in quo diſerte oſtenditur, Concilium in rebus tantum fidei & morum probaſſe Vulgatam, quemque Auctor Hiſt. litterariæ recudit inſeruitque primo Tomo Jacobi Tirini edit. Venet. an. 1760. Et eo vel maxime, quod nullum ferme argumentum in eo profertur, cui expreſſe non faciamus ſatis, aut ſaltem ex his quæ abunde præſentamus, multiplex non colligatur reſponſio.

559. Quantum denique ad Pallavicinum ſingulariter attinet, probe equidem novit vir doctiſſimus (a) *primo.*, vix exiguam incertamque cognitionem linguæ Hebraicæ mundo hodie illucere, itaut hodierni Hebraiſtæ non magis intelligant Textum Hebræum, ac peritus Latini ſermonis intelligeret librum Latinum ſine litteris vocalibus conſcriptum, refertum ſignis ambigue vocales & interdum etiam conſonantes indicantibus, & inſuper nec ipſas conſonantes exacte repræſentantem; *ſecundo*, hodiernos fontes Hebræi veteris Teſtamenti Græcive Novi haud levibus corruptelis ſcatere, itaut minime ſint Textus idonei ad convincendum de aliquo vitio Vulgatam tot retro-

(a) *In Hiſtor. Concil. Trident. Lib. VI. Cap. XVII.*

tro ſeculis ab Eccleſia conſecratam; *tertio*, inter eruditos hodiernos non reperiri, qui ſine temeritate valeat quoad linguarum peritiam, & exemplaria correctiora ſe præferre D. Hieronymo, qui ſi non auctor, ſaltem fuit Emendator hodiernæ Vulgatæ; *quarto*, Concilium adprobaſſe Vulgatam propter auctoritatem, quam obtinuerat apud veteres Eccleſiæ Patres, addita quoque divina Providentia, cui incubuit eam cuſtodire; *quinto*, idem Concilium animadvertiſſe, quod ſi id non ſufficeret ad eam probandam, omnes aliæ diligentiæ & ſtudia fruſtranea forent ad evitanda dubia; *ſexto*, temere affirmari, quod Vulgata a Concilio probata diſcordet in rebus fidei & morum tum etiam in minutis ab originalibus incorruptis; *ſeptimo*, nullum verbum fuiſſe conſcriptum in divinis Libris ſine cæleſti inſpiratione, quodque non complectetur peculiarem veritatem, & documentum alicujus myſterii. Quod ſi vero iſthæc & conſimilia Pallavicinus probe novit ſapienterque faſſus eſt, haud facile intelligam, quo fato paſſus fuerit ſe alio abduci, hæc alia proferens: Concilium adprobavit Vulgatam tantum in rebus fidei & morum; fieri poteſt alia verſio Latina, quæ proprius, clarius, meliuſque exprimat Originalia; non aliter intelligendum ſit decretum Concilii, atque narrat Andreas Vega; permiſſum eſt recedere ab iis Vulgatæ locis, quæ non pertinent ad fidem & mores, & ſuper quibus Theologi non conſentiunt, neque Eccleſia vetat. Mirabile dictu! Si ipſo quoque teſte nullum eſt verbum in divinis litteris, quod peculiari veritate & documento alicujus myſterii careat, quomodo in eiſdem erit verbum nullimode pertinens ad fidem & mores? ſi Concilium declaravit Vulgatam, neque in minutis diſcordare ab Originalibus incorruptis, quomodo nobis permiſſum erit recedere in minutis a Vulgata? ſi hodie laboramus imperitia Hebraicæ, & nonniſi depravata fontium exemplaria ſuppetunt, quomodo ſine temeritate poterimus præſidio hodiernæ Hebraicæ hodiernorumque fontium Vulgatam Hiero-

ro-

Digitized by Google

ronymi caſtigare, aliamque verſionem edere, quæ proprius, clarius, meliuſque exprimat Originalia? Nonne iſta, ut alia miſſa faciam, ita ſe inter collidunt, ac lux & tenebræ, album & nigrum, veritas & mendacium? Optarim profecto, ut tam inſignes præclarique Theologi pro eorum mentis perſpicacia, exquiſita rerum peritia, atque copia ſcribendi, adcuratius ſibique magis conſtantes hance cæteroquin arduam provinciam exercuiſſent, pro certo habens, in eam ſententiam, quæ veritati ſimul & Religioni magis videtur conſentanea, multis partibus Neotericos ipſos fuiſſe ituros; ſicque tam cauſſa quam error hac forte noſtra ætate finitus foret. Ut ut autem res ſe habeat, quanti Theologorum auctoritas in Dei Eccleſia facienda ſit, iterum animadvertemus nu. 563. & 675.

Corollarium III.

Vulgata Clementis minime per hodiernos fontes emendanda eſt, ſed potius e contra.

560. Tametſi cuique recta ratione utenti, ex hactenus dictis innotuiſſe opiner, quanto momentorum pondere gaudeat poſtremum hocce corollarium; ne tamen aliqua ex parte perplexum dimittatur & obſcurum, brevi oratione eidem aliqualem ſaltem dabimus operam. Ideo Waltonus aliique Critici Vulgatam ad normam hodiernorum fontium examinandam, emendandam, probandamque eſſe ſtatuunt, quia præſupponunt integros eſſe & authenticos; ſed ex abunde liquatis conſtat, hodiernos fontes utroque titulo carere; ergo funditus cadit Criticorum commentum. *Præterea*, ſi Vulgata emendanda foret per fontes, maxime præſidio Regularum critices; ſed ex depromptis Cap. præcedenti uſus Regularum critices irritus eſt & vanus, ergo &c. *Tandem*, impoſſibile eſt Vulgatam ad normam fontium emendari, & non induci in Dei Eccleſiam Scri-

ptu-

Digitized by Google

pturarum incertitudinem & confuſionem , & maxime in ſententia Proteſtantium concedentium cuilibet privato ſpiritui facultatem Scripturarum interpretandarum , ut innuimus n. 473. ; nonniſi ergo qui contendet extirpare Chriſtianiſmum , qui divinis ac definitis innitur Scripturis , & loco ipſius ſubſtituere Atheiſmum divinas Scripturas denegantem, ſerena fronte valebit noſtram inficiari adſertionem. Probatur aſſumptum , compertum eſt apud omnes, quod voces Hebraicæ ſint ambiguæ multipliciſque interpretationis , quod lingua Hebraica ſit incerta & dubia, quod codices hodierni Hebræi Textus innumerabilibus ferme variantibus lectionibus, vocibus, & litterulis ſcateant, & tandem quod hiſce aliiſque de cauſſis nullus pene in toto Hebræo Textu locus reperiatur , qui uno eodemque modo ab Hebraiſtis fuerit Latino ſermone redditus, quemadmodum exemplificavimus num. 459. deſuper τὸ *In principio* quo ſacer Textus orditur: ecquis ergo rationis compos ex hiſce momentis non intelliget , quod impoſſibile ſit &c.

561. *Accedit* quoque experientia , quæ in rebus cunctis illuſtris eſt rerum magiſtra . Quum ineunte quintodecimo ſeculo, tam inter Novatores, quam inter pleroſque DD. Catholicos irrepſerit abuſus corrigendi Textum Latinum ad normam hodiernorum fontium, brevi temporis ſpatio varietas & diſſentio Latinorum codicum adeo abundavit, ut tot viderentur eſſe exemplaria quot codices (*a*). Quid tum? quoniam Hæ-

(a) *Joannes Benedictus Normannus ac Vernolienſis Theologiæ Doctor ſcribere habuit circa an.* 1541. *in Præſat. Biblior. Pariſienſ. ex officina Simonis Colinæi pro Galeoto a Prato an.* 1541.: Miror cur tanta Scriptorum in tractandis tranſcribendiſque ſacris, atque adeo ſcriptis divinis, hactenus fuerit incuria, ut tot reperiantur exemplaria , quot codices . Quibus ſi non brevi occurratur, rediens tandem Hieronymus , & quiſquis optimus Interpres , quæ integra terſaque reliquerunt , negabunt eſſe ſua . *Et maximus Pontifex Sixtus V. initio ejus Diplomatis incipit.* Æternus: Malorum , *inquit* , omnium artifex Satanas . . . ex hac ipſa tam incerta ac multiplici verſio-

Hæretici noluerunt parere ſacroſanctæ Tridentinæ Synodo, quæ, Sixto V. teſtante, mederi cupiens præfato morbo, ſtatuit, ut ex tot variantibus Latinis editionibus ipſa ſola Vulgata vetus haberetur pro authentica; quia renuerunt etiam agnoſcere pro germano & canonico Scripturæ Textu eandem Vulgatam ab Apoſtolica S. Sede perpolitam, idcirco ubi religioſiſſimi filii S. R. Eccleſiæ merito gloriantur habere & poſſidere apud Clementinos codices (demptis ſolis typographicis mendis de quibus egimus §. III. IV. & V. Cap. Prodromi) integrum canonicumque Scripturæ Textum, e contra hodierni Hæretici pœnam ſuæ rebellionis luunt; quandoquidem licet jactabundi deprædicent ſe quoque theſauro divinarum Scripturarum frui, ſi vero cogantur ad proferendum in medium aliquem unum codicem, plane quem oſtendere vel citare, penitus nec habent, nec ſciunt: & potiſſimum hodierni Angli, qui omnia exemplaria Hebraica impreſſa agnoſcunt apud Oxonienſe folium (a) pro corruptiſſimis, aliunde Latinum Textum correctum accuſant vitiorum ferme innumerabilium, neque Anglicanis verſionibus, quas aduſque præſentem diem ſibi fabricarunt contenti ſunt (b), immodica prurigine contendentes, Vulgatam & quamlibet aliam Verſionem præſidio regularum critices, ſive ad normam hodiernorum fontium emendaturam: ſicque facto conſtat, allegatum principium de emendatione Vulgatæ ad normam fontium, ſecum

ſionum diverſitate & varietate ſumpta occaſione ſic miſcere omnia ac in dubium revocare, & ſi fieri poſſet rem eo perducere contendit, ut dum Scripturarum verbis diverſi Interpretes aliam atque aliam formam ac ſpeciem inducunt, nihil in iis certi, nihil rati, ac firmi, nulla denique inviolabilis auctoritas ſine magna difficultate reperiri poſſe videretur; itaut hoc ſeculo valde timendum fuerit, ne in priſcum illud editionum Chaos rediremus, de quo B. Hieronymus inquit: Apud Latinos tot ſunt exemplaria quot codices, & unuſquiſque pro arbitrio ſuo addidit vel ſubtraxit, quod ei viſum, & utique non poteſt verum eſſe quod diſſonat.

(a) *De quo nonnulla curſim attigimus n. 415. 464. 465. & 468.*

(b) *Ut expoſuimus in noſtra Apologia num. XXIV. & ſeqq.*

inevitabiliter ducere ſanctarum Scripturarum incertitudinem, & confuſionem, in quantum ſcilicet mediante hujuſmodi principio aperitur oſtium variis fontium interpretationibus, in quibus poſtea, ut probe animadvertit laudatus Sixtus, nihil certi, nihil rati, ac firmi, nulla denique inviolabilis auctoritas ſine magna difficultate reperiri poſſe videatur.

562. *Inſtabis cum Hæreticis*. Si datum momentum alicujus erit ponderis, nulla penitus ratio ſuppetet, qua non etiam Romanenſes Scripturarum incertitudinem & confuſionem nobiſcum non deplorent. Ea ſiquidem omnia, quæ hoc in rerum themate tenentur ac exercentur a noſtratibus, doctiſſimi quoque pontificiorum ſentiunt, & facto præſtant: ut enim Angli e. g. hodie dant ſedulam operam Hebraico Textui abſtergendo a mendis, quæ in exemplaria impreſſa irrepſerant, ad hoc ut tutiori via incedant ad ſtabiliendam genuinam lectionem in ipſo fonte, & poſtea in verſionibus; hoc ipſum a pleriſque viris diverſarum Urbium de Romana communione in præſentia factitatur: neque magis Proteſtantes quam Romanenſes notant menda quæ corrigenda ſuperſunt in ipſo Latino Textu correcto, quinimmo novas in dies adſcititias lectiones ac voces inſpectione fontium in eo deprehendentes negotium urgent, ut eorum Eccleſia dignetur iterum præfatum Textum caſtigare; & per conſequens incertitudo & confuſio Scripturarum quæ apud nos eſſe aſſeritur, vel eſt ridiculum & inane terriculamentum ſine cauſſa jactitatum, aut ipſos quoque Romanenſes in eandem confuſionis foveam incidiſſe fateamur oportebit.

563. Reſpond. Tranſmiſſo quod nonnulli critici Catholici in hujuſmodi provincia idipſum (licet abſimili conſilio) cum Proteſtantibus ſentiant & conficiant; idcirco tamen ex hac ſentiendi & agendi ratione apud Hæreticos tantummodo, & non Catholicos rite infertur incertitudo & confuſio Scripturarum, quia Hæreticis duntaxat arridet tri-

tribuere cuilibet privato ſpiritui facultatem interpretandi Scripturas. Quum enim Auctores Proteſtantium populari velamento protegendi chriſtianam libertatem, habeant quemlibet privatum ſpiritum pro idoneo Scripturarum interprete, conſequens eſt, ut tot exemplaria agnoſcant pro Scripturis divinis & canonicis, quot inter ipſos reperiuntur interpretes & interpretationes; ſicque inevitabiliter apud eoſdem regnet neceſſum erit Scripturarum confuſio (a). Catholici autem facultatem Scripturarum auctoritative interpretandarum, ore rotundo denegant cuilibet privato Theologo quantumvis de Eccleſia Romana benemerito, ac ſapientia præſtantiſſimo; eam unice tribuentes R. Paſtori, ſive integro corpori S. Matris Eccleſiæ; & per conſequens dato quod plerique doctiſſimi Theologi ex prætermiſſione exacti ſcrutinii videantur a Proteſtantibus non diſſentire, quoad deſcriptum ſyſtema, perperam inde colligitur, ipſam Dei Eccleſiam eodem morbo confuſionis Scripturarum laborare. *Addas*, Catholici reipſa poſſident & definiunt atomum exemplar, quod Eccleſia declaravit habendûm fore pro authentico Scripturæ Textu, uti ſunt Biblia Vulgata Latina a Sixto V. cor-

(a) *Ex hoc pariter ortum duxit ea religionum confuſio, quæ adulteram Proteſtantium Eccleſiam pervaſit. Quum enim unuſquiſque Miniſter ſectarius facultatem ſibi arroget Scripturarum rite interpretandarum, idcirco de articulis non fundamentalibus id ſentiendum, tenendum, & operandum quoad ſalutem ſat eſſe confidit, quod ſibi, ſuoque privato ſpiritui Scripturas meditanti conſentaneum videtur: tametſi alii miniſtri, & privati ſpiritus aliter Scripturas interpretentur, aliam doctrinam ex eiſdem colligant. Hinc quoque fluxit & illud eorundem Proteſtantium deliramentum, quo tenent, omnes in ſua ſecta ſalvari poſſe, & Eccleſiam Chriſti non aliud eſſe, quam ſectarum omnium collectionem; quoniam excepta doctrina fundamentali de rebus fidei & morum, quam ſolam volunt omnibus Chriſtianis neceſſariam eſſe & communem, e. g. credere Deum eſſe unum & Trinum, Chriſtum eſſe unigenitum Dei filium, hominumque ſervatorem, neminem ſalvari poſſe ſine regenerationis ſacramento, & conſimilia; cæterum circa doctrinam non fundamentalem, quæ ab eccleſiaſtica Poteſtate proponitur, dicunt, ad ſalutem neceſſariam non eſſe, ſed ab unoquoque privato ſpiritu, qui Scripturas interpretetur, probandam vel reprobandam. Legeſis opus dogmat. Matthæuc. Contr. I. Cap. V. n. 1. & alibi.*

Digitized by Google

recta, editaque ſub Clemente VIII.; Hæretici autem nec hactenus tale exemplar habuere, nec habere poterunt, donec ad Petri cathedram humiliter redeant. Namque ſicut pravo ſtudio ſervandi ſibi adſertam libertatem chriſtianam, nolunt à quolibet privato ſpiritu adimere privilegium Scripturarum interpretandarum, ita nulla eis ſuppetit via, qua valeant ſe ſe eripere a Scripturarum incertitudine & confuſione.

564. Quod vero a ſenſis S. Matris Eccleſiæ quam longiſſime aberrent ii Theologi, qui præſidio hodiernorum fontium conantur emendare correctum Textum Latinum, luce clarius ex eo affulget, quod Concilium Tridentinum & Apoſtolica S.Sedes præceperunt, ut in negotio correctionis Vulgatæ haud conficeretur nova editio, ſed ipſa Vulgata vetus ſuo priſtino nitori reſtitueretur, uti conſtat ex nu. 434. & ſeqq.; porro prorſus repugnat, ut quis emendet Vulgatam ad normam hodiernorum fontium & non obtrudat peregrinam editionem, diverſam a Vulgata vetere: hoc enim ſemel ſtatuto, plane Geneſ. I. v. 6. ſubſtituendum foret *fiat liquidum*, ſive *expanſum*, & Cap. III. v. 15. *ipſe* vel *ipſum*, ex eo quia, Hebraiſtis communiter teſtantibus, ita legitur apud hodiernum Hebræum; at ex dictis liquet, Textum Latinum ab Eccleſiæ Chriſti incunabulis conſtanter habuiſſe *fiat firmamentum*, *ipſa conteret caput tuum*; ergo ſi emendaretur ad normam hodiernorum fontium, haud Vulgata vetus reſtitueretur ſuo priſtino nitori, ſed contra apertiſſimam mentem Concilii Tridentini & Apoſtolicæ S.Sedis, alia peregrinaque Latina editio obtruderetur. *Confirmatur*, Apoſtolica S.Sedes reipſa ſprevit præfatis in locis, ſicut & in conſimilibus, emendare Vulgatam veterem ad normam hodiernorum fontium, & Arabicam verſionem hac lege elucubratam ſuppreſſit, & e contra ei Arabicæ ſuffragium accommodavit, quæ ex dictis num. 363. ad perpendiculum Vulgatæ concinnata fuit: qui ergo fieri poteſt, ut Theologi tutores adverſæ ſententiæ non parvi faciant

irre-

Digitized by Google

irrefragabilia judicia PP. Tridentinorum, & Apoſtolicæ S. Sedis? Nec ſufficit quod P. Natalis ab Alexandro, aliique Recentiores adhibeant cantilenam: *Si omnium Ordinum Auctores Catholici, religioſi, eruditi celebres taxant apud ejus opera nonnulla loca Textus correcti, nullimode ob id detrabunt Eccleſiæ judiciis, quoniam vix ſuas conjecturas modeſte proponunt, cenſentque nihil abſque Eccleſiæ auctoritate in eodem Textu immutandum*. Verum hujuſmodi emplaſtrum apud eos certe non fœtebit, vel qui imperiti ſunt rerum divinarum, vel quibus facile fucus fieri poteſt: fides enim circa ea quæ ſunt a veris Catholicis credenda, omne dubium excludit, alioquin non erit fides divina, quæ eſt argumentum certum licet non apparentium, ſed humana; quum ergo Apoſtolica S. Sedes editionem Clementinam ſuis filiis tradiderit, in Præfatione monens, nihil non canonicum in ea reperiri, omnes Catholici opus eſt eandem pro tali habeant abſque ulla hæſitatione; atque ita adverſus eandem editionem, conjecturas ſive dubia proponere, penitus virum Catholicum dedecet, uti exemplificavimus n. 474. Immo ſi præfatum dicterium penſiculatius introſpiciatur, non alio ſane tendit, quam ad illudendam cum Hæreticis eccleſiaſticam Poteſtatem. Poſito enim quod gravibus conjecturis conſtaret, in laudatis locis Geneſeos legendum fore, *fiat expanſum*, *ipſa conteret*, non eſſet amplius in poteſtate Eccleſiæ haſce lectiones non recipere apud ejus Textum, ex eo quia Eccleſia Scripturas canonicas non facit, ſed ſolummodo declarat; ergo eruditus Catholicus quantumvis ſe ſubmittat judicio Eccleſiæ, ſtatim ac revocat in dubium lectionem aliquam correcti Textus, refractarius exiſtit eccleſiaſticæ Poteſtatis, eo ferme pacto, quo inter Janſeniſtas merito collocatur, qui dubia & conjecturas (quamvis modeſte) proponeret contra judicia in cauſſa Janſenii ab Apoſtolica S. Sede prolata; & conſequenter Theologus qui allegata ſtropha utitur, vocetenus veneratur eccleſiaſticam Poteſtatem, re tamen flocci facit, atque averſatur. 565.

Digitized by Google

565. *Obiicies* cum Waltono (*a*) : *Etſi verſiones antiquæ præſertim , multum conferre poſſint , quum erratum in Textum Originarium caſu irrepſit ad veram lectionem indagandam & reſtituendam , tamen generaliter loquendo, verſiones omnes ſecundum Textus Originales corrigi & examinari debere . Nam quum omnes verſiones tanquam rivuli ex codicibus Originariis ut fontibus fluxerint , neceſſe eſt , ut quidquid veritatis in verſionibus inveniatur, illud a fontibus habuerint . Eatenus enim verſio vera dici poteſt, quatenus cum Textu Originario concordat . Contradictionem itaque plane implicat, affirmare ſimpliciter , fontem ex Verſione corrigendum : æque enim abſurdum eſt, ac ſi quis Solis motum ex horologio corrigere vellet .*

Reſpond. Quantum Waltonus hujuſmodi palæſtram exercens reus fuerit vaferrimæ diſſimulationis, ex præfato ejus teſtimonio manifeſte colligitur . Utique verſiones ex fontibus fluxerunt, verum ut hinc rite inferatur , Vulgatam (de qua lis eſt) emendandam eſſe per fontes , duo in anteceſſum opus eſt graviter demonſtrentur, nimirum, quod fontes hodierni nativam puritatem repræſentent , & quod Vulgata ab ipſis Prophetarum & Apoſtolorum Originariis diſcordet , quod profecto nec pro tantillo a Waltono ejuſque aſſeclis hactenus probatum eſt, & multo minus in futurum ; quinimmo hodierni Angli mediante folio Oxonienſi videntur quoad vitioſitatem Hebræi nobiſcum conſentire. Ea de re inſulſa Solis paritas haud Waltono honorifica , quum per eam oſtendat credidiſſe , quod eodem naturali curſu primigenia puritas fontium, a temporibus Apoſtolorum ad nos uſque fluxerit apud exemplaria manuſcripta & cuſa , ac Sol ab initio mundi immutabili curſu Cœlum gyrat ; credidiſſe pariter, quod ſicut non datur homo qui valeat motum Solis pro minimo retardare vel augere , ita in nullius hominis poteſtate fuerit ex malitia .

aut

(a) *Proleg.* VII. §. 25. *p.* 287. *col.* 2.

Digitized by Google

aut incuria aliquid detrahere ex exemplaribus fontium, vel addere; crediditſe tandem, quod tam facile fuerit Textum Vulgatæ verſionis apud pene innumerabiles codices deſcriptum, & conſtanti ſeculorum uſu apud populos occidentales, magnis terræ mariſque intervallis diſtantes, conſecratum depravari, ac horologium aliquod propter pleraſque viciſſitudines quas ſubit quam facillime vitiatur. Hæc ſane Waltonus crediderit oportet, ex quo paritatem Solis horas apud horologium indicantis aſſumpſit; ſi vero rem, quæ unicuique ratione utenti perſpecta eſt, bene novit, dicendum præfato exemplo ſtuduiſſe fucum facere imperitis, aſtute celans id quod in propatulo veritatem ponit, quodque brevi expoſuimus.

566. Hujuſmodi tandem Corollarium, ſicut & primam Demonſtrationem annulo ſignent viri de Romana communione benemeriti, qui inter legendum opportune occurrerunt.

Gregorius de Valentia cujus perſpicua teſtimonia protulimus num. 43. & 532.

Joannes Baptiſta Villalpandus (a) habet: *Neque enim piis viris licet levioribusdam Grammatices obſervationibus ſacros Patres Eccleſiæ lumina reprebendere, nedum ſacram ipſam Vulgatam & probatam lectionem carpere, quam nos & tueri pro viribus, ut tenemur, profitemur; itaut nullius vereamur pro ejuſdem defenſione ſubire vel offenſionem, vel reprebenſionem.*

Thomas Stapletonus (b): *Recurrere*, inquit, *ad Hebraicum vel Græcum & licet, & expedit ſæpenumero; ſed ad id quod obſcurum eſt elucidandum, non ad Textum Vulgarem falſitatis alicujus condemnandum. Et boc ſenſu ſolam Latinam Vulgatam editionem pro autbentica baberi* Concilium *Tridentinum ſtatuit.*

Jo-

(a) *In Ezechiel. Par.* II. *Lib.* III. *Cap.* XVII. *p.* 473. *col:* 1, *B.*
(b) *De Poteſt. Eccleſiaſt. controv.* V. *q.* III. *art.* III. *p.* 519.

Digitized by Google

Joannes Morinus (*a*). *Quid igitur poſt Septuaginta Interpretes, poſt S. Hieronymum ſe ſe emendaturos ſperant ſcioli homunculi? . . . Quare non* (acquieſcunt) *verſioni Latinæ quam inculpatam, quum primum facta eſt judicavit Eccleſia, judicavit etiam Synagoga, quamque inviolatam conſervavit cum Eccleſia Romana annis mille ducentis univerſus Occidens? In re ſeria ſi jocari licet, joculare ſane eſt, quod illi ſcioli diſputando aſſumunt.*

167. Sforza Pallavicinus (*b*): *I teſti Greci che a noſtra età ſi conſervano, ſono convinti di varj abbagli non leggieri nel riſcontrarli in più luoghi con ciò che ne allegarono i SS. Padri, mentre que' libri duravano più incorrotti negli eſempj meno diſtanti, e meno diſſimiglianti da legittimi Originali. Onde ora que' Teſti non ſono idonei teſtimonj a dimentire una ſpoſizione sì lungo tempo ricevuta dalla Chieſa.* Idipſum affirmat de emendatione Vulgatæ ex hodierno Hebræo Textu.

Jacobus Bonfrerius (*c*): *Majorem verſionis noſtræ auctoritatem eſſe debere quam Textus Hebraici (catholicis loquor, nam frendeant, oblatrentque Hæretici, per me licet) & ubi cætera ſunt paria, potius Textum Hebraicum ex noſtra verſione eſſe corrigendum, quam contra.*

Stephanus Menochius (*d*): *Linguæ ſanctæ cognitionem magno eſſe adjumento Bibliorum Interpretibus, ut verum illius ſenſum aſſequi poſſint, quod tamen ea reverentia faciendum eſt, ut non conemur ex Hebraico Textu Latinam noſtram verſionem emendare, aut damnare: hoc enim eſſet minus Eccleſiæ Catholicæ fidere, quam Rabbinis Hebræorum.* Et infra (*e*): *nobis ſatis eſt ſcire, menda in Textum illum* (Græcum) *irrepſiſſe, ac proinde potius ex Latino Græcum*

Te-

(a) *Lib.* I. *Exercit.* I. *Cap.* I. *p.* 3. *col.* 1. *E.*
(b) *In Hiſt. Concil. Trid. Lib.* VI. *Cap.* XVII. *n.* 3. *p.* 649.
(c) *Prologu. in totam Script. Cap.* XIII. *ſect.* V.
(d) *Prolegom. in Scripturam Cap.* X. *Tom.* I. *p.* 5.
(e) *Cap.* XIV. *p.* 6.

Textum, quam ex Græco Latinum emendandum eſſe. Et iterum (a): *Rivus enim purus, & minime turbatus, fonti turbato & impuro prudenter anteponi poteſt, & debet*.

Johannes de la Haje (b): *Si qua fidei & morum quæſtio inter Catholicos exoriatur nullo modo recurrendum eſt ad Hebræos codices, ut aliquid reiiciatur quantumvis leve ſit, vel ut aliquid emendetur quantumvis minimum in Vulgata editione; ſed ſtandum eſt in omnibus noſtræ Vulgatæ*.

568. Fraſſenus (c): *Inde ſequitur, majorem verſionis noſtræ Vulgatæ auctoritatem eſſe debere, quam Hebraici Textus hodierni, & (tametſi frendeant, oblatrentque Heterodoxi) ubi cætera ſunt paria emendandum eſſe potius Hebræum Textum per editionem Latinam vulgatam, quam e contra*.

Vincentius Gotti (d): *Dico ultimo: Eccleſia non permittit recurſum ad Textus Hebraicos & Græcos pro corrigenda ex illis Vulgata, permittit tamen ad illos recurrere ob alia motiva .... Stante diverſitate inter Textus & Vulgatam non poſſumus tuto affirmare, mendum eſſe in Vulgata, ſed potius in Textu; nec corrigere Vulgatam per Textum, ſed potius Textum per Vulgatam .... Majorem fidem adhibere debemus Vulgatæ, quam Originali, & per illam hanc in iis, in quibus diſcordat, emendare ... Modo Textus & Vulgata pares non ſunt; nam pro verſione ſtat Eccleſiæ decretum, pro Textu vero non*.

Antonius Caſinus (e): *Si qua in Vulgata contrarietas eſt, ac diſſenſio, & pugna cum Textu Hebraico, aut Græco, hi Textus eo in loco exemplar, ſive Originales non ſunt, ſed adulterati, aut aliquo modo vitiati*. Item (f): *Si quæras utrum Vulgatæ teſtimonium reiicere liceat in re leviſſima,*

(a) *Cap.* XVIII. *p.* 8.
(b) *Biblia Maxima Proleg. Sect.* XVI. *Cap.* III. *p.*80.
(c) *Diſquiſ. Biblic. Lib.* II. *Cap.* V. *p.*338.
(d) *De verit. Relig. Chriſt. Cap.* VIII. §. III. *n.* XXXI. *p.*173.
(e) *In Encyclopæd. Prolegom.* I. *diſput.* V. *p.* 36. *col.* 2.
(f) *Pag.* 39. *col.* 2.

Digitized by Google

ma, *reſpondeo*, *non licere; quemadmodum Scripturæ originalis teſtimonium reiicere ſimili in re aliquando non licuit*.

Præclara teſtimonia maximi ac ſemper recolendæ memoriæ Sixti V., necnon Præfationis Polyglottarum Pariſienſium jam tenes num. 384. & 401., quibus multoque pluribus prætermiſſis ſatis claret, quam longe aberrent a via vera & trita ii Theologi, quibus nova placent, blandientes hodiernis Hæreticis.

Digitized by Google

DEMONSTRATIO II.

569. RErum divinarum ſtudii proprium eſt novas diſſipare tenebras, quum aliæ Sole veritatis fugatæ fuerint. Illæ quidem ſunt Dei magnalia ſuper quibus inveſtigandis, *quum conſummaverit homo*, teſtatur Eccleſiaſticus (*a*) *tunc incipiet:* & Seneca (*b*): *Ne miremur*, inquit, *tam tarde erui*, *quæ tam alte jacent*. Quod maxime verificatur de præſenti perarduoque negotio, in quo tametſi inviolabilem auctoritatem Vulgatæ veteris juſſu Sixti V. recognitæ, & auctoritate Clementis VIII. editæ tentavimus hucuſque ponere in apricum, eam nimirum vindicando ab innumerabilibus propemodum caliginoſis umbris, quibus Neoterici conati ſunt præſidio hodiernorum Biblicorum Textuum Contextuumque obſepire; res vero iterum ſe ſe offert involuta tenebris, quum ab eiſdem autumatur, quod S.Hieronymus interdum erravit in ea Vulgata adornanda, & ejuſdem Vulgatæ quoad omnes Libros utcunque Auctor minime fuit. Ad hanc itaque ſubortam caliginem diſpellendam pro ſuſcepto inſtituto incumbamus oportet, & quidem ſequenti Demonſtratione.

570. Eſt probatu difficile Hieronymianam verſionem in *conſummatione* editam, quamque Eccleſia Occidentalis adoptavit vel leviſſimum complexam fuiſſe mendum correctione dignum; ſed Biblia Sacra Vulgatæ editionis Sixti V. juſſu recognita, & Clementis VIII. auctoritate edita, eſt illa penitus eadem, quam Hieronymus in *conſummatione* edidit, & Eccleſia occidentalis adoptavit; ergo difficile probatu eſt, mendum aliquod reperiri in Biblia Sacra Vulgatæ editionis Sixti V. & Clementis VIII. &c. In quam profecto Demonſtrationem non eſt, ut tam longe in-

(a) *Cap.* XVIII. *v. 6.*
(b) *Natur. Quæſt. Lib.*VII. *Cap.* XXXI.

inhæreamus atque in præcedentem, quæ ſicut ſpectabat quandam præjudiciorum colluviem, & farraginem, coagmentatam oblectamento linguarum, nimia protectione codicum Orientalium manuſcriptorum & excuſorum, ſpecioſo velamento Regularum ſacræ Critices, facultate cudendi ſemper nova & varia, libidine ſedendi abſque populi ſuffragio ſuper cathedram Moſis, & hiſce conſimilibus; ita confuſionis vitandæ cauſa neceſſum fuit potiora redigere ad dialecticum tramitem, ex quo ſex prolixa capita prodierunt. In hac vero ſicut & in ſequenti Demonſtratione preſſiori ſtylo verſabimur, ea unice ad criſim revocando principia, quæ locum præmiſſarum in eiſdem tenent, quæque debitis comprobationibus jure ſummo indigent.

CAPUT I.

De inviolabili integritate Hieronymianæ editionis.

571. TAlis tantaque eſt quæſtionis, quæ nobis pertractanda proponitur, gravitas ſimul & dignitas, ut ad ipſam quodammodo totum ſuſceptum pertineat, ipſi perarduum negotium, quod eruditis Eccleſiaſticis incommodat, potiſſimum innitatur, ipſa eorum, quæ hactenus dicta & dicenda ſuperſunt, principium videatur eſſe ac finis, in ipſius tandem ſpiſſa cauſſa quæ recentiorum Hæreticorum & Catholicorum animos occupavit, aqua quam maxime hæreat. Conſentaneum eſt itaque, Hieronymus ipſe, qui ſibi & nobis in Cœlis regnat, cujuſque cauſſam pro qualicumque virili noſtra ſuſcipimus, obtineat apud Patrem luminum, & unigenitum filium ejus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum eam decreturæ provinciæ idoneam opem, qua digni efficiamur affecutione nudæ apertæque veritatis, & ii qui foris ſunt, quæruntque tenebras, lumen videant.

§.I.

§. I.

Scitu neceſſaria præmittuntur.

572. *Nota I.* Eſt omnium Proteſtantium explorata ſententia, Hieronymum in ejus adornanda Bibliorum Latinorum editione perſæpe peccaſſe, ſicque præfatam editionem innumerabilibus propemodum ſcatere vitiis, id profecto eorundem Hæreticorum excuſis operibus ubique teſtantibus, necnon noſtris Theologis, inter quos ita fert vir doctus Dominicus Gravina (*a*): *Hos* (Judæos ſecuti) *audacter, & pro ſua licentia, loquendique libidine Novatores abſque ulla reſtrictione loquentes de hac Hieronymi verſione, dixerunt: Hieronymum in hac verſione erraſſe; ſic Eraſmus Lib. de ratione veræ Theologiæ pag.* 18. *qui ait:* Hieronymus unus nec omnia reſtituit, nec potuit reſtituere, quid ſi idem quædam perperam vel emendavit, vel tranſtulit? *& poſtea*, quantumlibet vir pius, quantumlibet eruditus, homo erat, & falli potuit, & fallere: multa, ut opinor, illum fugerunt, multa feſellerunt. *Witakerus controv. I. q.* 2. *cap.* 9. *in arg.* 4. Nos dicimus, *ait*, Hieronymum non modo potuiſſe errare, ſed etiam in hac verſione multum erraſſe. *Junius Lib. II. cap. IX. n.* 10. *ait*. Quid ergo? Hieronymus erravit? Humanum eſt; verumtamen, ut dicam lenius generali ſententia in particularem, adductus allegoriis Origenis (nam in Eccleſiaſten ſcripſerat) aberravit. *Hi Hæretici a Catholicis differre videntur; etenim concors eſt omnium Catholicorum ſententia, Hieronymum non erraviſſe in illa verſione, quam probavit Eccleſia; Hæretici vero contrarium aſſerunt.* Hucuſque laudatus Gravina.

573. Neminem pariter eruditum latet, hance Proteſtantium ſententiam una ſimul cum Eraſmica & Lutherana peſte fuiſſe promulgatam; quandoquidem veteres, incipien-

(a) *Catholic. Præſcript. Lib.* IV. *de editione Latina art.* V. *p.* 366. *col.* 2.

piendo ab ipſa Hieronymiana ætate aduſque quartumdecimum ſeculum, tanti & amico conſenſu fecerunt editionem Hieronymi cum univerſa ejuſdem doctrina, ut nullus quantum ſcio inter Chriſtianos probati nominis inveniatur, qui vel per umbram inſimularit alicujus erroris (a). Ineunte quintodecimo ſeculo cœpit audiri, Hieronymus in ejus adornanda verſione paſſim deceptus, quædam perperam emendavit vel tranſtulit, per quam modice exercitatus in lingua Græca, multum procul a perfectione illius Hebraicæ linguæ, quam veteres inſcite ei tribuerunt, perſæpe peccavit in conſtructione nominum, in verſione nonnullorum vocabulorum, locutionum, praviſque etymologiis; quæ quippe aliaque noxia pocula ſub initium ſextidecimi ſeculi Eraſmus poranda propinavit omnibus apud adnotationes Novi Teſtamenti, pleraque ibi ſuppeditans male architectata ſpecimina, quæ poſtea Lutherus, Calvinus eorumque gregales ſibi gratulantes, & quaſi triumphum ducentes imitati ſunt præ cæteris Joannes Clericus in Libro inſcripto, *Quæſtiones Hieronymianæ*. Nec ſane mirum, quandoquidem ſententia de Hieronymiana verſione vitiis refer-

(a) *Ambigendum non eſt hoc intermedio tempore non deſuiſſe Judæos, qui freti præſidio Maſorethici Textus ac Rabbinicæ linguæ ab eiſdem Maſorethis circa initium undecimi ſeculi extumulatæ, ſubinde altercantes interdum cum doctis Chriſtianis deſuper auctoritate ejuſdem Neoterici Textus, hunc efferebant detrahentes de conſequenti Hieronymianæ verſioni, quæ eiſdem tanquam murus a Chriſtianis opponebatur. Quibus poſtea Judæorum telis armata Rhetorum ſecta, cui nomen dederunt Laurentius Valla, Joannes Reuchlinus, Eraſmus Roterodamus, Martinus Lutherus, aliique ejuſdem furfuris, cœperunt plebi Chriſti fucum facere, eandem ab avita fide & pietate removentes & turbantes. Scire quoque præſtat, hac eadem ætate initio nimirum quintidecimi ſeculi, teſte Antonio Maria de Lugo apud Dictionarium hiſtoric. editum Neapoli 1754. tom. I. pag. 401. Conſtantinopolitanum Emmanuelem Chriſoloram docuiſſe Italos linguam Græcam, quæ per ſeptem retro ſecula apud Occidentem prætermiſſa fuerat; ex quo colliges cauſſam unde Rhetorum ſecta, ſicut præſidio Neoterici Textus & Rabbinicæ linguæ ex Judæis mutuo acceptæ ſtuduerunt inſimulare errorum Hieronymianam verſionem quoad vetus Teſtamentum, ita quoad Novum notarunt adiumento Græci Textus, Græcæve linguæ, cui addiſcendæ nuper dederant operam.*

ſerta adeo colligata eſt cum hypotheſi Hæreticorum , ut nullimode iſthæc ſine illa ſubſiſtere queat, quinimmo quot ſunt præjudicia quibus nititur Proteſtantium religio , tot ferme videntur eſſe cauſſæ , quæ eoſdem excitent ad eam criminandam, quarum , ſtudio veritatis illuſtrandæ , operæ pretium duco nonnullas recordari.

574. Prima itaque cauſſa, quæ adſtringit Novatores ad exauctorandam Hieronymianam verſionem eſt præjudicium conciliandi hodiernis fontibus auctoritatem , & præferentiam (*a*) . Omnibus enim humano ratiocinio bene utentibus perſpectum eſt illud Hieronymi, omnium calculo comprobatum : *Non poteſt verum eſſe quod diſſonat* , & Waltonus perſæpe : *Non poſſunt dari duo Textus authentici ſibi invicem repugnantes* (*b*) ; quum ergo Lutheranorum & Calviniſtarum permagni interſit tueri integritatem & authentiam hodiernorum fontium (*c*), a quibus Hieronymiana editio paſſim diſſonat, inevitabili conſecutione opus habent omnem lapidem movere ad iſtam traducendam , ut nimirum, quo magis hæc pro vitioſa habebitur, eo magis fontibus hodiernis auctoritas & fides conciliabitur.

575.

(a) *Gratias Deo agamus, qui anno* 1760. *eoſdem Anglos excitavit ad confitendum apud folium Oxonienſe : Omnia exemplaria Hebræi Textus hactenus impreſſa, innumerabiles pene errores complectuntur non levioris momenti.*

(b) *Nec juvat confugere ad illam rancidam cantilenam de diſſonantia rerum levioris momenti , quam ſolam interdum noſtri Critici concedunt eſſe inter fontes & Hieronymianam* , primo , *quia hujuſmodi doctrinam ab eiſdem Hæreticis adinventam, & ſummo ſtudio commendatam a Waltono Prolegom.* VI. §. 2. *pag.* 271. *& ſeqq. ſatis refutavimus num.* 538.; ſecundo, *in divinis Scripturis nihil reputandum eſt levioris momenti, uti num.* 520.; tertio, *hæc vocula* E. G. Ipſa , *quæ apud verſionem Hieronymianam legitur Geneſ.* III. *v.* 15. *eſtne gravis ponderis vel levioris ? ſi primum , ergo falſum eſt, quod Hebræus & Hieronymiana editio diſſonent in rebus levioris momenti ; ſi ſecundum, eccur Hæretici tot tragædias excitarunt criminantes Catholicos inſcitiæ & blaſphemiæ , ex quo in Vulgata Hieronymi legunt* Ipſa ? *ſi non eſt curandum quod legatur* Ipſa *vel* Ipſe, *vel* Ipſum, *quare tanto æſtu & impetu in Vulgatam Hieronymi & in Catholicos conſecrantes* Ipſa *irruunt, ut videre eſt n.* 497. *&* 499. ?

(c) *Propter rationes quas attigimus in Præfat. Operis nu.* II. *&* X. *item num.* 430. 472. 483. 516.

Digitized by Google

575. Secunda cauſſa, ut oſtenderent quam neceſſarius ſit nobis uſus regularum ſacræ Critices quoad ſtabiliendam germanam lectionem in Hieronymianam verſionem. Semel enim ſtatuto, quod hujuſmodi editio nullum penitus complectatur mendum correctione dignum, quis vel cæcutiens non deprehendet fruſtra adhiberi exercitium regularum ſacræ Critices quoad præſtandum præfatum effectum? Hæretici enim commendant ſtudium linguarum, inſpectionem fontium, & mutuam eorundem fontium, Biblicorumque Contextuum collationem, non tantum ut clarius penſiculatiuſque Hieronymiana intelligatur, ſed etiam ut corrigatur & emendetur; quoties ergo concederent Vulgatam Hieronymi inviolabilem eſſe, & nulla penitus indigere cenſura, plane omnis aditus eiſdem præcluditur, quo valeant ſuadere uſum ſacræ Critices quoad Hieronymianam caſtigandam.

576. Tertia cauſſa, ut experimento probent convincantque, minime fidendum veteribus PP. & Theologis ſcholaſticis in negotio Scripturarum interpretandarum, immo hodiernis linguarum peritis longe eos poſtponendos, utpote qui deſtituti neceſſariis luminibus, & adiumentis, minime valuerunt errores Hieronymi corrigere, immo nec deprehendere. Verum enim vero, ſi Hieronymus, inquiunt, qui inter Veteres oculos apertos habuit, adhuc apud tribunal oculatiſſimorum Recentiorum permultarum hallucinationum carpitur, quid coniiciendum de cunctis aliis Veteribus, qui reſpectu Hieronymi figuram gerunt noctuarum? Quod quippe momentum vel potius execrabile monſtrum, ut bene vides optime lector, expilatum manet, quum admittatur, Hieronymum in ejus adornanda verſione nuſpiam erraviſſe; quandoquidem in hac hypotheſi primum potiſſimumque telum, quo noſtri Thraſones utuntur adverſus veteres, funditus ruit & proſternitur.

577. Quarta cauſſa, ut nomine Scripturæ per ſe & proprie ipſi fontes hodierni ſubaudiantur, non autem Hiero-

ronymiana editio ; atque ita in definiendis rebus fidei & morum , non iſta , neque aliorum veterum interpretatio , ſed ipſi fontes hodierni proferantur in medium . Si enim , dicunt , Hieronymi editio eſt permultis referta vitiis, pro regula veritatis aſſequendæ minime eſt agnoſcenda . Verbum Dei ſcriptum , ſive volumen illud quod complectitur ejuſdem Spiritus S. verba conſulendum eſt tanquam fidiſſima regula in Controverſiis , quæ ſpectant ad fidem & mores ; porro errores , in quos Hieronymus in ejus adornanda verſione impegit , minime a Spiritu S. prodierunt : abſurde igitur Doctores Pontificii contendunt , præfatas Controverſias ad normam Hieronymianæ dirimendas . Hæc inquam dicuntur ab Hæreticis metaphyſico criterio utentibus, quæ ceu nubes, ad quas radiis ſolaribus accedentibus, ſtatim evaneſcunt, ita exſufflantur, quum conſtabit nullum penitus mendum correctione dignum reperiri in Hieronymiana verſione.

578. Quinta cauſſa , ut locus Theologicus petitus a perpetua veterum PP. & Theologorum traditione omnino eliminetur ab Eccleſia Dei , & iſtud propter eaſdem rationes nuper expoſitas . Quum enim veteres omnia definierint ad normam utriuſque verſionis Græcæ & Latinæ, quumque Hieronymiana in lucem edita , veteres Latini ad illam tanquam ad perpendiculum reſolutiones adpenderint, ideo Novatores infirmant auctoritatem Hieronymianæ , ut infirma quoque remaneat auctoritas ſive traditio veterum , utpote qui uſi fuerint Scriptura vitioſa , addentes , quod ſicut uſurparunt ineptum medium ad ferendum rectum judicium ſuper rebus fidei & morum , ita eorundem traditio ſit parvi facienda , tam quoad Scripturas rite interpretandas, quam quoad quæſtiones fidei & morum jure dirimendas (a).

(a) *Utique Joannes Clericus aliique Novatores interdum oblinunt os Catholicis , concedentes in quæſtionibus juris veteres quoque conſulendos eſſe ; ſed hoc ortum habet ex perpetua eorundem inconſtantia ; quandoquidem ſi ad eorum voluntatem , abſuerunt a veteribus præſidia idonea ad eruendum* ex

579. Sexta cauſſa, ut commonſtrent PP. Tridentinos reipſa erraſſe, quum relictis fontibus iverint ad Vulgatam Hieronymi, non obſtantibus innumeris mendis in quas hæc irrepſerat. Commonſtrent pariter quam inſcite & præpoſtere Theologi Pontificii linguarum imperiti audeant judicare de Controverſiis ad fidem & mores ſpectantibus, vel convincere Proteſtantes deſuper præfatis Controverſiis ſolo munimine Hieronymianæ verſionis, quam dicûnt eorundem Pontificiorum præjudiciis unice inſervire. Et tandem aliis cauſſis prætermiſſis, ex hujuſmodi ſubdolo prætextu, quod verſio Hieronymi ſit vitiis referta, lata ſemper perfugia habeant declinandi & irridendi argumenta Catholicorum quantumvis vera, quantumvis firma, incitantes & provocantes a Hieronymiano Textu ad fontes; ex quibus tum propter variantes eorundem lectiones, tum propter incertitudinem hodiernæ Grammatices; tum tandem propter perpetuam eorundem Grammaticorum diſſenſionem nihil ferme certi ratique erui poteſt.

580. Quibus in propatulo manet, ſententiam de verſione Hieronymi ſcatente vitiis, a Novatoribus accepiſſe originem, incrementum, & profectum; quamvis ex Catholicis quoque non defuerint, nec deſint, qui linguarum ſtudio allecti, & hujuſmodi præruptam provinciam quaſi obiter aggreſſi idipſum ſentiant: Verum ſi cui otium erit paullo penſiculatius inſtituere criſim, diligenter conferendo ad invicem ea quæ ſparſim affirmant in ſuis operibus, nullum forte Scriptorem Catholicum inveniet, qui admiſerit Hieronymum erraſſe, & non etiam alias ſenten-

tias

ex Scripturis ſenſum germanum & literalem, & hujuſmodi principio freti inferunt, non quid veteres tradunt, ſed quid ex Scripturarum fontibus eruitur unice ſequendum, quis adeo obtuſus qui non intelligat, vel per inſcitiam vel oſcitantiam, vel etiam ex malitia eos interdum admittere auctoritatem Veterum circa quæſtiones juris? Ita pariter conſulunt ſcripta Veterum, ſed non ſtudio veritatis aſſequendæ, vel conciliandi eiſdem auctoritatem aliquam, bene vero venaturi occaſiones vel criminandi eos, vel ex eorum auctoritate traducere Romana dogmata.

tias protulerit, quibus nullimode ſibi conſtet, ea penitus lege, qua obſervavimus a num. 548. uſque ad 559., loquentes de compugnantibus qnorundam doctiſſimorum Theologorum dictis quoad præferentiam Vulgatæ Clementinæ. Et hinc ni me omnia fallunt, contigiſſe reor, quod Hæreticorum ſyſtema hac noſtra ætate longius latiuſque radices egerit, propter ſcilicet eoſdem DD. Catholicos, qui, licet abſimili conſilio, multipliciter faverunt illorum peregrinæ hypotheſi. Ultraquamquod haud nobis deſunt plerique probati viri, qui præiverunt præſtantes ſolatium, quorumque teſtimonia laudabimus num. 595. 631. & 632.

581. *Nota II.* Nos in præſentia tueri inviolabilem integritatem & auctoritatem ſolius verſionis Hieronymi, non autem univerſæ doctrinæ Hieronymianæ (*a*): ſive noſtra intereſſe hic duntaxat diſpicere, & defenſare auctoritatem illarum lectionum Scripturæ, quæ a D. Hieronymo conſignatæ fuere in ejus nova Verſione, non autem quæ ab eodem laudantur in cunctis ejus operibus ſive ex inſtituto, ſive ex occaſione accepta pertinentibus ad Latinum Scripturæ Textum (*b*); quamvis enim & iſtæ bonæ ſint, laudabiles, & Theologicæ, minime tamen quoad auctoritatem coæquandæ ſunt iis lectionibus, quæ in præfata verſione idem Hieronymus conſignavit. Quod quippe ne falſum

(a) *De qua plurima ſcripſit Matritenſis Doctor P. Franciſcus a Meſſana in ejus opere de locis difficilibus S. P. Hieronymi ordine alphabetario digeſto.*

(b) *Per Hieronymianam verſionem intelligimus illum codicem Latini Textus correcti quem Hieronymus edidit, quique complectitur nudum Textum Scripturarum, & in Occidente ab univerſis Chriſti Eccleſiis fuit loco veteris Italæ uſurpatus. Sub operibus Hieronymi ex inſtituto pertinentibus ad Scripturam, veniunt Liber de Traditionibus ſive Quæſtionibus Hebraicis, Libri de Locis Hebraicis, & de Nominibus Hebraicis, Liber Commentariorum in quatuor Prophetas majores, in Eccleſiaſten, in duodecim Prophetas minores, in Matthæum, & in Epiſtolas ad Galatas, ad Epheſios, ad Titum, & Philemonem. Ad opera tandem Hieronymi quaſi obiter ad Scripturam pertinentia, redigi poſſent omnes illæ Epiſtolæ ab eodem conſcriptæ, in quibus nonnulla Scripturæ loca ex accepta occaſione laudat illuſtratque.*

Digitized by Google

ſum aut commentitium alicui videatur, oſtendam *primo*, ex varia agendi ratione quam Hieronymus tenuit in utriſque. Namque in adornanda verſione unice ſtuduit reſtituere priſtino nitori Latinum Textum, emendando nimirum inſpectione & collatione multorum codicum Hebraicorum, Græcorum, & Latinorum, quæ apud verſionem Italam, vel malitia, vel inſcitia, vel oſcitantia taliter corrupta erant & depravata, ut vel mutarent ſenſum, vel diſceſſerant ab eo, qui legebatur ab antiquis. In conſignandis vero lectionibus Scripturarum apud ejus opera, primum potiſſimumque intendit inſtruere lectorem de variis interpretationibus quæ erui poterant ex fontibus, vel quæ reapſe expreſſæ fuerant a Septuaginta interpretibus, ab Aquila, a Theodotione, a Symmacho, ab aliis veteribus Scripturarum tractatoribus. Nemo certe Hieronymo melius poterit huic veritati, quoad utramque partem ſuppetias ferre, cujus quidem primam agendi rationem hæc ſuadent: *Ubicumque*, inquit (*a*), *ſenſus idem eſt*, *veterum Interpretum* (quod juxta dicta num. 250. Apoſtoli vel Apoſtolorum diſcipuli fuerunt primi) *conſuetudinem mutare noluimus*, *ne nimis novitate lectoris ſtudium terremus*: & infra p.749. H. hoc ipſum iterat: *Noluimus igitur immutare quod ab antiquis legebatur*, *quia idem ſenſus erat*. Et alibi (*b*): *Ita calamo temperavimus*, *ut his tantum quæ ſenſum videbantur mutare correctis*, *reliqua manere pateremur ut fuerant*. Secundam autem agendi rationem nonnullis ſelectis ſpeciminibus oſtendam. Hieronymum in ejus nova Verſione poſuiſſe, *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas* (*c*). *Ipſa conteret caput tuum* (*d*). *Egrediamur foras* (*e*), ſatis ſuperque conſtat teſtimonio Veterum, qui habuerunt

uſum

(a) *Epiſt.* CXXXV. *ad Suniam & Fretelam Tom.* III. *p.* 747. *H.*
(b) *Epiſt.* CXXIII. *ad Damaſum Tom.* III. *p.* 698. *A.*
(c) *Geneſeos Cap.* I. *v.* 2.
(d) *Cap.* III. *v.* 15.
(e) *Cap.* IV. *v.* 8.

Digitized by Google

uſum Hieronymianæ verſionis, quique in ſuis Commentariis præfata loca citant, & interpretantur (a); & tamen in Libro Hebraicarum Quæſtionum (b) ſuper illud *ferebatur*, laudat hanc vocem *Merachephet*, ſubdens, *quod nos appellare poſſumus* incubabat, *ſive* confovebat: in illud, *Ipſa conteret* refert quoque (c) lectionem veteris Italæ exhibentis, *Ipſa obſervabit*; & ſuper verba, *Egrediamur foras*, ſpectato Textu Hebræo quem ad manus habebat, *ſuperfluum*, inquit (d), *ergo eſt*, *quod in Samaritanorum*, & *noſtro volumine reperiatur*: Tranſeamus in campum: *Item*, licet conceptis verbis teſtetur in ejus nova Verſione poſuiſſe, *Et flos de radice ejus aſcendet* (e); obſervat tamen Epiſt. ad Pammachium (f), quod in Hebræo juxta linguæ illius idioma ita ſcriptum eſt: *Et Nazaræus de radice ejus creſcet*. Licet in ejus verſione fideliter retinuerit iſta verba veteris Latinæ, *Apprehendite diſciplinam* (g); adhuc conceptis verbis affirmat (h) „ minime ſibi vitio oblivionis vertendum, ſi quaſi immemor expoſitionis antiquæ, alibi tradiderit, *adorate filium* vel *adorate pure*, ſubdens, quod in Commentariolis ſit libertas differendi, & quod Eccleſiaſticæ fidei non noceat, ſi doceatur Lector quot modis apud Hebræos unus verſiculus explanetur: Hoc ipſum clarius adſulgebit ex dicendis n. 673.: igitur ocularibus ſpeciminibus vides, aliam methodum Hieronymum tenuiſſe in conſignandis lectionibus Scripturæ apud novam ejus Verſionem, & aliam in ejus criticis obſervationibus, qui-

(a) *Legeſis expoſita quoad primum locum nu.* 356., *quoad ſecundum nu.* 504., *quoad tertium num.* 350.

(b) *Tom.* III. *p.* 853. C.

(c) *Loco cit. p.* 854. *A.*

(d) *Eodem loco p.* 854. *F.*

(e) *Iſaiæ cap.* II. *v.* 1.

(f) *Quæ eſt* C. I. *in ordine inſcripta De optimo genere interpretandi Tom.* II. *p.* 663. *F.*

(g) *Pſal.* II. *v.* 12.

(h) *Lib.* 11. *Apolog. adver. Ruffin. cap. V. Tom.* II. *p.* 490. *F.*

quibus cuncta ejuſdem opera reſplendent. *Hieronymus*, merito inquit Auguſtinus Steuchus (*a*), *aliud in quæſtionibus Hebraicis*, *aliud hoc loco* (puta in ejus verſione) *ſequitur*: & paulo ante, *Neque hoc indicio eſt hanc editionem non eſſe Hieronymi: recte enim & prudenter a ſeipſo diſſentit*, *ut aliud ibi* (in quæſtionibus Hebraicis) *diceret*, *aliud hoc loco ſecutus ſit*.

582. *Secundo*, eandem veritatem oſtendam ex facto ejuſdem Eccleſiæ, quæ quidem illas lectiones Hieronymi agnovit pro veris diviniſque Scripturis Latinis, quas ad publicum uſum retulit, ſeu quas ejus filii conſtanti ſeculorum uſu conſecrarunt in lectionibus, in officiis, in diſputationibus, in expoſitionibus, & in prædicationibus; at nemo ignorat hoc verificari de lectionibus, quæ habentur in Hieronymiana verſione, non autem quæ leguntur in Hieronymianis operibus: ſi enim alicui in votis fuerit ocularibus ſpeciminibus id attingere, adeat acta Conciliorum Latinorum Patrum, horum Commentaria in Scripturas, ſermones de Sanctis, & de tempore, codices quoque vetuſtiorum Latinorum Bibliorum, & ex ſe ſe deprehendet, Scripturarum loca quæ ibi laudantur fuiſſe accepta ex verſione Hieronymiana, non autem ex ejus operibus, niſi raro & ſtudio illuſtrandi ipſum Textum: itaque ex facto ejuſdem Eccleſiæ conſtat, lectiones Scripturæ quas Hieronymus recenſet in ejus operibus minime quoad integritatem & auctoritatem coæquandæ cum iis, quæ ab eodem poſitæ ſunt in ejus Verſione.

583. *Tertio*. Si in eodem integritatis & auctoritatis ſolio collocabimus primas & ſecundas lectiones Hieronymi, opus eſt admittamus de conſequenti Bibliorum Latinorum confuſionem; quod ut cuique perſpectum fiat, unum inter ſexcenta ſeligamus exemplum, & quidem ex Epi-

(a) *In cap. IV. Geneſ. p.* 100. C.

Digitized by Google

Epiſtola ejuſdem S. Doctor ad Principiam (*a*), in qua ediſſerens de illo Pſalm. XLIV. v. 10. *Aſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate*, fert, quod iſta verba *circumdata varietate* nullus Interpretum tranſtulit, quod in Hebraico legitur *ſtetit conjux in dextera tua in diademate aureo*, quod apud Hebræos habetur *ſegol*, pro quo Aquila interpretatus eſt *concubinam*, Symmachus & quinta editio *pellicem* ſive *adulteram*, Septuaginta Theodotion & ſexta editio *Reginam*. Quo præfato, ita unde diſceſſum eſt redeamus. Si lectiones Scripturæ apud opera Hieronymi tanti faciendæ ſunt, quanti æſtimantur lectiones Hieronymianæ verſionis, reſponde quæſo, in præfato Pſalmorum loco, quem quaſi quotidie in Eccleſiis canimus, quam ne lectionem ſequi tenebimur? legere inquam uti hactenus lectum eſt *circumdata varietate*, vel iſta prætermittere? ſi primum reſpondeas, protinus tibi opponam Hieronymum teſtantem, quod nullus veterum Interpretum hance lectionem tranſtulit: ſi confugeris ad ſecundum, tibi commovebo eam immaniſſimam nubem Chriſtianorum occidentalium, qui ab incunabulis Romanæ Eccleſiæ uſque hodie floruerunt, quique præfatam lectionem religioſe uſurparunt: ſi cavillaberis, nihil referre ſive adhibeatur ſive omittatur, quum ſit res levioris momenti, & nullatenus ad fidem ſpectet atque mores, ſic inſto; qui fieri potuit ut tot Chriſtiani amico conſenſu & fide confluant ad eam conſecrandam, & nemo quantum ſcio eam omiſerit: non eſt veriſimile veteres tanti facere præfatam lectionem ſi vere levioris eſſet momenti, nihilque referret, ſive adhiberetur ſive non. Nihil ergo pro adverſariis reponendum videtur & ad Scripturarum chaos non inducat. *Addas*, ſi lectio Hieronymianæ verſionis habentis *Aſtitit Regina*, ejuſdem erit ponderis, ac illæ quas Hieronymus fert in Epiſtola ad Principiam, taliter ut nihil referat ſive

(a) *Tom.* III. *p.* 772. C.

Digitized by Google

ve hoc vel alio modo legatur, unuſquiſque in hoc caſu eodem Hieronymo ſuffragante poterit confidenter affirmare, nolo legere *circumdata varietate*, quia hujuſmodi lectionem nullus veterum Interpretum tranſtulit; quivis alius, nolo legere *Aſtitit Regina*, quia neque Aquila, neque Symmachus, neque quinta editio ita legerunt; alius mihi placet *Aſtitit concubina*, quia ita ininterpretatus eſt Aquila; alius mihi arridet *Aſtitit adultera*, quia ita reddidit Symmachus; alius haud ſpernendum *Adſtitit conjux*, quia ita eruitur ex voce Hebraica *ſegol*. Quibus admiſſis ſicut revera ad voluntatem Criticorum admittenda ſunt, nemo non videt eam immaniſſimam Scripturarum confuſionem, in quam inevitabiliter laberemur. Critici itaque in hypotheſi quod lectiones Hieronymianæ verſionis non præferant lectionibus operum Hieronymi, quocunque ſe ſe vertant, ſemper ſibi malum creabunt.

584. *Nota III.* Tametſi noſtra quoque ſit ſententia, Hieronymum peculiari Spiritus Sancti flatu novam verſionem adornaſſe, id tamen non eſt ita intelligendum perinde quaſi eam ediderit ad morem Prophetarum, Apoſtolorum, Septuaginta interpretum, & primi ſive primorum Interpretum Latini Textus. Iſti ſiquidem in conſcribendis ſuis autographis ſe ſe habuerunt tanquam calamus Spiritus Sancti velociter ſcribentis, cum hoc diſcrimine (prætermiſſis aliis) quod Spiritus S. in Prophetis, & Apoſtolis præconavit futura, revelavit ſecreta cœleſtia, contulitque poteſtatem cudendi Libros canonicos; Septuaginta vero interpretibus, & primo ſive primis Auctoribus verſionis Latinæ potiſſimum adſtitit, ad hoc ut recte & exacte eaſdem Scripturas, ab eodem inſpiratas ſacris Scriptoribus, Græco & Latino ſermone redderent; uſque adeo apud Eccleſiam Græcam & Latinam tanti valerent quoad integritatem, & authentiam, ſive divinitatem, quanti apud veteres Hebræos valuit puriſſimus fons Hebraicus Veteris Teſtam., & apud

Græ-

Digitized by Google

Græcos puriſſimus fons Græcus Teſt. Novi (*a*) ; in Hieronymo autem humaniori quodam modo divinum numen adſtitit : diſpoſuit enim, ut ab imperfectioribus ad perfectiora gradatim aſcenderet, ut improbis ejus laboribus & eximiis ſanctitatis meritis perveniret ad munus, non quidem denuo & ex toto interpretandi Latine Hebræos Græcoſque codices, ſed ſolummodo reſtaurandi quæ injuria temporum, exſcribentium incuria, & petulantia quorundam Græco-latinorum in omnes ſinguloſque Latinos codices ir-

N re-

(a) *Scio propter hujuſmodi doctrinam univerſos Criticos præcipue Heterodoxos graviter mihi ſuccenſuros, verum eoſdem enixe rogo ne ſtudio tuendi præjudicia quæ deſponſarunt, injurioſos & contumelioſos ſe ſe prodant in Chriſtianam Eccleſiam potiſſimumque Latinam, ad quam, & non ad Synagogam ipſimet ſpectare gloriantur. Quis Chriſtianus Latinus mili animo feret, divinam Providentiam Hebræis, qui poſt adventum Servatoris noſtri alio diſceſſuri erant, voluiſſe impartiri Scripturas nativo ſermone integras, canonicaſque; Chriſtianis vero Latinis, quibuſcum unigenitus Dei filius aduſque conſummationem ſeculorum erit, penitus denegaſſe præfatum beneficium, habendi nimirum Scripturas Latino ſermone integras, & divinas? Si quoad vetus Teſtamentum ſolus Hebræus Textus complectetur verba divina, quomodo Synagoga poterit non inſultare Chriſtianorum Eccleſiæ tam Græcæ quam Latinæ, utpote quæ fundatæ ſuper Scripturas V. Teſtam. complectentes verba hominum obnoxiorum erroribus. Item, certum eſt veteres Græcos habuiſſe ſua Biblia pro Scripturis a Spiritu Sancto profectis; conſtat quoque D. Hieronymum ſuſcepiſſe emendationem Latini Textus, ad hoc ut Latini non amplius exultantem cernerent Græciam creſcentem de ſeipſis; ergo in hypotheſi quod Textus Latinus nullimode a Spiritu S. originem agnoſceret, fruſtra Hieronymus quoad præfatum effectum elaboraſſet; quandoquidem adhuc Græcia poſſet gloriari de ſuis Scripturis longe perfectioribus iis, quibus Latini utuntur. Cæterum quænam eſt hujuſmodi repugnantia quo minus Eccleſia Chriſti habuerit V. Teſtamentum eodem Spiritu interpretatum, qu d a SS. Prophetis pro veteri Synagoga fuit conditum? ſi dixeris quod nullus veterum Chriſtianorum id affirmarit, falleris, quum tanti iſti fecerint verba verſionis Græcæ & Latinæ, ut interdum conceptis verbis retulerint vel ad Spiritum S., vel ad eoſdem Prophetas, teſtantes pariter quodlibet verbum earundem Verſionum complecti ſacramentorum theſauros. Si interrogaveris eccur tam inſigne chariſma concedere renuamus verſionibus Syriacæ, Arabicæ, Armenicæ, Æthiopicæ &c., repono iterans quæ expoſuimus num. 526. in gratiam Bibliorum Hebraicorum, Græcorum & Latinorum, quæque minime quadrant Bibliis quavis alia lingua conſcriptis, utpote quæ ex turbatis fontibus hauſtæ, & inſuper elaboratæ ab hominibus adeo obſcuris, ut neque ætas, neque locus, neque nomen nobis ex certo innoteſcat.*

Digitized by Google

repſerant. Poterat quidem Spiritus S. quoad hujuſmodi munus eodem modo uti Hieronymo, ac uſus fuit Septuaginta ſenioribus, & primo Latino interprete; verum cur non præſtiterit, alii, quibus otium erit hoc divinare, videant. Id unum ſcio ex Apoſtolo, Spiritum S. ſervis ſuis chariſmatum theſauros conferre prout vult, & inſuper averſatur ſine neceſſitate immutare rerum ordinem. Præterquamquod non agebatur de novo aliquo condendo Scripturarum Libro, aut de Latina verſione ex toto iterum interpretanda ad normam Græci aut Hebræi, ſed ſolummodo emendanda, & reſtauranda ex mutua collatione veterum codicum Hebraicorum, Græcorum, & Latinorum.

585. Ex quibus colliges, noſtrum non eſſe tueri inviolabilem integritatem Hieronymianæ Verſionis inchoative, ſed in conſummatione: quod perinde eſt, non eam verſionem Hieronymi agnoſcimus pro integra & authentica, quam per primam ſcriptionem ille edidit; ſed eam cui poſtremam dedit manum, & Eccleſia quam maxime poſt ejus obitum retulit ad publicum uſum. Si enim exantlatis laboribus, ac inſignibus Sanctitatis ſpeciminibus Hieronymus ſe ſe diſpoſuit, ad hoc ut Spiritu Sancto dirigente haud erraret, evidens eſt, ipſius Verſionem tunc perveniſſe ad perfectionis faſtigium, quum in eſſe quieto reliquerit: ea quippe lege, qua tunc res aliqua dicitur poſita in eſſe quieto, quum motus conſummatus fuerit, juxta illud Angelici S. Doctoris (a): *Quies demonſtrat motum conſummatum*. Nec refert, quod contra iſtud adverſarii commoveantur arbitrantes, hujuſmodi diſtinctionem auferre a Hieronymo cœleſte Spiritus Sancti munimen, ob idque memorant exemplum Prophetarum & Apoſtolorum, quorum Libris nemo hactenus auſus eſt tribuere auctoritatem in conſummatione duntaxat, & non etiam inchoative: lata ſiquidem longaque adeſt diſpar ratio; iſti fuerunt calamus. Spiritus Sancti

(a) *Prima par. qu. 73. art. 2.*

Digitized by Google

ſti velociter ſcribentis, Hieronymus fuit calamus Spiritus Sanſti quoad emendationem Verſionis, confluentibus quoque ſummis ejus ſtudiis. *Item*, conſtat (quidquid pro arbitrio Proteſtantes & Janſeniſtæ effutiant, de quibus Demonſtrat. tertia) viſibilem Chriſti Vicarium ac Petri ſucceſſorem, in rebus fidei & morum frui peculiari Spiritus Sanſti præſidio, & tamen ejus definitiones non quum a primo litteris mandantur, agnoſcimus pro indefectibilibus, bene vero quum cenſentur prolatæ ex Cathedra, perinde ac ſi dicatur in conſummatione. Quibus præfatis, ad quod permagni intereſt, accedamus.

ASSERTIO

Hieronymiana Verſio in conſummatione edita nullum complexa fuit mendum correctione dignum.

§. II.

Probatur I. adſertum ex Veterum teſtimoniis.

586. Et principio operæ pretium duco memorare auream regulam, quam tredecim & plus retro ſeculis protulit Vincentius Lirinenſis in Commonitorio adverſus profanas omnium Hæreticorum novitates (*a*), quæque ad rem ſummopere conducit: *Quum*, inquit, *primum mali cujuſque erroris putredo erumpere cœperit . . . . ſtatim . . . majorum ſententiæ congregandæ ſunt, quibus illud quodcunque exurget vitium, ideoque profanum, & abſque ulla ambage prodatur, & ſine ulla retractatione damnetur. Sed eorum duntaxat Patrum ſententiæ conferendæ ſunt, qui in fide & communione Catbolica ſanſte, ſapienter, conſtanter viventes, docentes, & permanentes, vel mori in Chriſto fideliter, vel occi-*

(a) *Numero* XXVIII. *pag.* 361.

occidi pro Chriſto feliciter meruerunt . Quibus tamen hac lege credendum eſt , ut quicquid vel omnes vel plures uno eodemque ſenſu manifeſte , frequenter , perſeveranter velut quodam conſentiente ſibi magiſtrorum Concilio , accipiendo , tenendo , tradendo firmaverint , id pro indubitato , certo , ratoque habeatur . Atqui ſi conſuluerimus noſtros majores, qui in fide & communione Catholica , ſanƈte , ſapienter , conſtanter viventes, docentes, & permanentes, mori in Chriſto feliciter meruerunt , liquido adparet , neminem eorum detraxiſſe auƈtoritati Hieronymianæ verſionis in conſummatione editæ , & omnes e contrario uno eodemque ſenſu manifeſte , frequenter , perſeveranter , velut quodam conſentiente ſibi magiſtrorum Concilio accipiendo , tenendo , tradendo firmarunt præfatam verſionem eſſe bonam , veracem , probatam , ſicque jure meritoque ab univerſa Latina Eccleſia loco veteris Italæ pro futuris ſeculis adoptatam ; ergo pro indubitato , certo , ratoque habendum eſt , Hieronymianam verſionem in conſummatione editam nullum penitus complexam fuiſſe mendum correƈtione dignum. Probatur minor quoad primam partem, cujus quidem veritas & ſi ſola , adhuc ſatis ſuperque ad noſtrum intentum conduceret . Si qui fuerunt inter præfatos veteres , qui detraxerint Hieronymianæ editioni maxime D. Auguſtinus & Ruffinus Aquilejenſis , quum alii obtreƈtatores Hieronymi nec ab ipſiſmet noſtris adverſariis in cenſum revocentur ; at licet Auguſtinus & Ruffinus interdum averſati fuerint Hieronymianam verſionem , ex iis tamen quæ in hoc capitulo exponemus , conſtabit , hoſce præconceptam opinionem poſtmodum exuiſſe , & tam mirabili ſucceſſu , ut iidem evaſerint fautores præcones , & auƈtores Hieronymianæ verſionis in conſummatione editæ ; ergo &c.

587. Secundam partem minoris principalis quaſi manibus attreƈtabunt , qui diligenter penſaverint ſequentia clariſſimorum Veterum teſtimonia , quibus congregandis , ut monito Lirinenſis pro virili inſerviremus , haud levem certe laborem tulimus. S.Au-

S. Auguſtinus ita Hieronymum alloquitur (a) : *Non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quo Evangelium ex Græco interpretatus es : quia pene in omnibus nulla offenſio eſt, quum Scripturam Græcam contulerimus ; unde ſi quiſquam veteri falſitati contentioſus faverit, prolatis collatiſque codicibus, vel docetur facillime, vel refellitur. Et ſi quædam rariſſima merito amovent ; quis tam durus eſt qui labori tam utili non facile agnoſcat, cui vicem laudis referre non ſufficit?* Quod ſi alicui fuerit ſcrupulo ita cavillans : Auguſtinus præfatis verbis vix adprobaſſe videtur verſionem Hieronymianam quatuor Evangeliorum, non autem veteris Teſtamenti, quinimmo in eadem Epiſtola monebat Hieronymum, ut deſiſteret ab incepto ex Hebræo, & potius ex Græca virali Italam emendaret. Hujuſmodi profecto ſcrupulum præfocant hæc alia ejuſdem Auguſtini: *Non defuit* (b) *temporibus noſtris Presbyter Hieronymus, homo doctiſſimus, & trium linguarum peritiſſimus, qui ex Hebræo in Latinum divinas Scripturas convertit, cujus tantum litterarum laborem Hebræi fatentur eſſe veracem.* Ex quibus adparet, Auguſtinum non ſolum adprobaſſe verſionem Hieronymianam etiam veteris Teſtamenti, ſed inſuper ejuſdem veracitatem confirmaſſe, tum ex eximia doctrina Auctoris, utpote qui homo doctiſſimus erat, tum teſtimonio eorumdem inimicorum crucis Chriſti, nimirum Hebræorum. Et quamvis ſub initium, quo hujuſmodi Verſio cœpit lectitari, non admodum Auguſtino arridebat, indubium tamen eſt, veritate comperta non modo mutaſſe ſententiam, ſed inſuper ex refragatore inſignem ſuffragatorem factum eſſe, alios ejus exemplo excitans ad eam tanti faciendam, ut loco veteris Italæ jure merito ſubſtitueretur. Ea de re in Libro IV. de Doctrina Chriſtiana, & in alio inſcripto *Speculum*, quos poſtremis vitæ annis edidit, non ex vete-

re

[a] *Epiſt.* LXXI. *alias* X. *ad Hieronymum Cap.* IV. *Tom.* II. *col.* 161. C.
[b] *Lib.* XVIII. *de Civit. Dei cap.* XLIII. *Tom*- VII. *col.* 525. C.

re Latina, ut antea fecerat, ſed ex Hierônymiana, probationis vel reprobationis cauſſa, teſtimonia aſſumpſit, ſenſus & verba iſtius aquilino more rimando: *Non autem*, inquit (*a*), *ſecundum Septuaginta interpretes, qui etiam ipſi divino Spiritu interpretati, ob hoc aliter videntur nonnulla dixiſſe, & ad ſpiritalem ſenſum ſcrutandum magis admoneretur lectoris intentio; unde etiam obſcuriora nonnulla, quia magis tropica ſunt eorum; ſed ſicut ex Hebræo in Latinum eloquium Presbytero Hieronymo utriuſque linguæ perito interpretante, translata ſunt*. Et quoad Librum *Speculum*, obſervatum Patribus Maurinis (*b*): *Quo etiam conſilio adductum credimus* (Auguſtinum) *ut verſione uteretur non ex Græco LXX., ſed ex Hebræo, quod hanc demum comperiſſet eſſe illa multis in locis planiorem*. Quod vero ſpectat rationes & cauſſas, quibus hoc in negotio Auguſtinus ſenex diſſenſerit ab Auguſtino juvene, penſiculatius enucleabimus infra num. 655. Habes interim Auguſtinum tanti feciſſe Hieronymianam in conſummatione editam, ut prædicarit pro Verſione veraci, planiori, necnon primum vel de primoribus eundem fuiſſe, qui loco veteris Italæ Hieronymianam commentariis illuſtrarit.

588. Ruffinus Aquilejenſis tametſi famoſus Hieronymi obtrectator, adhuc tantam rationem habuit Verſionis ejuſdem in conſummatione ſpectatæ, ut ipſe quoque prætermiſſa editione Itala inſignita nomine Verſionis ſeptuaginta, Hieronymianam, vulgo *verſionem ex Hebræo*, interpretandam aſſumpſerit; ſicque dicendum, Hieronymianam a Ruffino quoque fuiſſe tandem habitam pro authentico Scripturæ Textu. *Dehinc*, hæc habet (*c*), *noſtri operis ut Lector agnoſcat quam ſim editionem ſecutus . . ., iſtam poſtremam editionem, quæ ſecundum Hebræum appellatur, eli-*

ge-

[a] *Lib. IV. de Doctr. Chriſt. Cap. VII. Tom. III. col. 70.*
[b] *In admonitione huic Libro præfixa Tom. III. col. 679.*
[c] *Præfatione in Commentar. Oſeæ. Tom. I. pag. 25.*

gerem. Quandoquidem in prioribus editionibus elocutiones vitiatæ frequenter ſenſum vel doctrinæ, vel narrationis diſrumpunt, ut divinatione magis quam conditione opus eſſe videatur. Poſterior autem iſta translatio ... elocutionum integritate, illa quæ diximus interceptorum ſenſuum damna frequenter evitat. Hoc ipſum iterat alibi (a): *Si frui ſenſibus liceret aut plebeja luce perſpicuis ſed arcano ſplendore reverendis, quam editionem aſſumerem (ſunt enim pluſculæ) delegiſſem. Notari videlicet ultimam, quæ ſecundum Hebræum vocatur, quod in ea magis elocutionum eſſet integritas quæ vel docentis affectum, vel comminantis exprimeret.* Ex quibus lubet Auguſtino & Ruffino, interdum refragantibus Hieronymianæ Verſioni, adaptare id quod acute obſervavit Magnus Gregorius diſſerturus de Apoſtolo S. Thoma, qui ſub initium renuebat adhibere fidem triumpho Reſurrectionis Chriſti (b): Numquid caſu geſtum creditis, quod Auguſtinus & Ruffinus cæteroquin viri probati & doctiſſimi reſtiterint Hieronymianæ verſioni? Non hoc caſu, ſed divina diſpenſatione contigit. Egit namque miro modo ſuprema clementia, ut præfati viri dubitantes de auctoritate illius, dum eandem uſurparunt tanquam Scripturæ Textum, in nobis dubietates extirparent. Plus enim nobis profuit repugnantia Auguſtini & Ruffini ad ſtabilitatem Hieronymianæ verſionis, quam prompta fides cæterorum veterum Eccleſiæ procerum. Clarior enim ex adverſariis veritas. Auguſtinum & Ruffinum Dominus permiſit dubitare de Hieronymiana verſione, non tamen in dubitatione deſeruit: ſicut voluit S. Joſephum dubitare de virginitate Mariæ, & D. Thomam de ejus Reſurrectione, ut validiores teſtes inde evaderent, ille integerrimæ virginitatis, iſte veriſſimæ Reſurrectionis.

589. Percelebris Salvianus vulgo Jeremia Galliæ, ſolvens ar-

(a) *Præfat. in Commentar. Joel. pag.* 103.
(b) *Homil.* XXVI. *in Evang. Tom.* III. *col.* 33. *E.*

Digitized by Google

argumentum eorum, qui opponebant, Hæreticos eadem divina Scriptura fulciri ac Catholici utuntur: *Utrumque*, reponit (*a*), *ergo videamus. Eadem, inquis, legunt illi* (Hæretici) *quæ leguntur a nobis. Quomodo eadem, quæ ab Auctoribus quondam malis, & male ſunt interpolata & male tradita? ac per hoc jam non eadem, quia non poſſunt penitus dici ipſa, quæ ſunt in aliqua ſui parte vitiata... Nos ergo tantum Scripturas ſacras, plenas, inviolatas, integras habemus, qui eas vel in fonte ſuo bibimus, vel certe de puriſſimo fonte hauſtas per miniſterium puræ translationis haurimus*. Porro quod Salvianus per Scripturas ſacras, plenas, inviolatas, integras &c. intellexerit editionem Hieronymianam, nemo certe rei criticæ peritus valebit ire inficias: tum quia Salvianus magnum ſibi nomen peperit anno Chriſtianæ ſalutis 430., quo quidem tempore Auguſtinus, Ruffinus, & univerſa Eccleſia occidentalis jam retulerant ad uſum Hieronymianam verſionem; tum etiam ex illis Salviani verbis *in fonte ſuo &c.* quæ Hieronymianæ unice quadrant, utpote ea Scriptura, quæ ad fontes appenſa fuit; tum tandem ex confeſſione eorundem Hæreticorum Joannis Milli, & Joannis Buddæi, præter Catholicorum opinionem communem. Nulli ergo dubium, Salvianum habuiſſe verſionem Hieronymi pro Textu Scripturarum ſacro, pleno, inviolato, integro, & canonico.

590. Caſſiodorus (*b*): *Meminiſſe autem debemus memoratum Hieronymum omnem translationem ſuam in auctoritate divina* (*ſicut ipſe teſtatur*) *propter ſimplicitatem fratrum, colis, & commatibus ordinaſſe, aut qui diſtinctiones ſecularium litterarum comprehendere minime potuerunt, hoc remedio ſuffulti inculpabiliter pronunciarent ſacratiſſimas lectiones.* Qui fieri potuit, ut Caſſiodorus ad divinam auctoritatem referret omnem Hieronymi translationem colis & comma-

(a) *Lib. V. de Gubernatione Dei prope initium pag. 99.*
(b) *De divinis lectionibus Cap.* XII. *pag.* 234.

matibus ordinatam, æſtimans quoque eandem complecti ſacratiſſimas lectiones, ſi pro rato non haberet omnium errorum expertem eſſe, necnon divina auctoritate fulciri? Huc quoque ſpectant hæc alia ab eodem prolata (a): *B. Hieronymus Latinæ linguæ dilatator eximius, qui nobis in translatione divinæ Scripturæ tantum præſtitit, ut ad Hebræum fontem pene non egeamus accedere, quando nos facundiæ ſuæ multa cognoſcitur ubertate ſatiaſſe.* Quod ſi memineris Caſſiodorum dubitanter adhæſiſſe Hieronymianæ verſioni, de hoc fuſe egimus num. 544. & 545.

591. S. Gregorius Magnus (b): *Quia hæc nova translatio ex Hebræo nobis Arabicoque eloquio cuncta verius transfudiſſe perhibetur, credendum eſt, quidquid in ea dicitur: & oportet, ut verba illius noſtra expoſitio ſubtiliter rimetur.* Ecquid aliud Gregorius proferre poterat pro ſolatio Hieronymianæ verſionis, quum teſtatur, credendum eſſe quidquid in ea dicitur? nonne perinde eſt, Hieronymi translationem complecti ſine exceptione aliqua probatum, inviolabile, canonicum verbum Dei ſcriptum? Haud inficiamur, hæc Gregorium ſcripſiſſe occaſione ſolius Libri Job, quem Hieronymus ex Hebræo Arabicoque eloquio transfuderat, quemque ex inſtituto illuſtraturum Gregorius ſuſcepit; verum quod præfatum teſtimonium de mente Gregorii extendendum ſit ad integrum Hieronymianum Textum, ſatis eruitur ex eiſdem locis Scripturarum utriuſque Teſtamenti, quæ in univerſis ejus operibus citat non ſecundum Latinam veterem, ſed novam Hieronymi, hanc & non illam expendendo, ut clarius patebit infra num. 668.

S. Iſidorus Hiſpalenſis: *Presbyter*, inquit (c), *quoque Hieronymus trium linguarum peritus, ex Hebræo in Latinum eloquium eaſdem Scripturas convertit, eloquenterque transfudit.*

Tom.III. O

(a) *Lib. cit. Cap.* XXI. *p.* 240. *a tergo*.
(b) *Lib.* XX. *Moral. Cap.* XXIII. *Tom.* I. *col.* 536. *C.*
(c) *Lib.* VI. *Origin. cap.* III. *pag.* 74. *E.*

Digitized by Google

dit. Cujus interpretatio merito cæteris anteſertur: nam eſt verborum tenacior, & perſpicuitate ſententiæ clarior: Et iterum (*a*): *De Hebræo autem in Latinum eloquium tantummodo Hieronymus Presbyter ſacras Scripturas convertit, cujus editione generaliter omnes Eccleſiæ uſquequaque utuntur, pro eo quod veracior ſit in ſententiis, & clarior in verbis.* Non eſt opus iſta expendamus, quum ſponte ſua cujuſvis attente legentis animum ſubeant.

592. Venerabilis Beda: *Fixa*, inquit (*b*), *autem mihi ſtat ſententia, quam a nullo prudentum redarguendam autumo, ut ſicut Reverendiſſimus ejuſdem Hebraicæ veritatis Interpres* (Hieronymus) *obtrectatoribus ſui operis* (reſpondit) *non damno Septuaginta . . . ita & ego . . . Hebraicæ veritatis integram præfero puritatem.* Et infra (*c*): *Hæc de curſu præteriti ſeculi ex Hebraica veritate prout potuimus, elucubrare curavimus, æquum rati, ut Græci Septuaginta tranſlatorum editione utentes de ea ſibi ſuiſque temporum libros condidere, ita & nos, qui Beati interpretis Hieronymi induſtriam puro Hebraicæ veritatis fonte potemur . . . Cæterum cunctis in commune ſuademus, ut ſive quis ex Hebraica veritate, quæ ad nos pervenit per memoratum Interpretem, puram perveniſſe etiam hoſtibus Judæis in profeſſo eſt &c.* Non video quibus inſignioribus officiis valuiſſet Beda Hieronymianam verſionem proſequi.

Rabanus Maurus (*d*): *Ex Hebræo autem in Latinum eloquium tantummodo Hieronymus Presbyter ſacras Scripturas convertit: cujus editione generaliter omnes Eccleſiæ uſquequaque utuntur, pro eo quod venerator ſit in ſententiis, & clarior in verbis.*

593. Hugo a S. Victore (*e*): *Octava* (verſio) *eſt Hierony-*

(a) *Lib.* I. *de officiis Eccleſiaſt. cap.* XII. *p.* 583. *col.* 2. *C.*
(b) *Præfat. in Lib. de tempor. Ratione Tom.* II. *p.* 43.
(c) *Lib. cit. cap.* LVI. *p.* 100.
(d) *Lib. II. de Inſtitut. Clericorum cap. LIV.*
(e) *Lib. IV. Eruditionis Didaſcalicæ cap. V. Tom. IV. p.* 18. *B.*

Digitized by Google

nymi, quæ merito cæteris antefertur, nam & verborum tenacior eſt, & perſpicuitate ſententiæ clarior. Et alibi (a): *Octavo loco Hieronymus acceſſit, non jam de Hebræo in Græcum ſicut priores, ſed de Hebræo in Latinum transferens ſermonem. Cujus translatio, quia Hebraicæ veritati concordare magis probata eſt, idcirco Eccleſia Chriſti per univerſam Latinitatem præ cæteris omnibus translationibus, quas vitioſa interpretatio ... corruperat, hanc ſolam legendam, & in auctoritate habendam conſtituit*. Hæc poſtrema Eraſmo, Waltono, aliiſque Recentioribus graviter diſplicuere, opponentes, quod excepto Hugone Victorino nemo veterum præſatam conſtitutionem ſubodoratus fuerit: verum hic non agitur de re deducta ad uſum, penes Eccleſias unius Civitatis, vel Provinciæ, vel Regni, vel Nationis, & pro uno vel alio ſeculo ibidem conſecrata; ſed de Hieronymiana verſione, quam univerſa Occidentalis Eccleſia adoptavit, & conſtanti ſeculorum uſu aduſque noſtram ætatem retinet: quî autem fieri potuit, ut ſine ſpeciali Eccleſiæ, vel Concilii conſtitutione id acciderit? At, replicabis, hujuſmodi ſanctio nullibi legitur; ſed neque ante tempora Auguſtini alicubi inveniebatur monumentum, quo conſtitiſſet a quibus, quomodo, vel quando inducta fuerit anniverſaria ſolemnitas vel paſſionis Domini, vel Reſurrectionis, vel Aſcenſionis in Cœlum, vel Adventus Spiritus Sancti de Cœlo, & conſimilia; & tamen aquilinus Doctor ea ratione nixus, quod præfatæ feſtivitates pro more veteri, Chriſtianæ Eccleſiæ annuatim celebrabantur, idcirco haud credere dubitavit, eaſdem vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis conſtitutas fuiſſe. Quare & illam ſtatuit receptiſſimam regulam: *Illa autem, quæ non ſcripta ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe ſervantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctori-* O 2 *tas*

(a) *De ſcriptur. & Scriptor. ſacr. cap.* IX. *Tom.* I. *p.* 4. *B.*

Digitized by Google

tas commendata, *atque ſtatuta retineri* (*a*) : quum ergo a Hieronymi obitu aduſque noſtram ætatem univerſa Latina Eccleſia Hieronymianam conſtanter conſecrarit, nonniſi conſtitutione Eccleſiæ, dicendum eſt, eam fuiſſe communiter uſurpatam :

594. *Præterquam quod*, haud talia quæ deſiderantur monumenta deſunt. Synodus Hieroſolymitana ſub Joanne Hieroſolymitano Epiſcopo habita menſe Julii an. 415. & Hieronymo adhuc vivente : *Cujus* (Hieronymi), inquit, *eloquium univerſus Occidens*, *ſicut ros in vellus expectat* (*b*). *Item*, Synodus Milevitana, in qua interfuit D. Auguſtinus cum ſexaginta aliis Patribus, Epiſtola ad Innocentium I. teſtatur, quod licet plures viri indagarint pravum ſenſum Pelagii; *ſed*, ſubdit (*c*) *præcipuè S. filius tuus*, *& compresbyter noſter Hieronymus*. *Item*, juxta communiorem ſententiam (*d*), Gelaſius in Concilio Romano LXX. Epiſcoporum celebrato an. 494., commemorans controverſias ſubortas inter Ruffinum & Hieronymum: *Illa*, inquit (*e*), *ſentimus*, *quæ B. Hieronymum ſentire cognoſcimus*: *& non ſolum de Ruffino*, *ſed etiam de univerſis*, *quos vir ſæpius memoratus zelo Dei*, *& fidei religione reprehendit*. *Item*, in hoc eodem Concilio Gelaſius edidit decretum de Libris canonicis : nunc peto, quos ne Libros Scripturarum agnovit pro canonicis, illos nimirum, qui continebantur apud volumen Hebraicum, vel Græcum, vel veteris Italæ, an potius juxta editionem Hieronymianam? ſi quem puduerit ineptire, & ridiculum ſe ſe prodere, opus eſt affirmet, eum condidiſſe canonem Scripturarum, & adprobaſſe canonicos Libros uti extabant apud Hieronymianam editionem, utpote ea quæ [illegible] a do-

(a) *Epiſt.* LIV. *alias* CXVIII. *ad Januarium cap.* I. *Tom.* II. *col.* 124. *B.*
(b) *Apud Harduin. in Collection. Concil. Tom.* I. *col.* 1207. *D.*
(c) *Apud Harduin. cit. col.* 1222.
(d) *Ex dicendis num.* 740. *non ex profeſſo conſtat*, *decretum de libris recipiendis*, *& rejiciendis fuiſſe editum a Gelaſio* I. *in Concilio Romano*.
(e) *Apud Harduin. cit. Tom.* II. *p.* 940. *C.*

a doctiſſimo & religioſiſſimo Auctore prodierat, quæ inter omnes Bibliorum codices quavis lingua conſcriptos ſola incedebat a corruptelis immunis, quamque Romana Eccleſia cæteris editionibus jam prætulerat, ac ſuo probarat ſacro uſu. Quid amplius? nonne Concilium Lemovicenſe (*a*) ſtatuit: *Qui* (Hieronymus) *Vetus & Novum Teſtamentum de Hebræo, & Græco in Latinum fideliter tranſtulit, qui ſacrorum voluminum expoſitor fuit, de cujus auctoritate dubitare quempiam nefas eſt, quum inter omnes Doctores poſt Apoſtolos fortior columna Eccleſiæ ſit?* Quomodo ergo temeritate carebunt ii Recentiores, qui audent aut ignaviæ, aut oſcitantiæ, aut mendacii carpere Victorinum, ex quo affirmat: conſtitutum fuiſſe ab Eccleſia, ut ſola Hieronymiana legeretur, & in auctoritate haberetur.

595. Bene noſco orationis filum longius me protracturum, ſi quotquot de Hieronymo, & Hieronymiana veteres reliquerunt, hic vellem ſingula percenſere: heinc ſolummodo præfatis adjicies Trithemium ſcribentem (*b*): *Inter omnes Eccleſiæ Doctores nullus plus Hieronymo profuit, qui præter innumera opuſcula, Vetus Teſtamentum de Hebraico in Latinum tranſtulit, ac Novum ad Græcam veritatem correxit, atque legendum Eccleſiæ fideliter obtulit.* Adjicies PP. Tridentinos ſuo calculo, ut oſtendemus num. 681., qui Latinam Hieronymianam adprobarunt. Adjices Sixtum V. in ejus Diplomate *Æternus: Quicunque*, inquit, *tanti Interpretis* (Hieronymi) *ſanctitatem, ingenium, eruditionem, ſolertiam, Magiſtros, labores, illud in quo vixit ſeculum, quum linguarum omnium, ac præſertim Hebrææ ſtudia florerent diligenter ſpectaverint, facile judicium damnabunt eorum, qui aut tam eximii Doctoris lucubrationibus non acquieſcunt, aut etiam meliora, ſeu paria præſtare ſe poſſe confidunt.*

(a) *Celebratum XIV. Kalendas Septemb. an.* 1031. *ſeſſion.* I. *apud Harduin. cit. Tom.* VI. *part.* I. *p.* 854. *D.*
[b] *Lib.* I. *de Scriptoribus Eccleſiaſt.*

Digitized by Google

dunt. Quibus tandem acceſſit Præfatio Bibliorum Clementis: *Non immerito Catholica Eccleſia S. Hieronymum Doctorem maximum, atque ad Scripturas ſacras interpretandas divinitus excitatum, ita celebrat, ut jam difficile non ſit illorum omnium damnare judicium, qui vel tam eximii Doctoris lucubrationibus non acquieſcunt, vel etiam meliora, aut certe paria præſtare ſe poſſe confidunt. Quæ*, idem Cl. Lirinenſis cujus teſtimonio hanc orditi ſumus ſpartam explicet (*a*), *quum ita ſint, iterum atque iterum eadem mecum revolvens & reputans, mirari ſatis nequeo tantam quorundam hominum veſaniam, tantam excæcatæ mentis impietatem, tantam poſtremo errandi libidinem, ut contenti non ſint tradita ſemel, & accepta antiquitus credendi regula, ſed nova ac nova in diem quærant, ſemperque aliquid geſtiant religioni addere, mutare, detrabere, quaſi non cæleſte dogma ſit, quod ſemel revelatum eſſe ſufficiat, ſed terrena inſtitutio, quæ aliter perfici niſi aſſidua emendatione immo potius reprehenſione non poſſit, quum divina clament oracula*: Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui (*b*): Non te prætereat narratio ſeniorum: ipſi enim didicerunt a patribus ſuis (*c*). Qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber (*d*). *Et illud Apoſtolicum*: O Timothee depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quàm quidam promittentes circa fidem exciderunt (*e*). *Et poſt hæc invenientur aliqui tanta inveteratæ frontis duritia, tanta impudentiæ incude, tanto adamante pertinaciæ, qui tantis eloquiorum cæleſtium molibus non ſuccumbant, tantis ponderibus non fatiſcant, tantis malleis non conquaſſentur, tantis poſtremo fulminibus non conterantur?* Hactenus acutiſſimus mellifluuſque Lirinenſis, cui quid-

quam

(a) *Commonitorio cit. num.* XXI. p. 348.
(b) *Prover.* XXII. *v.* 28.
(c) *Eccleſiaſtic.* VIII. *v.* 11.
(d) *Eccleſiaſt.* X. *v.* 8.
(e) I. *ad Timoth. Cap.* VI. *v.* 20.

quam addere ſuperfluum æſtimamus & frigidum.

Spiſſum pervulgatumque Joannis Clerici objectum expenditur.

596. Antiquitas ſolitarie inſpecta, ſeu deſtituta rationibus, minime advocari poteſt ad ferendum rectum judicium veri. Recordemur oportet Rationem non minus nobis eſſe datam quam veteribus, ſive ex æquo veteres & nos oculos habere. Ad rem itaque rite dirimendam minime ſufficit, quod Antiquitas magni fecerit Hieronymianam verſionem, ſed inſuper inveſtigemus neceſſum eſt, utrum rite, vel potius ex imperitia bonarum literarum tot laudes congeſſerit tum in Hieronymum, tum in Hieronymianam. *Horum ego*, ſic famoſus Clericus omnibus Veteribus Recentioribuſque doctis ad ſuum tribunal accerſitis, more Præſidentis eorum cauſam dirimit (*a*), *hominum* (Recentiorum) *cauſam quum tueri aggredior, videor mihi, non meam, aut aliorum, qui nominatim laceſſiti ſunt, quod Hieronymum erraſſe aliquando dixerint; ſed non exiguæ, nec ſpernendæ partis humani generis cauſam dicere. Aguntur enim hic jura naturæ humanæ, agitur communis totius Reipublicæ litterariæ libertas; quæ violantur atque opprimuntur ab iis, qui ab aliquot ſeculis contendunt a litterarum ſtudioſis nullo modo poſſe in dubium revocari, quod ſanxerunt conſenſus, & auctoritas priorum ætatum, in rebus etiam, quæ iis notiores non erant, quam nobis; quæcumque a Recentioribus proferantur rationes; ſed conſentientem vetuſtatem tantæ venerationi eſſe oportere, ut omnia ejus placita ſine examine admittantur. Quid enim aliud eſt in Republica litteraria ſervum eſſe natum, quam ſi ex aliorum judicio ita noſtrum pendeat, ut ab illorum ſententia, quæcumque ſit, numquam abire liceat, utque noſtræ Rationi non credamus, ſed*

(a) *Quæſt.* III. *Hieronymiana p.* 46.

Digitized by Google

ſed tantum aliena? Imo vero hæc deterior multo eſt ſervitus, quam quæ ita vulgo dici ſolet. Servitus enim quæ ad corpus pertinet, ad animum non pertingit; hæc vero ſervitus eſt animi, eo fœdior, quo animus præſtantior eſt corpore & natura ſua liberior. Illa hominum corpora hominibus ſubjicit, Rationem intactam relinquit; hæc vero Rationem mancipat alienis decretis, aut potius exſtinguit... Qui Rationem ſuam in ſervitutem vendit, is homo eſſe deſinit. Valeant ergo importuni animorum mangones, qui vellent nos ne inſtar quidem hominum vendere, ſed inſtar pecudum Ratione deſtitutarum. Ex quibus ad voluntatem Clerici conſtat, quod licet Veteres habuerint Hieronymianam verſionem pro inviolabili Scripturæ Textu, conſequens tamen non eſt, vel quod ea revera ſit talis, vel quod Recentiores non alia ratione teneantur eam pro authentica habere, niſi quia ſic ſtatuit Antiquitas.

Hiſce addas *primo*, quod idcirco Veteres adhæſerunt Hieronymianæ, quia linguæ Hebraicæ ſacræque Critices, quæ hujuſmodi rei dijudicandæ neceſſariæ ſunt, non fuerunt periti. *Secundo*, nonniſi ſumma temeritate denegabitur mirificus ille profectus, quem Veteres Recentioreſque Theologi pariunt Eccleſiæ Chriſti, revocantes ad novam criſim omnia ferme & ſingula fidei dogmata, quæ ab eadem Antiquitate agnita fuerunt pro veris & inconcuſſis: ſicque a primo ad ultimum, momentum ab Antiquitate petitum circa inviolabilem integritatem Hieronymianæ verſionis non eſt tanti ponderis, ut Recentiores nequeant in oppoſitam ſententiam religioſe abire.

597. *Reſpond.* In anteceſſum duo velim obſerves, *primum*, ſubdolam ſcribendi rationem, quam Hæreticus iſte hoc in negotio tenet. Namque agit ſimul Chiſtianum, & Ethnicum; Chriſtianum, quum de Chriſto, de Apoſtolis, ac præcipuis chriſtianæ Religionis capitibus oſtendit religioſe ſentire; Ethnicum, quum illis penitus momentis utatur ad excutiendam, & extirpandam e cordibus Recentio-

rum

rum auctoritatem Veterum, quæ proferri poſſunt ab Ethnicis repugnantibus credere id, quod naturali lumine non valent aſſequi. Ubi Theologi Pontificii & Proteſtantes generatim tractant de auctoritate Scripturæ, & de auctoritate Traditionis Veterum ſeorſim, tanquam diſtinctis Theologiæ ſedibus haud ad invicem confundendis, Clericus eas ſimul jungit, & tanto fuco præcolorat, ut una inſerviat perniciei alterius. Non eſt contentus pro voluntate Proteſtantium inficiari auctoritatem Bibliorum Latinorum, & Traditionis Veterum, ſed ea lege, ut denegatio Traditionis ſtruat viam ad ſauciandam auctoritatem Scripturæ ſive Hieronymianæ Verſionis, qua Veteres uſi ſunt; & inſuper eo ſcopo criminatur errorum tam Hieronymum, quam Hieronymianam Scripturam, ut hujuſmodi peccata ſimul redundent in vitium Antiquitatis haud dignoſcentis verum a falſo, Scripturam legitimam ab adſcititia. Unde oritur, ut licet meæ provinciæ ſit hic diſputare de auctoritate Scripturæ, verum ut ſubdolo argumento vaferrimi hominis ſatis fiat, cogor potiora ad auctoritatem Traditionis conducentia ſummatim exponere.

598. *Secundo* obſerves eam propoſitionem, quam Clericus non ſemel profert, quæque in argumento primo occurrit, *Antiquitas ſolitarie inſpecta, ſeu deſtituta Rationibus minime vocari poteſt ad ferendum rectum judicium veri*. Quum enim nomine Antiquitatis ipſe intelligat communem perpetuumque conſenſum Veterum (a), jam ad ejus placitum tenendum erit, Veteres interdum tam longe erraſſe, ut communi perpetuoque conſenſu aliquid dixerint, aut fecerint, tametſi nullam penitus rationem habuerint illud dicendi, vel faciendi. At quis quæſo niſi ſtupidus, aut infenſiſſimus Antiquitatis hoſtis id ſibi poterit fingere, & multo magis non erubeſcet aſſerere? Clericus in præfata propoſitione non loquitur de uno vel altero Veterum, neque

(a) *Ut videre eſt apud Epiſt.* IV. *Artis Crit. Tom.* III. *& alibi*.

Digitized by Google

que de Veteribus unius vel alterius ſeculi, ſed de omnibus plurimorum ſeculorum; & inſuper quod iſtis collective ſumptis arriſerit, quid adeo prodigioſum dicere, vel facere, ut nulla penitus ratio eiſdem ſolatio fuerit. Dicam plus, per eandem propoſitionem dat Clericus pariter intelligere, inveniri homines Recentiores tam ſocordes, tam fatuos, ut eoſdem non pudeat advocare præfatam Antiquitatem Rationibus deſtitutam ad ferendum rectum judicium veri; quo quid falſius, quidve iniquius nemo non deprehendet. E contrario ultro libenterque ei concedimus, Rationem non minus nobis eſſe datam quam Veteribus, ex æquo Veteres, & nos oculos habere; at quorſum iſta? quo inquam tendunt? forte idoneum locum Clerico ſuppeditabunt tribuendi Recentioribus Chriſtianis eam pernicioſiſſimam facultatem, qua valeant ſerena fronte tum revocare in dubium id, quod ab Antiquitate in materia Dogmatum dictum eſt vel factum, tum ſubſidio humanæ Rationis rimari utrum Antiquitas rite, vel imperite aliquid crediderit, tum tandem, ut alia brevitatis ſtudio prætermittam, quæque continentur in exſcripto ejus teſtimonio, & alibi (*a*), pro rato habendum, mangonum animorum eſſe in rebus Religionis mancipare Rationem Recentiorum Antiquitati? Hæc itaque tria majori qua poſſumus brevitate diligenter diſcutiamus.

599. *Quoad primum*. Si datum erit Recentioribus Chriſtia-

(*a*) Ut uſui ſint Patrum ſcripta primum diſtinguendam eſſe Hiſtoriam dogmatum & rerum geſtarum, quam ab illis ſolis petere poſſumus, a veritate ipſa dogmatum & regula morum, quas a Chriſto ejuſque Apoſtolis duntaxat accipimus, quia nos fallere non poſſunt. Ut ſciamus an probandum ſit quod fecerunt, aut dixerunt Patres, id exigendum eſt ad Novi Teſtamenti normam (*ſubaudi ex dictis ejus, præſidio humanæ Rationis examinantis & dijudicantis*) cum qua quidquid conſentit rectum eſt, & a qua quidquid diſſentit obliquum, quantalibet multitudine probetur. *Et iterum*, Patrum vero, ut vocantur, conſenſus, multitudo, & Antiquitas pondus nullum apud nos habeant oportet; niſi quatenus conſentiunt cum ſummo illo & unico Doctore (*Chriſto*), fidelibuſque ejus diſcipulis, quorum doctrinam miraculis comprobavit; *Clericus Epiſt. cit. p.* 128.

ſtianis, ad hoc, ut propria Ratione utantur, revocare in dubium id quod ab Antiquitate in materia dogmatum dictum eſt, vel factum, niſi error me capiet, actum erit de Chriſtiana Religione. Verum enim vero, omnia quæ primum potiſſimumque hanc concernunt, non aliter clare, & certo innoteſcunt nobis, & creduntur, quam veterum PP. conſenſu, ſive veteris Eccleſiæ teſtimonio: & per conſequens ſi juxta præſcriptum Clerici licebit Recentioribus revocare in dubium, & ad normam Rationis examinare, utrum quod ab Antiquitate creditum eſt, vel traditum conſentiat cum novo Teſtamento, cum Chriſto ejuſque Apoſtolis, vel potius diſſentiat; & inſuper pro eorundem judicio iterum rem dijudicare, & dirimere, quis vel parum inſtructus plane non videbit, de articulis noſtræ Chriſtianæ religionis nihil penitus certi nos habere, nihil tuti, nihil rati? & per conſequens quomodo de Chriſtiana religione actum prorſus non erit? Non eſt hic locus altercandi, utrum omnia, quæ divina fide creduntur, contineantur in Scripturis, uti merito negatur a Catholicis (a), injuſte reclamantibus Hæreticis; ſed dubium unice emergit deſuper modo & via, qua dogmata fidei clare, perſpicue, & nobis adfulgeant, & ad nos pervenerunt? Quocirca non Scriptura, ſed duntaxat, vel potiſſimum ſaltem traditio Veterum eſt præciſa cauſa. Seligamus exemplum unum. Unde amabo te nobis clare perſpicueque patet, Verbum, ſive Filium in divinis eſſe Patri conſubſtantialem? ſi dixeris ex Scripturis, oppido falleris; quoniam ſi ex iſtis certo, diſtincte, & manifeſte conſtaret Verbi divinitas, nullum penitus Arianis adfuiſſet præſidium commovendi ad ſuas partes univerſum pene Orbem; haudquaquam vetus Chriſti Eccleſia ob hujuſmodi cauſſam immanes perſecutiones ſuſtinuiſſet, quibuſque vitandis coa-

(a). *Plèraque credenda & facienda enumerantur a noſtris Controverſiſtis, quæ nullibi in Scripturis reperiuntur, & ex ſola Traditione ſunt accepta: unde rite concludunt, Scripturam non eſſe regulam fidei ſufficientem. Legeſis Joan. Gabrielem Boyuin Tom. IV. Theolog. Quæſ. IV. de fide p. 43. & Quæſt. V. p. 47.*

dunavit Concilium Nicænum, Romanum, Mediolanenſe, Ariminenſe, aliaque; neque tandem tot jurgia, ſeditiones, rumores, ſcandala, calumniæ Orientem ſimul, & Occidentem pervaſiſſent. Putas forte, Arianos ſine Scripturarum teſtimoniis adſeruiſſe Verbum eſſe ex extantibus, aut eiſdem defuiſſe Scripturarum loca, ſub quibus ceu ſub umbraculis ſuam Hæreſim latitarent? *Volabant*, huc apto, quod de univerſis Hæreticis deſcripſit Vincentius Lirinenſis (a), *enim per ſingula quæque ſanctæ legis volumina, per Moyſis, per Regum libros, per Pſalmos, per Apoſtolos, per Evangelia, per Prophetas, ſive enim* Ariani *apud ſuos, ſive alienos, ſive privatim, ſive publice, ſive in ſermonibus, ſive in Libris, ſive in conviviis, ſive in plateis, nihil unquam pene de ſuo proferebant, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conarentur*: quod minime geſtum eſſet, ſi Scriptura clare perſpicue, & diſtincte Verbi divinitatem traderet. Hiſce addas, quod Patres orthodoxi non tam Scripturæ teſtimoniis, quam primum potiſſimumque calculo priorum Patrum, ſive Antiquitatis Arianos divexarunt & convicerunt, uti eruitur ex ſequenti loco D. Athanaſii. Hoc itaque, ſicut & alia Chriſtianiſmi dogmata, non aliter nobis innoteſcunt clare, diſtincte, & ſine ulla hæſitatione in oppoſitum, niſi traditione PP., ſive Antiquitatis auctoritate.

600. Præterquam quod, ſi Recentiores Chriſtiani gaudebunt facultate non parendi Traditioni Veterum, poterunt de conſequenti etiam ipſimet Scripturæ ſive Veteris, ſive Novi Teſtamenti libere denegare aſſenſum; quandoquidem non aliter nobis conſtat, Scripturam, quam hodie habemus, eſſe illam quam ediderunt Prophetæ & Apoſtoli, & non potius Pſeudoprophetæ & Hæretici, niſi face Traditionis, utpote quæ nobis eam religioſiſſime cuſtodivit, communi perpetuoque conſenſu nobis tradidit, obteſtans ſimul, hanc & non aliam eam eſſe, quam primi Chriſtiani

(a) *In Commonitorio n. XXV. p. 356.*

ni ab Apoſtolis acceperant. Quod ſi ad voluntatem Clerici hujuſmodi conſenſus, multitudo, & Antiquitas tradens hanc, & non aliam eſſe germanam Scripturam, nullum apud nos pondus habebit, qua quæſo via ſciemus, quave face ducemur ad dijudicandum Scripturam noſtram, & non potius Alcoranum Turcarum complecti verba Spiritus Sancti? ſicque quid certi, quid rati, quid tuti de revelata Religione haberemus? Nihil profecto.

601. *Quoad ſecundum*. Tunc certe Recentiores Chriſtiani poſſent præſidio Rationis rimari num rite, vel imperite Veteres aliquid crediderint, ſi iſti ſolis naturæ viribus, & pro eorum privato judicio illud credidiſſent. Quamquam húmana Ratio, & exactiſſimum ſtudium Patrum e. g. Epheſinorum contulerint ad definiendum, Chriſtum eſſe verum Deum; ratio autem motiva, quæ eoſdem excitavit ad declarandum, & conſtabiliendum præfatum dogma, fuit obſervatio qua animadverterunt, a tempore Apoſtolorum aduſque eorum ætatem, Chriſtum pro vero Deo fuiſſe conſtanter agnitum; adeôut quum S. Cyrillus in medio Synodi protuliſſet epiſtolam Capreoli Epiſcopi Carthaginenſis ſummopere commendantis, ut S. Synodus unice attenderet ad confirmanda antiquæ fidei dogmata, novitia vero, quæ effutiebantar a Neſtorio reprobarentur & damnarentur, hoc audito omnes Epiſcopi, Magiſtri, Conſiliarii, Teſtes, Judiceſque ita acclamaverunt: *Hæc, omnium voces ſunt, hæc omnes dicimus, hoc omnium votum eſt*. *Niſi*, ſubdit Vincentius Lirinenſis, a quo (*a*) præfatum teſtimonium accepimus, *ut quod erat antiquitus traditum teneretur; quod adinventum nuper exploderetur*. Hanc pariter ſolemnem regulam tenuiſse comperies omnes Eccleſiæ Patres, tum ſeorſim, tum in Synodis generalibus & provincialibus adunatos, ſi otium tibi erit eorundem monumenta animo verſare. Si autem petieris, eccur id fecerint? ipſamet humana ratio dictat, &

(*a*) *In Commonitor. cit. num.* XXXI. *p.* 367.

Digitized by Google

& nonniſi vertiginoſis non ſuadebit. Quum enim Chriſtiana Religio innitatur fundamento ſpirituali & ſupernaturali, ejuſque dogmata ſint divinitus revelata, reſpectu quorum humanum acumen vix ancillatur, idcirco indiſpenſabiliter oportuit, ut rem definirent ad fidem eorum Veterum, qui claram & diſtinctam revelationem acceperant vel a Chriſto, vel ab Apoſtolis, & eandem ſuis filiis, nepotibus, aliiſque poſteris tradiderant. Longius plane ab humano captu revelata diſtant, quam veteres rerum Hiſtoriæ ab oculis eorum, qui poſt elapſa ſecula ſucceſſerunt: iſta enim ejuſdem ſunt ordinis naturalis, illa autem ordinum diverſorum, naturalis ſcilicet & ſupernaturalis, humani & divini; quod ſi Veteres, eodem Clerico conſentiente & aſſerente, nonniſi ſuorum patrum traditione vetuſta facta acceperunt, majori neceſſitudine oportet, ut antiquitus revelata per traditionem pariter acceperint; & conſequenter ſi quod credidit nobiſque tradidit Antiquitas, non face ſolius luminis naturalis novit, credidit, ac tenuit; ſed ex revolatione per traditionem accepta, plane ſtultus eſt, qui ſolo ductu humanæ Rationis contendet examinare, diſcutere, & definire, quod in materia Religionis ab Antiquitate conſentiente dictum eſt, vel factum.

602. *Quoad tertium*. Qui hoc in negotio repugnat Antiquitati adhibere fidem, manifèſte ſe ſe prodit Hæreſibus addictum, quia Hæreticorum ſemper mos fuit ſpernere auctoritatem, & traditionem Veterum; uti conſtat de ſceleſtiſſimis Arianis, adverſus quos efferbuit teſſera Catholicæ fidei S. Athanaſius (*a*), de impio Neſtorio, qui omnibus ve-

(*a*) Quis igitur non approbaverit piam prudentiam Epiſcoporum Arimini congregatorum, qui tantum itineris, laborem, tantaque pericula maris ſuſtinuerunt, ut Arianiace ſapientes ab Eccleſia detraherent, & Patrum Traditiones integras conſervarent, ſancta & canonica decreta facientes? quiſque enim eorum ſibi perſuadebat, ſi ſolveret aliquid ex decretis majorum, occaſionem ſe daturum poſteris, ut quod ipſi egiſſent, reſcinderetur. Quis autem quæſo non vituperaret temeritatem Eudoxii & Acacii . . . ? quæ quidem fides in eorum actis, ſi decreta majorum ſuorum ſolvant? aut quomodo eos, quibus ſucceſſere patres ſuos appellabunt, quo-

veteribus ſe ſe præferebat teſte Vincentio Lirinenſi (*a*), de Agrippino Carthaginenſi, qui contra Antiquitatis conſenſum conabatur obtrudere morem rebaptizandi (*b*), de peſtiferis Pelagianis, qui plebem Chriſti ſeducebant ad damnandos Veteres, & vetera (*c*), de Petro Abailardo, cujus hæreticalem ſpiritum in ſpernenda auctoritate veterum Eccleſiæ PP. taxavit S. Bernardus (*d*), de omnibus Hæreticis ſequentium ſeculorum, quorum tandem noſtræ ætatis Lutherani, & Calviniſtæ, aliique id furfuris, tanquam gemina diabolica progenies locum hodie tenent, ubique gentium ſtrepentes, & vociferantes: Nobis credite fortunatiſſimi Recentiores, haud magni faciatis Veteres, quos Pontificii doctores vocant Patres Eccleſiæ, haud pro more inſulſorum Mona-

quorum ſententias ipſi culpant . . . ? quomodo ipſi veri apud diſcipulos ſuos habebuntur, quibus perſuadent præceptoribus credendum non eſſe? quibus porro oculis intuebuntur monumenta patrum ſuorum, quos ipſi Hæreticos nominant . . . ? Iſtiuſmodi enim verba ipſos loqui decet ad Arianos, quibus ut antea admonui, patrum honorem & ſuam ſalutem propinant, nec metuunt illud quod in proverbiis ſcriptum eſt: *mala ſoboles patrem execratur. Hæc D. Athanaſ. Epiſt. de ſynodis p.* 222. *col.* 2. *D.*

(*a*) Invecti ſumus in Neſtorii ſceleratam præſumptionem, quod ſacram Scripturam ſe primum, & ſolum intelligere, & omnes eos ignoraſſe jactaret quicunque ante ſe magiſterii munere præditi, divina eloquia tractaviſſent, univerſos ſcilicet Sacerdotes, univerſos Confeſſores & Martyres . . . totam poſtremo etiam nunc errare, & ſemper erraſſe adſeveraret Eccleſiam, quæ, ut ipſi videbatur ignaros, erroneoſque Doctores & ſecuta eſſet, & ſequeretur. *Lirinenſis in Commonit. n.* XXXI. *p.* 368.

(*b*) Agrippinus Carthaginenſis Epiſcopus, primum omnium mortalium contra divinum canonem, contra univerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium Conſacerdotum, contra morem, atque inſtituta majorum, rebaptizandum eſſe cenſebat, *cujus præſumptionem Stephanus Papa Epiſt. quam ad Africam miſit, retundit eo ſolemni oraculo*: Nihil novandum, niſi quod traditum eſt. *Lirinenſis cit. n.* VI. *p.* 322.

(*c*) Reclamant ranæ quædam & cyniphes, & muſcæ morituræ, quales ſunt Pelagiani. Et hoc Catholicis. Vobis, inquiunt, Auctoribus, vobis Principibus; vobis Expoſitoribus, damnate quæ tenebatis, tenete quæ damnabatis; rejicite antiquam fidem, paterna inſtituta, majorum depoſita; & recipite, quænam illa tandem? horreo dicere. *Fert Lirinenſis cit. n.* IX. *p.* 328.

(d) *Epiſt.* CXC. *ad Innocent.* II., *qua eſt Tractatus de damnatis erroribus Bailardi Tom.* IV. *p.* 111.

nachorum plus æquo habeatis rationem Veterum, utpote qui parum cauti, rudiores, parumque veri amantes. Poſt Apoſtolos, & apoſtolicos aliquot viros cœleſtium donorum participes, nec ars critica adfulſit, neque Ratio ſucceſſit; ſed tantum nonnulla declamandi facultas, quæ ad ridendum potius excitat. Viri boni, nec Theologiam Chriſtianam ſatis commode tradiderunt, nec ob imperitiam Hebraicæ ſacræque Critices valuerunt divinas paginas pro merito interpretari. Minime diſſimulamus ſummam laudem deberi Hieronymo, qui cæcutientibus cæteris tum majoribus, tum coævis, viſus fuit videre quidpiam; at liquidum eſt, ſæpius in ejus Verſione hallucinatum. Sequentia ſecula apud Græcos, & Latinos erroribus, & diſſidiis certe infamiora noſtris Recentioribus Theologiæ Chriſtianæ peritis, quum illi multo ineptius divinas Tabulas interpretati ſint, boniſque litteris, ac diſciplinis deſtituti. At tandem XVI. præſertim ſeculo, & XVII., quum diſciplinæ omnes, & quæ pertinent ad Antiquitatis linguarumque demortuarum intelligentiam, & quæ rerum ipſarum cognitionem tradunt, & quæ veri in quavis arte inveniendi, atque exponendi rationem docent, ad multo majorem perfectionem adductæ eſſent; antiquiſſima illa Religionis divinitus revelatæ monumenta multo melius explicari, certioraque ex iis confectaria duci, capitaque omnia theologica rectius tradi cœperunt, quam unquam antea ab Apoſtolorum ætate factum fuerat. Hactenus Joannes Clericus (*a*), cunctique hodierni Hæretici, qui veſtigia prementes antiquorum Nebulonum iſthæc, & pejora ſtigmata fronti veterum Eccleſiæ procerum paſſim inurunt, quibuſque habes, Hæreticis proprium eſſe in rebus Religionis inſimulare Antiquitatem oſcitantiæ, inſcitiæ, ruditatis, aliorumque defectuum, quibus ejuſdem Antiquitatis creatur contemptus, & receſſio ab eadem ſuadetur.

603.

(a) *In Epiſt. Crit.* IV. *Tom.* III. *p.* 124. *& ſeqq.*

603. Nec mirum, quandoquidem ſicut non datur Hæreſis, quæ non præſeferat novitatem doctrinæ; ſive quæ non adverſetur Traditioni Veterum, ita Hæretici ut ſuas novitates ingerant mundo, de conſequenti opus habent ingerere quoque malam Veterum opinionem. Si enim Antiquitati, ut par eſt, religioſe obtemperabunt, id tantum eſſe verum fateantur oportet, quod ab Antiquitate dictum eſt, vel factum; ſicque volentes nolentes cogerentur proprio ore ſemetipſos damnare. Neminem latet, Hæreticos ut facilius piſces capiant, aſſumere teſtimonia Scripturarum pro arbitrio torquentes ad ſuos errores, recedentes a ſenſu, quem tradiderunt Veteres, tenuitque S. Mater Eccleſia: *Aliter* apprime Lirinenſis (*a*), *namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius; aliter Photinus, Apollinaris, Priſcillianus; aliter Jovinianus, Pelagius, Cæleſtius, aliter poſtremo Neſtorius.* Verum fruſtra penitus, & ineptiſſime hujuſmodi velamento uterentur ſi admitterent traditionem, ſive agnoſcerent veterum PP. auctoritatem; quoniam genuinæ veriſſimæque iſtorum expoſitiones facili negotio enudarent eorum machinationes, & artificia. Unuſquiſque igitur vir doctus, & æquus ſibi ſuadeat oportet, *primo*, non dari Hæreſim, quæ ſecum non ducat Antiquitatis deſpectum, nec e contra; *ſecundo*, Hæreticos haud ſtudio ſuffragandæ veritatis adcuratæque eruditionis reſiſtere traditioni Veterum; ſed ut remoto hujuſmodi graviſſimo obice longe facilius, feliciuſque valeant ſeducere plebem Chriſti; *tertio*, levius eſſet; ſi hodierni Hæretici ſine contemptu Antiquitatis affirmarent, vel cum Photino, Deum ſingulum eſſe, ſolitarium, judaicoque more confitendum; vel cum Ario, Verbum non eſſe Patri conſubſtantiale; vel cum Neſtorio, in Chriſto duas reperiri perſonas; vel cum Apollinari, haud ex Virgine Verbum aſſumpſiſſe humanam carnem; uno verbo, ſi omnia

(b) *Cit. num.* II. *p.* 317.

Religionis myſteria denegarent, & tantummodo illæſam cuſtodirent auctoritatem Veterum; quoniam ex eadem Veterum traditione cogerentur præfata myſteria venerari, & quidem religioſius ſalubriuſque, ac modo confitentur: ſicque Recentior ille, qui cum Joanne Clerico, aliiſque Novatoribus male ſentiet de Veteribus, non modo hæreſibus adhærebit, ſed inſuper eo pernicioſo peſtilentiſſimo errore marceſcet, quo major nequeat apud Chriſtianos inveniri.

604. Accedamus modo ad ſecundam argumenti partem habentem, *Ad rem itaque &c.*, cujus falſum ſuppoſitum denegamus, quum non ſine cæcutione ibi præſupponatur, quæſtionem de integritate Hieronymianæ verſionis nullimode tranſcendere limites humani acuminis, ejuſdem penitus generis eſſe, ac quævis philoſophica quæſtio, quæ non magis ab Antiquis, ac a Recentioribus poteſt rite examinari & dirimi. Sciant itaque thraſones noſtri, hanc Controverſiam arctiſſime, & ſtrictiſſime Religionem ſpectare, ea ſcilicet lege, qua omnia Chriſtianæ Religionis dogmata in ea continentur, & exponuntur. Nemo ignorat, ita quamlibet regulam præferendam iis, quæ ab eadem accipiunt normam, ac quivis fons præſtat ejus rivulis, radix arboribus, ſtipes ramis, & innumerabilibus foliis ramus unus: proindeque ſi Scriptura, Catholicis & Proteſtantibus conſentientibus, eſt prima regula (licet non ſufficiens) Chriſtianæ religionis; adeout omnes quæſtiones ad Religionem ſpectantes ex ea primo loco legem accipere debeant, quomodo Controverſia de integritate Hieronymianæ verſionis, quæ quippe pluſquam per mille annos apud Latinam Eccleſiam ſolium divinæ Scripturæ obtinuit, ſtrictiſſime & arctiſſime ad Religionem non pertinebit? *Præterea*, Hieronymiana verſio dicitur Hieronymiana, in quantum a Hieronymo fuit emendata; cæterum eſt ille prorſus Textus Latinus, quem Eccleſia Romana per revelationem acceperat (*a*); hoc eſt, is,

(*a*) *Scopus Hieronymi non fuit nova cudere, ſed priſtino nitori reſtituere La-*

is, vel ii, qui ex puriſſima verſione Virali, ab eodem Chriſto ejuſque Apoſtolis conſecrata, aſſumpta, citata, & uſu habita Textum Latinum expreſſerant, erant Spiritu Sancto repleti, atque ita eodem divino Numine dirigente eam ediderunt: hinc fit, quod primitivi fideles Latini præfatum Textum adoptarunt, tanquam ſi e cœlo per manus SS. Auctorum fuiſſet ſibi delatus; non minus, ac vetus Synagoga ſuſcepit Hebræum Textum, Judæi ſimul cum Ægyptiis verſionem Viralem, & tandem univerſa Eccleſia Græca eandem Viralem verſionem ſimul cum Textu Græco Novi Teſt. adoptavit. Quod ſi neminem virum æquum, & doctum reperiri arbitror, qui repugnet inter revelata Religionis connumerare Scripturas collatas Hebræis, & Græcis, eadem ratione inter revelata collocemus oportet Hieronymianam. *Item*, idipſum eruitur ex circumſtantiis, quibus Hieronymiana loco Italæ ſubſtituta fuit, & ad publicum uſum delata: quandoquidem, qui hanc quæſtionem de inviolabili auctoritate Hieronymianæ examinarunt, & reſecuerunt, ſane ii fuerunt, quibus curis erat tractare non de diſciplinis humanis, bene vero de rebus ad Religionem, & animarum ſalutem unice attinentibus, inter quos præ cæteris laudandi Damaſus Papa, Auguſtinus, Ruffinus, Paulinus, Deſiderius, Domnion, Ro-

 ga-

*Latinum Textum primitus datum Eccleſiæ, uti eruitur ex dictis potiſſimum num.*581., *quibus adjicies hæc alia ejuſdem Hieronymi Epiſt.* CII. *ad Marcellam p. 669. B.* Ad me repente perlatum eſt, quoſdam homunculos mihi ſtudioſe detrahere, cur adverſum auctoritatem Veterum, & totius mundi opinionem, aliqua in Evangeliis emendare tentaverim. Quos ego quum poſſem meo jure contemnere (aſino quippe lyra ſuperflue canit) tamen, ne nos ſuperbiæ, ut facere ſolent, arguant, ita reſponſum habeant; non adeo me hebetis fuiſſe cordis, & tam craſſæ ruſticitatis.... ut aliquid de Dominicis verbis aut corrigendum putaverimus, aut non divinitus inſpiratum; ſed Latinorum codicum vitioſitatem, quæ ex diverſitate Librorum omnium comprobatur, ad Græcam originem, unde & ipſi translata non denegant, voluiſſe revocare. *Ubi vides, non aliud Hieronymo ſolemne fuiſſe, quam reſtituere Latinum Textum ei puritati qua primitus fluebat: & hoc propter duo, quia nimirum complectebatur verba Dominica, & quia fuerat divinitus inſpiratus. Vide num.* 584.

gatianus, Cromatius, Eliodorus, Patres Synodi Milevitanæ, tum Romanæ ſub Gelaſio Papa, aliique de quibus num. *619.* agemus memoriam.

605. Qui equidem præſtantiſſimi viri haud adjumento nudæ Rationis Hieronymianam adprobarunt, bene vero lumine Rationis illuſtratæ, & roboratæ face traditionis majorum, & fidei. Face quidem traditionis intellexerunt, & obſervarunt, tum Eccleſiam Romanam ab ejus incunabulis accepiſſe pro Scriptura publice utenda non Hebræum, non Græcum, ſed Textum Latinum, & ad ea uſque tempora Latino Textu reipſa fuiſſe uſam; tum Italam verſionem multis in locis contraxiſſe vitia; tum hujuſmodi Italam fuiſſe a Hieronymo viro doctiſſimo, & ſanctitate præclariſſimo (*a*) adjumento pariter traditionis (inſpectis nimirum, & collatis ad invicem vetuſtioribus codicibus) quam exactiſſime emendatam: etiam lumine fidei Hieronymianam illi adprobarunt, in quantum firmiter credentes, Eccleſiam ſub Romano Pontifice militantem minime in rebus Religionis errare poſſe, & inſuper deprehendentes univerſam Latinam Eccleſiam mirabili ſucceſſu, ſive peculiari cœleſti diſpoſitione in locum Italæ ſuffeciſſe Hieronymianam, iſthæc profecto fuerunt claro indicio, ut religioſe crederent, revera eam coram Deo eſſe genuinam Latinæ Eccleſiæ Scripturam, in nullo diverſam ab ea, quam olim Romana Eccleſia acceperat a viris Spiritu Sancto repletis: & hoc quantum ad Veteres, qui primo Hieronymianam adoptarunt, retuleruntque ad uſum. Multo minus humana Ratio locum habuit apud Veteres ſequentium ſeculorum, quoniam iſtis eadem Apoſtolica doctrina inſtructis, hoc eſt, in rebus Religionis haud a traditione majorum recedendum, unice incubuit venerari & celebrare Hieronymianam, nefas putantes, non modo nec unguem latum ab Antiquitate diſcedere, aut alicujus mendi eam carpe-

(a) *Huc quoque ſpectant quæ exponemus infra, maxime num. 620.*

Digitized by Google

pere, ſed neque pro tantillo de ejuſdem auctoritate dubitare. Quod ſi vero auctoritas Hieronymianæ verſionis ad revelata Religionis ſpectat, ſi antiquitas face traditionis & fidei Hieronymianam adoptavit & conſecravit, cujus audaciæ, aut levitatis increpandus non erit, qui præſidio humanæ Rationis contendet metiri, utrum rite, vel ex imperitia Antiquitas magni fecerit Hieronymianam?

606. *Aguntur*, urget Clericus, *enim hic jura naturæ humanæ, agitur communis totius Reipublicæ litterariæ libertas*; aſt numquid natura humana jus habebit, & Reſpublica litteraria libertate gaudebit inveſtigandi, & dirimendi ſolis naturæ viribus id, quod primis Chriſtianis divinitus revelatum eſt, quodque ſucceſſores non humana ratione ducti, ſed ſolummodo ex accepta traditione majorum didicerunt, & crediderunt? Me pudet inter doctos mentionem facere eorum, quæ apud Chriſtianos, parentes docent ſuos liberos, Parochi tyrones, Pædagogi diſcipulos, Directores ſibi commiſſos alumnos: ideſt, Religionis myſteria poſtulare aſſenſum, non Rationem, alioquin myſteria non forent; *item*, talem poſtulare aſſenſum, ut iſte excludat omnem formidinem de oppoſito: *Eſt autem*, ita Apoſtolus (*a*) *fides ſperandarum ſubſtantia rerum argumentum NON APPARENTIUM*: item (*b*): *Fides ex auditu*, hoc eſt, quod fide divina creditur, non viſu ſive per Rationem, aut evidentem demonſtrationem addiſcitur, ſed ex auditu noſtrorum majorum circa ea, quæ eiſdem communi perpetuoque conſenſu, incipiendo ab Apoſtolorum ævo, anteriores tradiderunt. Quare Cyrillus Alexandrinus ediſſerens contra impium Julianum, ita cauſſam Chriſtianæ religionis agebat (*c*): *Fides enim fundamentum, & ſubſtructura inconcuſſa eſt ſermonum de Deitate: id quod nos propheta Eſaias erudit dicens: niſi*

(a) *Ad Hebr.* XI. *v.* 1.
(b) II. *Corinth.* X. *v.* 4.
(c) *Lib.* I. *cont. Julian. Tom.* II. *p.* 563. *col.* 2. *F.*

niſi credideritis non intelligetis: & iterum, *oportet quæ ſupra nos ſunt fide venerari, non Ratione inquirere. Imbecillior quippe mens hominis eſt, quam ut intelligentia capere iſta poſſit.* *Item*, Leo Magnus (*a*): *Et quum ſalutis noſtræ altitudinem promere non valeamus, ſentiamus nobis bonum eſſe, quod vincimur. Nemo enim ad cognitionem veritatis magis propinquat, quam qui intelligit in rebus divinis etiam ſi multum proficiat, ſemper ſibi ſupereſſe, quod quærat. Nam qui ſe ad id, in quod tendit pervenire præſumit, non quæſita reperit, ſed in inquiſitione deficit.* Neque hujuſmodi chriſtianus aſſenſus, quem majores noſtri ſine examine præbuerunt Antiquitati tradenti & patefacienti ipſis, & ipſi nobis revelata Religionis, vel pro minimo lædit jura naturæ humanæ, aut diminuit libertatem Reipublicæ litterariæ, quinimmo mirum in modum eadem reſtaurat, & perficit. Verum enim vero juxta illud Apoſtoli (*b*): *Non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ*, neminem virum Chriſtianum latet, Ethnicos, qui contendunt omnia Ratione rimari, quemadmodum non gaudent libertate Chriſti, ita ſunt filii ancillæ, & mancipia propriæ Rationis; Chriſtiani autem, qui captivant intellectum in obſequium fidei circa ea quæ face traditionis accipiunt, ſicut ſunt filii liberæ, ita propriæ Rationis dominantur. Ethnici ſicut nihil de dogmatibus Chriſtianis credentes, nihil pariter de eiſdem nuda Ratione vident; Chriſtiani ſicut revelatis fidem religioſe accommodant, ita ſupra Rationem ſe ſe efferunt. Ethnici nolentes credere quæ Ratione prius non vident, æternis tenebris devinciuntur; Chriſtiani qui multa ſupra Rationem credunt, immarceſcibili lumine potiuntur & regnant, eodem Chriſto teſtante: *Beati, qui non viderunt, & crediderunt* (*c*). *In qua* apprime Magnus S. Gregorius

(a) *Serm.* IX. *de Nativit. Domini p.* 23. *col.* 2. *A.*
(b) *Ad Galat.* IV. *v.* 31.
(c) *Joan.* XX. *v.* 39.

Digitized by Google

rius (*a*) *nimirum ſententia nos* (Chriſtiani) *ſpecialiter ſignati ſumus*. Unde merito Hieronymus protulit (*b*): *Ubi Spiritus ibi libertas*; & nuper laudatus S. Leo, non alia ratione nos excitat ad gaudendum deſuper ſacramento dominicæ Incarnationis, niſi quia impares ſumus illud exponere, ſive humana Ratione palam facere; & ex eo quod ita vincimur, hoc nobis dubio procul bonum eſſe: *Gaudeamus*, inquit loc. cit. *Gaudeamus igitur, quod ad eloquendum tantæ miſericordiæ ſacramentum impares ſumus, & quum ſalutis noſtræ altitudinem promere non valeamus, ſentiamus nobis bonum eſſe, quod vincimur*. In hypotheſi autem, quod defectus aſſequendi vi naturæ res fidei lædet libertatem, quomodo ſpiritus Domini cum libertate cubabit? quomodo cor noſtrum gaudio repleri poterit?

607. Hinc ut brevi exponamus, quantum Clericus in præfato ejus teſtimonio blateret, ineptiat, immo de Chriſtiana religione malemereatur, eadem ipſius ſenſa, & verba, quibuſdam tantum mutatis, mihi aptans, adverſus eundem hac lege rejiciam. Horum ego Veterum cauſſam in materia Religionis, quum tueri aggredior, videor mihi non tantum cauſſam eorum Catholicorum, qui nominatim laceſſiti, quod Hieronymum nuſpiam in ejus verſione erraſſe aliquando dixerint, ſed non exiguæ, nec ſperandæ partis humani generis Chriſtiani cauſſam dicere. Aguntur enim hic jura naturæ humanæ ſacramento baptiſmi, vulgo luminum, illuſtratæ, & decoratæ; agitur communis totius Reipublicæ Litterariæ Chriſtianorum ſacrata libertas, quæ violantur, atque opprimuntur a Clerico, qui noviter contendit a Litterarum ſtudioſis Chriſtianis omnimode poſſe in dubium revocari, quod ſanxerunt conſenſus, & auctoritas priorum ætatum in rebus etiam, quæ iis notiores erant, utpote qui Chriſto, & Apoſtolis viciniores, quam no-

(a) *Homil.* XXVI. *in Evang. Tom.* III. *col.* 84. *B.*
(b) *In Cap.* XI. *Iſaiæ*.

Digitized by Google

nobis haud valentibus humano criterio illa metiri; ſed conſentientem vetuſtatem, tam parvæ venerationi eſſe oportere, ut omnia, quæ a majoribus illi accepere non ſine examine a Recentioribus admittantur. Quid enim aliud eſt in Republica litteraria Chriſtianorum, Ethnicum, ſive ſervum propriæ Rationis eſſe natum, quam ſi ex veterum Patrum traditione ita noſtrum judicium non pendeat, ut ab illorum ſententia, tametſi ab Apoſtolis in ipſos derivata, libere abire liceat, utque noſtræ potius Rationi credamus, & non divinitus revelatis, quæ a Veteribus non ſubſidio humanæ Rationis, ſed ex accepta traditione dicta, vel facta ſunt? Immo vero hæc deterior eſt ſervitus, quam quæ ita vulgo dici ſolet, ſervitus enim, quæ ad corpus pertinet, ad fidem ſive ad libertatem credendi non pertingit; hæc vero ſervitus reddit Chriſtianum ſervum propriæ Rationis, eo fœdior, quo fides Chriſtiana præſtantior eſt corpore, & natura ſua liberior. Illa hominum corpora hominibus ſubjicit, fidem Chriſtianam intactam relinquit; hæc vero fidem mancipat Rationi, aut potius extinguit. . . Qui fidem ſuam Chriſtianam in ſervitutem Rationis vendit, is Chriſtianus eſſe definit. Valeat ergo importunus mango libertatis Chriſtianæ, qui vellet nos ne inſtar quidem Hæreticorum vendere, ſed inſtar Ethnicorum fidei Chriſtianæ deſtitutorum. Hactenus prætorem Clericum Pontificios criminantem eiſdem fere ſuis ſententiis, verbiſque damnavimus; quis modo noſtrum jura humanitatis, ac litterariæ Reipublicæ verius propriuſque defenderit, vos Chriſtiani perpendite.

608. *Ad primum additum*. Vide quomodo Clericus acuerit calamum conſcribendis mendaciis, & calumniis (*a*). Cauſ-

(a) *Cl. Monachus Benedictinus Joannes Martianæus convicta' in Clerico inexhauſta aviditate carpendi Græcanicam peritiam Hieronymi*: Videant, *hiſce verbis inſectatur In ejus Bibliotheca Tom.* III. *col.*1152., nunc Lectores eruditi & prudentes quanti facienda ſit Critica Joannis Clerici, in qua nullum eſt judicium, nulla fides, eruditio nulla. *Colum.* 1158.: Valde mihi mirum

Cauſſam aſſignat, unde Veteres non deprehenderint vitia Hieronymianæ verſionis, abſque eo quod iſtius vitioſitatem, ut ipſi incumbebat, debitis probationibus prius commonſtraſſet. Præſupponit, Hieronymianam a nullo inter Veteres perito linguæ Hebraicæ recenſitam fuiſſe, quum, teſtantibus Hieronymo, Auguſtino, aliiſque Veteribus, doctiſſimi Hebræorum eam ab ortu ſuo examinarunt, & adprobarunt quoad vetus Teſtam.; & quoad novum Sophronius, Auguſtinus, Ruffinus, aliique bene multi doctiſſimi Chriſtiani Græcæ & Latinæ periti laudibus extulerunt. Præſupponit, peritiam illius Hebraicæ, quæ hodie in ſcholis traditur, quave Veteres caruerunt, eſſe unicum medium dignoſcendi in verſione Hieronymi lectionem genuinam ab aſcititia; & tamen ex dictis cap. v. ſuperioris Demonſtrationis cuique legenti conſtat, quam futiliter hoc in negotio Recentiores ſibi blandiantur. Ubi Veteres non ſubſidio humanæ Rationis, ſed face fidei & traditionis corroborati adhæſerunt Hieronymianæ, Clericus, aliis Proteſtantibus præeuntibus, non dubitat hanc religioſiſſimam agendi Veterum rationem impudenter vertere vitio, potiſſimum imperitiæ Hebraicæ linguæ, ſacræque Critices. Quam operoſus eſt Diabolus, ut animæ ſanguine Chriſti ablutæ, a veritate & a tramite ſalutis abſtrahantur.

609. *Ad ſecundum additum*. Reponam cum Vincentio Lirinenſi (a): *Quis eſt ille tam invidus hominibus, tam exoſus Deo, qui* (profectum Chriſtianæ fidei) *probibere conetur? ſed ita tamen, ut vere profectus ſit ille fidei, non*

 per-

rum eſt criticum Scriptorem in tanta Librorum ſuorum farragine ignorare regulas Grammaticæ. *Col.*1159.: Sunt ea quidem manifeſta imperitiæ peccata, quæ non patiuntur Doctorem Clericum ferulæ manum ſubducere. *Col.*1162.: Clamitet ergo Clericus cum imperitis & ſciolis; Hieronymum, ejuſque translationem ſtulte & impudenter reprehendat, abjiciatque: mihi ſufficit cum doctiſſimis omnium ætatum Scriptoribus judicium, fidem, ingenium, & eruditionem Hieronymi admirari, laudare, atque defendere.

(a) *In Common. cit. n.* XXIII. *p.* 350.

permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in ſemetipſam unaquæque res amplificetur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud tranſmutetur. Creſcat igitur oportet & multum vehementerque proficiat tam ſingulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Eccleſiæ, ætatum ac ſeculorum gradibus, intelligentia, ſcientia, ſapientia, ſed in ſuo duntaxat genere, in eodem ſcilicet dogmate, eodem ſenſu, eademque ſententia: non autem juxta morem Eraſmi, Lutheri, Calvini, Simonii, Joannis Clerici, Lambridii, Buddæi, aliorumque Pſeudotheologorum, qui a duobus retro ſeculis ingreſſi ſunt ad devaſtandam ſuis profanitatibus ſanctam Dei Eccleſiam. Ad profectum fidei ſane tendunt ii, qui ad novam criſim revocantes Dogmata noſtræ fidei, eadem magis illuſtrant, conſolidantque. Qui vero de eiſdem ita tractant, ut illorum veritatem & ſtabilitatem infirment, culpantes non quidem hunc, vel illum ex Veteribus, qui forte nævum aliquem contraxerit, ſed totam venerabilem Antiquitatem in ſe ſpectatam, cuine dubium erit, quod iſti haud Theologi ſint, ſed fures & latrones unice tendentes ad ipſam fidem ab Apoſtolis acceptam, deſtruendam, immutandam; & ad ſenſus carnales redigendam? Theologus Chriſti in pertractandis rebus fidei & morum imitatur zelum, prudentiam, & pietatem D. Hieronymi, qui numquam cum Hæreticis paſſus fuit habere amicitiam (*a*), & pro virili ſtuduit ad bonam partem referre, etiam ſi apertum errorem inveniſſet apud ſcripta SS. Eccleſiæ Patrum: *Fieri enim poteſt*, ita eos excuſabat (*b*), *ut vel ſimpliciter erraverint, vel alio ſenſu ſcri-*

(a) Numquid, *ita Ruffinum inſectabatur Lib.* III. *Apolog. Cap.* IX. *Tom.* II. *p.* 535. *H.*, ſcivi, quod iraſcereris ſi contra Hæreticos ſcriberem . . . fautorem te Hæreticorum jam non eſſe credebam, & ideo non in te, ſed in Hæreticos invectus ſum. *Et Cap.* X. *p.* 536. Si aliter amicus tuus eſſe non poſſum niſi & Hæreticorum amicus fuero, levius tuas inimicitias, quam illorum amicitias ſuſtinebo.

(b) *Lib.* II. *Apolog. cit. Cap.* IV. *Tom.* II. *p.* 513. C.

ſcripſerint, vel a librariis imperitis eorum paulatim ſcripta corrupta ſint; Theologus Satanæ potiſſimum ſtudet blandiri ſapientibus ſeculi, parvipendens doctrinam veterem, veteres Patres inculpat, calumniatur, infamat, proſequens e contrario amoenis faſtoſiſque titulis, tum Novatores, tum eorundem novitates, ex inſcitia, vel ex pravitate nullam penitus rationem habens celeberrimæ Inſtructionis Clementis VIII., adjectæ Regulis Indicis: *Epitheta honorifica, & omnia in laudem Hæreticorum dicta deleantur* (a). Theologus Chriſti quum de Dogmatibus edifferit, nove, non nova dicit; Theologus Satanæ dicit nove, & nova. Theologus Chriſti æmulatur rationem corporum, quæ licet annorum proceſſu numeros ſuos evolvant, & explicent, eadem tamen quæ erant, permanent: licet parva ſint lactentium membra, & magna juvenum, eadem tamen ſunt; quot parvulorum artus, tot virorum, & ſi qua ſunt, quæ in maturiori ætate pariuntur, erant tamen in ſemine, adeout nihil novum in ſenibus proferatur, quod non in pueris jam ante latitaverit; ſecus autem Theologi Satanæ, quibus ſi daretur optio, ita vellent parvulum adulturum, ut temporis fluxu humanam effigiem deperderet, membrorum numerus adderetur, detraheretur, & immutaretur, ex homine tandem evaderet monſtrum.

610. Quæ quum ita ſint, quis doctus æquuſque Chriſtianus audebit in poſterum non agnoſcere, Hieronymianam verſionem pro inviolabili Scripturæ Textu, quum pro tali Chriſtiana Antiquitas amico perpetuoque conſenſu habuerit, ſacroque uſu conſecrarit? Erit ne aliquis Chriſti diſcipulus in futurum, vel tantæ audaciæ, qui præter Hieronymianam verſionem, quæ apud veterem Eccleſiam adnuntiata eſt, novam Scripturam adnuntiet, vel tantæ levitatis, qui præter Hieronymianam verſionem, quam ab antiqua venerabili Dei

(a) *Inſtruct. Clem.* VIII. *tit.* de correctione Librorum §. 2. *apud Indicem Lib. prohib. p.* XX.

Digitized by Google

Eccleſia accepit, novam Scripturam accipiat? *Clamat*, ſunt pulchra Lirinenſis verba (a), *& repetendo clamat*, *& omnibus*, *& ſemper*, *& ubique per litteras ſuas clamat ille*, *ille vas electionis*, *ille magiſter gentium*, *ille Apoſtolorum tuba*, *ille terrarum præco*, *ille cœlorum conſcius*, *ut ſi quis novum dogma adnuntiaverit*, *anathematizetur*. Sed licet nos, *inquit* (b), aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.

§. III.

Conſolidatur aſſertio ex peculiari Spiritus Sancti aſſiſtentia, qua Hieronymus in ejus adornanda Verſione condecoratus fuit.

611. Toties Hieronymiana verſio inviolabilis erit integritatis & auctoritatis, quoties adparebit eam ſub ſpeciali Spiritus S. aſſiſtentia fuiſſe a Hieronymo adornatam; atqui res ita ſe habet, ergo &c. Probatur min.

Primo Hieronymus pro explorato habens, neminem ad interpretandas Scripturas idoneum, niſi Spiritus S. lumini innitatur (c), vide queis votis, ac crebris vehementibuſque precibus tum Deum ipſum, tum Eccleſiárum Rectores, alioſque Dei ſervos, & amicos exorabat ad hoc, ut præfato cœleſti lumine dignus efficeretur: *Nunc*, ita alloquitur piiſſimo Deſiderio, cui dedicavit quinque libros Pentateuchi (d), *te precor Deſideri cariſſime*, *ut me*, *quia tantum opus ſubire feciſti*, *& a Geneſi exordium capere*, *orationibus juves*, *quo poſſim eodem ſpiritu*, *quo ſcripti ſunt libri*, *in Latinum eos transferre ſermonem*. Item, in Procemium

(a) *Loco cit. num.* IX. *p.* 328.
(b) *Ad Galat. Cap.* I. *v.* 8.
(c) *Id expoſuimus num.* 477.
(d) *Epiſt.* CIV., *quæ eſt Præfatio in Pentateuc. Tom.* III. *p.* 680. *A.*

mium Olee (*a*): *Si in explanationibus omnium Prophetarum Sancti Spiritus indigemus adventu, ut cujus inſtinctu ſcripti ſunt, illius revelatione pandantur . . . ; quanto magis in explanatione Oſee prophetæ orandus eſt Dominus, & cum Petro dicendum:* ediſſere nobis parabolam iſtam. Item, In ſecundum Commentariorum Amos (*b*): *Pammachi, cano jam mecum capite, impetra mihi a Domino, ut comitem mihi merear habere ſapientiam, de qua ſcriptum eſt: ama illam, & ſervabit te: honora illam, & amplexabitur te: ut ipſa adjuvante, & ſocia, cœptum in Amos opus expleam.* Item Procem. in Jonam (*c*): *Obſecro, ut* (Jonas) *qui typus eſt Salvatoris, & tribus diebus, ac noctibus in ventre ceti moratus præfiguravit Domini reſurrectionem: nobis quoque fervorem priſtinum tribuat, ut ſancti ad nos Spiritus mereamur adventum. Si enim Jonas interpretatur columba, columba autem refertur ad Spiritum Sanctum, nos quoque columbam, & adventum ad nos interpretemur columbæ.* Item, Prologo in primum Comment. Zachariæ (*d*): *Jam tempus eſt, ut Zachariæ verba ponentes, Spiritu Sancto interpretationis vela pandamus.* Item, Prolog. in ſecundum Comment. Zachariæ (*e*): *Itaque mi Exuperi Papa venerabilis, adeſto præſens orationibus, qui corpore abſens es: & impetra a Domino, ut auferatur a facie mea velamen Zachariæ, quod ante oculos appendebatur Moyſi; quia fulgorem vultus ejus vulgus ignobile ferre non poterat: ut ego quoque cum David queam dicere:* Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa. Item, Prologo in tertium lib. cit. (*f*): *Tranſimus ad Libanum, & ad duas virgas . . . . quæ tantis ſunt contexta myſteriis, ut miſericordia Dei, & tuis indigeamus ora-* tio-

(a) *Tom.* V. *p.* 34. *A.*
(b) *Tom.* V. *p.* 102. C.
(c) *Tom.* V. *p.* 133. *E.*
(d) *Tom.* V. *p.* 232. *A.*
(e) *Tom. cit. p.* 245. *E.*
(f) *Tom. cit. p.* 260. *A.*

Digitized by Google

tionibus: ne curſus noſter aliquo præpediatur errore, & malevolis juſta ſit occaſio detrahendi. Et ne longius ſermonem protraham; tam ſolemne fuit Hieronymo in ejus concinnanda verſione, & in eadem exponenda, vehementer & crebro invocare Spiritus Sancti adjumentum, ut ubique ejus opera loquantur. Quo præfato,

612. Nunc ita adverſarios, ſive ex Proteſtantibus, ſive ex Catholicis interpello. Hieronymus fuit ne pro ſua reverentia, ſaltem quoad eam partem, quæ ſpectat ejus novam verſionem, a Deo exauditus? Unicuique de Chriſtiana religione recte ſentienti perſpectum eſt, orationem, quoties procedit ab Oratore Dei amico, & ſpectat ad ipſius Dei gloriam, ad utilitatem Eccleſiæ ſuæ, & ad profectum ejuſdem orantis, toties nefas eſt vel ſuſpicari, ſuum non ſortiri effectum, ſive præfatum Oratorem non fieri voti compotem. Illuſtres ſunt ipſius divini incarnati Filii obteſtationes: *Petite, & accipietis, quærite, & invenietis, pulſate, & aperietur vobis* (a); cui ita bene concinit Apoſtolus (b): *Nihil ſoliciti ſitis, ſed . . . . petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum*. Et Jacobus (c): *Si quis autem veſtrum indiget ſapientia poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei*. Porro noninſi Chriſtianus, qui omnem penitus religionem exuit, audebit ſerena fronte vitiare præfatas orationes Hieronymi, perinde quaſi non fuerint profectæ ab oratore Dei amico, vel non ordinatæ ad majorem Dei gloriam, ad utilitatem Eccleſiæ, & profectum ejuſdem oratoris: ſicque nullum manet dubium, quo minus ferventes Hieronymi preces ſibi reipſa meruerint peculiarem Spiritus S. aſſiſtentiam. Quibus addas, non ſine Dei diſpoſitione factum eſſe, ut Hieronymus ipſe invocato Deo in teſtimonium veritatis referat, ſe interdum Angelorum ſocietate dignatum: *Ut ipſe*, inquit (d) *mihi teſtis*,

(a) *Matth.* VII. *v.* 7.
(b) *Ad Philip.* IV. *v.* 6.
(c) *In Epiſt. Cathol. Cap.* I. *v.* 5.
(d) *Epiſt.* XXII. *ad Euſtochium Tom.* I. *p.* 141. *F.*

ſtis eſt Dominus, poſt multas lacrymas, poſt cœlo inhærentes oculos nonnunquam videbar mihi intereſſe agminibus Angelorum, & lætus, gaudenſque cantabam: poſt te in odorem unguentorum tuorum curremus. Quod quippe Hieronymi teſtimonium vetus Latina Eccleſia in anniverſaria ejuſdem ſolemnitate recordabatur (*a*). *Item*, ſcribens ad Damaſum (*b*): *Cum hæc*, inquit, *& multa iſtiuſmodi mecum ſollicitus volverem, aperuit mihi oſtium qui habet clavem David, & introduxit me in cubiculum ſuum, poſuitque me in foramine petræ, ut . . . poſt incendium ignorantiæ, quo urebar . . . dicerem:* Inveni quem quæſivit anima mea. Et per conſequens ſi Hieronymus illud peculiare Spiritus S. flamen, quod in Scripturis tractandis vehementer expoſtulabat, meruit reipſa accipere, jure meritoque credimus, ejus verſionem frui inviolabili integritate, utpote quæ eodem Spiritu Sancto dirigente concinnata fuit.

613. *Confirmatur*. Pleraque ſuppetunt Veterum teſtimonia, in quibus licet conceptis verbis non tradatur, Hieronymum peculiari Spiritus S. aſſiſtentia ſuffultum, ſatis tamen ſuperque, quod in votis eſt indicant: eo ferme pacto, quo licet Patres Nicæni addiderint in Symbolo vocem ſacram *ὁμοούσιον conſubſtantiale*, hujus tamen vocis ſignificatum haud priores Patres latuerat. Itaque penſes velim ea verba Synodi Hieroſolymitanæ, quæ retulimus ſupra num. 594. *Cujus* (Hieronymi) *eloquium univerſus occidens, ſicut ros in vellus expectat:* bene vides, præfatam Synodum comparaſſe Eccleſiam occidentalem Gedeoni, quem Spiritus Domini induit (*c*); verſionem Hieronymianam *rori*, qui in Scri-

(a) *In antiquis Breviariis Manuſcriptis, quorum unum inſpexi apud Bibliothecam Capuccinorum hujus Neapolitanæ Civitatis, aliud reperitur penes Præpoſitum Eccleſiæ matricis Terræ vulgo*, Cimitile, *Nolanæ diœceſis, pro lectionibus habentur ea, quæ de ſeipſo Hieronymus fert in præfata Epiſtola ad Euſtochium.*

(b) *Epiſt.* CXXV. *Quæſt.* II. *Tom.* III. *p.* 702. *D.*

(c) *Judicum Cap.* VI. *v.* 34. *& ſeq.*

Google

Scripturis ſignificat cœleſtium benedictionum abundantiam, juxta illud : *Det tibi Deus de rore cæli* (a) ; & Hieronymum *velleri*, quod Dominus tanto rore madefecit, ut Gedeon eo expreſſo concham impleverit ; tanto ergo Spiritus S. lumine, ad mentem præfatæ Synodi Hieronymus repletus fuit, ut univerſam Eccleſiam illuſtraret. Ea de re Joannes Caſſianus ſcripta Hieronymi vocat divinas lampades rutilantes per univerſum mundum (*b*). Sanctus Proſper metrice eundem appellat mundi magiſtrum (*c*). Caſſiodorus, quod Hieronymus in auctoritate divina ſuam translationem ordinarit (*d*), quod inſtar ſolis ab Oriente fidelibus occidentalibus ejus eloquium illuxerit (*e*). Et miſſis tandem aliis Veteribus, rem explicet primus Venetiarum Patriarcha S. Laurentius Juſtinianus: *Quantis*, inquit (*f*), *oro, hic Sanctus exhortationibus, quantum profluviis lacrymarum, quantum vigiliarum laboribus, quantave humilitatis virtute mentis ſuæ mundabat hoſpitium, ut dignus Sapientiæ contubernio haberetur? nempe illam concupivit, quæſivit, invenit, & tenuit, atque caſtiſſimis illius eſt potitus amplexibus: unde tanquam amiciſſimo ſibi incerta, & occulta eloquiorum ſanctorum myſteria reſeravit innumera. Factus plane ab aſſidua meditatione Scripturarum templum Dei, Sapientiæ ſedes, Paracliti miniſter, vas mundum, æterni luminis oſtenſor, ſcientiæ magiſterium... Talibus quippe ſtudiis aſſuetus ſingulari inter homines emicuit ſanctitate, veluti lampas accenſa, atque perlucida omnem* do-

(a) *Geneſeos Cap.* XXVII. *v.* 28.

(b) Hieronymus Catholicorum magiſter, cujus ſcripta per univerſum mundum quaſi divinæ lampades rutilant... Sicut maximæ ſcientiæ, ita probatiſſimæ doctrinæ. *Caſſian. Lib.* VII. *de Incarnat. Chriſti Cap.* XXVI. *p.* 1121.

(c) Hebræo ſimul & Grajo Latioque venuſtus
Eloquio morum, exemplum mundique Magiſter.

(d) *Hoc teſtimonium ſupra exſcripſimus n.* 590.

(e) Quem (*Hieronymum*) in Bethleem habitaſſe ocioſum non arbitror: niſi ut in terra illa miraculorum, adinſtar ſolis ejus quoque ab oriente nobis lamparet eloquium. *Caſſiod. de divin. Lect. Cap.* XXI. *p.* 240. *a t.*

(f) *Sermone de D. Hieronymo pag.* 444. *col.* 1. *B.*

domum illuſtravit Eccleſiæ ; . . . : Effectus eſt communis pater , lux mundi , annunciator regni , ſeculi interventor , ſpeculum ſanctitatis , virtutum forma , & fidelium robuſtiſſimus propugnator .

614. Accedit tandem antiqua perpetuaque ſententia Eccleſiæ , quæ ſemper Hieronymum venerata eſt tanquam fidiſſimum miniſtrum ab eodem Deo ſelectum , & excitatum ad reparandas divinas Scripturas . Quare a tempore quo incepit Eccleſia celebrare anniverſariam feſtivitatem D. Hieronymi , in ejus officio , & miſſa ſequentem orationem adhibebat : *Omnipotens ſempiterne Deus , qui Eccleſiæ tuæ B. Hieronymum Confeſſorem tuum Scripturæ ſanctæ reſeratorem catholicum , & verum interpretem tribuiſti &c.* (a) : cui poſtea hanc aliam orationem , qua hodie utimur , ſubſtituit : *Deus , qui Eccleſiæ tuæ in exponendis ſacris Scripturis Beatum Hieronymum Confeſſorem tuum , Doctorem maximum providere dignatus es &c.* : quibuſque tanquam illuſtrium ſonituum illuſtriſſima repercuſſio , ſic aſſonat Præfatio Bibliorum Clementis VIII. expreſſe obteſtans , Hieronymum ad Scripturas ſacras interpretandas DIVINITUS excitatum (*b*) . Waltonus itaque , ejuſque aſſentatores immerito jactitant , ſententiam de peculiari aſſiſtentia Spiritus S. in Hieronymo ejus verſionem adornante , ſubortam fuiſſe occaſione Decreti Concilii Tridentini , & quod nullus antea de hujuſmodi re cogitarit . Nullus certe , antequam Novatores ingreſſi eſſent ad ſeducendam plebem Chriſti , quibuſque compeſcendis Tridentinum ſe ſe oppoſuit , auſus fuit dubitare de præfata Spiritus S. directione in Hieronymo , ut ex modo dictis colligitur : bene vero ipſi Novatores cœperunt præfato Hieronymi privilegio tot retro ſeculis communiter agnito præfracte refragari , propter cauſſas relatas n. 574. & ſeqq. : atque ita ſi id quod in

(a) *Ita habetur apud allegatum Breviarium mſſ.Eccleſiæ vulgo,* Cimitile.
(b) *Hujuſmodi teſtimonium protulimus n.* 595.

rebus Religionis novitatem ſapit, errorem quoque ſapiat oportet, ſequitur &c.

615. *Secundo probatur min. principalis*. Quum enim divina Providentia deſtinarit Eſdram prophetam ad reparandas divinas Hebræorum litteras, communis ſententia eſt, eum peculiari Spiritus S. munimine præfatum opus perfeciſſe, præeunte S.Iſidoro (a): *Bibliothecam*, inquit, *Veteris Teſtamenti* (Eſdra) *divino afflatus Spiritu reparavit*. Quum eadem Providentia ſelegerit LXX. ſeniores ad vertendas ſermone Græco Hebræorum tabulas, ſi tantum eos excipias, quibus curæ eſt multa aliena fide ſcribere; cæterum conſtans opinio fuit, & eſt, præfatos Seniores Spiritu S. dirigente concinnaſſe viralem Verſionem (b). *Tertio*, quod omnes Latinos tenere deceat, etiam Latinum Textum divino inſtinctu fuiſſe a primo, vel primis Auctoribus ex Græco expreſſum, reor non levibus conjecturis hactenus probaſſe, præcipue num.584. *Quarto*, quia ſummis Pontificibus veteris Synagogæ (quibus in lege nova ipſe Chriſtus ſucceſſit, deinde Princeps Apoſtolorum, tandem Romani Pontifices pro tempore exiſtentes) datum erat examinare, & dirimere quæſtiones fidei, & morum ad normam legis ſcriptæ, idcirco pro comperto habemus, ſummos Sacerdotes legis veteris, & novæ in dictis rebus diſcutiendis peculiari divini Numinis aſſiſtentia munitos, & ornatos (c). Quod ſi res ita ſe habet, quodnam eſt illud immane repagulum, quo nequeamus rationabiliter tribuere Hieronymo novam verſionem concinnanti peculiare Spiritus S. munimentum? Forte Hieronymus non fuit ad præfatum munus obeundum divinitus ſelectus, & excitatus? forte Latinus Textus a Hieronymo caſtigatus minoris auctoritatis fuit, & eſt apud Eccleſiam Latinam, ac Hebræus apud Synagogam, Græcuſ-

(a) *Lib.* VI. *Origin. Cap.* III. *p.* 73.
(b) *Legeſis num.* 198. *& ſeqq.*
(c) *De his ſermonem ex inſtituto habebimus n.*736. *& ſeqq.*

cuſque apud Græcos ? forte Latina Eccleſia non uſa eſt ſemper Latino Textu ad dirimendas ſubortas fidei, & morum controverſias ? forte PP. Tridentini Hieronymianam non declararunt in omnibus pro authentica habendam? forte verba Hieronymianæ utpote divina & canonica non erunt majoris auctoritatis, ac decreta Romanorum Pontificum in rebus fidei & morum, quæ licet a Spiritu S. proficiſcantur, minime tamen conditionem habeat canonici Textus ? Non fugit Proteſtantes hæc omnia denegare, cavillari, irridere ; at ad manus habes momenta, quibus poteris ſuadere eiſdem (ſi velint ratione uti) ad dandum locum veritati. Quod Latinus Textus habendus ſit pro originali Scriptura Eccleſiæ Latinæ, potiſſimum habes n.526.: quibus addas, ſolum Latinum Textum fuiſſe ab Eccleſia graviſſimo Decreto probatum, & hodie ſolam Romano-Latinam Eccleſiam potiri integro SS. Scripturarum Textu ex num.174. & ſeqq. Quod Eccleſia Occidentalis uſurparit Latinum Textum ad dirimendas controverſias fidei, & morum, nonniſi vertiginoſi inficiari valebunt. Ex dictis quoque, & modo dicendis clarebit, Tridentinum adprobaſſe Hieronymianam, ſive Vulgatam veterem in ſe ſpectatam in omnibus, & quoad omnia; ſicque divina verba in ipſa contineri. Porro apud tribunal virorum emunctæ naris non ſufficit pro libitu obloquiis ludere, quoniam diligentiſſime illi obſervant, quibus veritas enudata ſuffragetur. Notum eſt, Hæreticos non minus inſectari veritates Romanæ Eccleſiæ, ac umbra perſequitur corpus a Sole illuminatum ; notum eſt, ſemper apud Hæreticos in more fuiſſe pro arbitrio inficiari, vel calumniari quæ vera ſunt, & inſuper in omnibus ferme eorundem argumentis laborare petitione principii, quæ nec novitio Theologo impune dimittitur : notum tandem, Hæreticos ita ad invicem ſuos errores conglomerare, unoque ictu circumſpargere, ut ſinguli multis inſerviant : & per conſequens ea ratione, qua rite tribuitur peculiaris Spiritus S. aſſiſtentia Eſdræ, ſeptuaginta Senioribus

bus, primo interpreti Latini Textus, ac ſummis Sacerdotibus legis veteris & novæ, ex æquo tribuenda eſt D. Hieronymo, quum Latinum Textum a mendis, quæ irrepſerant, emendavit.

616. Dices. Quum verſio LXX. conquiſita fuerit ab Ethnicis, cujus deſiderium a natura eis plane ineſſe non poterat, utpote divinorum myſteriorum inſcia, dicamus oportet, quod ſicut a Spiritu Sancto illi excitati fuerunt ad eam inquirendam, ita a Senioribus Spiritu Sancto afflatis eandem receperint. *Item*, licet ſinguli Seniores in ſingulis cellulis incluſi extiterint, adhuc vix ſpatio 72. dierum totum opus ad faſtigium perduxerunt, in nihilo ad invicem diſcrepantes, quod profecto abſque peculiari divini Numinis inſtinctu accidere non potuiſſet. *Item*, ſtatim ac verſio Viralis in lucem prodiit, confeſtim pro Spiritus S. fœtu agnita fuit tam a Gentilibus, quam ab Hebræis, adeo ut ex tunc loco Hebræi Textus apud Synanogas ſubſtituta fuerit; nihil itaque mirum ſi peculiaris Spiritus Sancti aſſiſtentia LXX. ſenioribus tribuatur. Secus vero in Hieronymo, qui quidem proprio ingenio, & amicorum ſuaſu dedit operam emendationi Italæ, & quidem mediis ordinariis inſtructus, ac improbis plurimorum annorum laboribus. *Præterea*, ejus Verſio non fuit adinſtar verſionis Viralis cum plauſu recepta, quinimmo a pleriſque improbata, taliter ut adhuc temporibus Gregorii Papæ, centum nimirum octoginta circiter annis poſt obitum Hieronymi, ſimul cum Itala erat in uſu: nec tandem ita prævaluit, ut veterem penitus potuerit extrudere; ſed utraque in uſu fuit donec tandem ex utraque una mixta prodiit, quæ ſequentibus ſeculis fuit in uſu, & nomine veteris Vulgatæ inſignita: ſicque paritas ſeptuaginta Seniorum, qui fuerunt Spiritu Sancto repleti, nullimode ſuffragatur Hieronymo.

617. Contra. Paritas non debet currere, ut vulgo dicitur, quatuor pedibus, alioquin identitas potius quam paritas

ritas foret. Ea de re ſat ſuperque ad ſcopum facit, quod divina Providentia quum ad eoſdem ſalutares fructus parturiendos largita fuerit Scripturas Hebræis, Græcis, & Latinis, ideo ſi illis contulit Scripturas divinitus inſpiratas, potiori jure id concedendum eſt Latinis, utpote qui aduſque finem mundi immaculatam Dei ſponſam conſtituent, & repræſentabunt. Quod ſane momentum paritatis adverſarii nec cavillantur, nec rationabiliter infirmare queunt; ſed ſolummodo opponunt diſparitatem indiciorum, in quantum ſcilicet ea indicia, quæ ſuadent Seniores in Spiritu Sancto verſionem adornaſſe, non reperiri in Hieronymo, quod ultro concedimus: verum hoc nullimode impedit, quominus Textus Latinus ſive referatur ad primum Interpretem, ſive ad Hieronymum, cenſeatur quoque peculiari Spiritus Sancti inſtinctu editus, & emendatus; alioquin nec Textus Hebræus tam a Prophetis editus, quam ab Eſdra reſtauratus, nec Textus Græcus conſcriptus ab Apoſtolis, nec decreta ſummorum Sacerdotum legis veteris & novæ tribuenda forent Spiritui Sancto peculiariter dirigenti; ex eo quia nec iſtis omnibus ſuffragantur indicia, quæ in Senioribus probant peculiarem Spiritus Sancti flatum. Sicut igitur alia via innoteſcit nobis, divinum numen adſtitiſſe Senioribus, alia via aſtitiſſe Prophetis, alia via Eſdræ, alia Apoſtolis, alia primo Interpreti Latini Textus, alia ſummis Sacerdotibus legis veteris & novæ, ita tandem alia via incedimus ad ſuadendam peculiarem Spiritus Sancti aſſiſtentiam in Hieronymo.

618. Quantum vero ſpectat ſecundam argumenti partem incipientem *Secus vero &c.*, nulli dubium, deſperatam cauſſam nos acturos, ſi ea, uti ab adverſariis proferuntur, vera forent: aſt primi Novatorum incaſſum deſudarunt offundendis tot tenebris iis, quæ ſunt Sole clariora: ſicut & ſuam oſcitantiam produnt ii, qui re non exacte penſata paſſi ſunt eo ſe abduci, ut aliorum fabellas

Digitized by Google

las pro rebus veris & inconcuſſis in ſuis ſcriptis venditent. Veritas impugnari poteſt, nullimode tamen expugnari: propterea quod licet Hieronymus mediis ordinariis inſtructus, ac improbis plurimorum annorum laboribus navarit operam emendationi Latini Textus, licet ad religioſiſſimos viros & mulieres, a quibus inſtanter exoratus fuerat, libros emendatos tranſmiſerit, ſive eiſdem nuncuparit; conſequens tamen non eſt, in præfatis libris elucubrandis vel fuiſſe deſtitutum eo Spiritus Sancti munimine, quod vehementer petiit feliciterque obtinuit, aut non divinitus excitatum ad ejus Verſionem ornandam. Quis enim audebit inferre, Apoſtolum non fuiſſe divinitus excitatum & actum in cudendis ejus Epiſtolis, ex quo adjumento eorum, quæ humana induſtria didicerat, concinnavit, & quidem in gratiam fidelium Romanorum, Corinthiorum, Galatarum, Epheſiorum, Philippenſium, Timothei, Titi, Philemonis &c.? Etiam Auctor Libri Eccleſiaſtici in Prologo teſtatur, in elucubratione illius Libri addidiſſe laborem, diligentiam, & vigiliam; itaque humana induſtria, quam viri religioſi adhibent in quibuſdam illuſtribus Religionis tractandis rebus, non modo non impedit, ſed magnopere conducit, ut cœleſte ſibi promereantur patrocinium. Quod profecto nos perſpicue docent geſta Moſis, Joſue, Gedeonis, Sampſonis, David, laudati Apoſtoli, Athanaſii, Auguſtini, Thomæ Aquinatis, Bonaventuræ, Joannis Duns Scoti, aliorumque pene innumerabilium, qui in præteritis generationibus prælia Domini congreſſi fuere. Hoc ipſum ſolemne eſt Conciliis, & Apoſtolicæ S. Sedi, nimirum ante omnia diligenter adhibere humanam induſtriam deſuper rebus ad Religionem ſpectantibus definiendis, ad hoc ut dignius ſe diſponant, ac abundantiori Spiritus Sancti lumine illuſtrentur, & dirigantur. Sicut in humanis lumen naturale, quo verum a falſo ſecernimus, exteriorem inſtructionem & diſciplinam non excludit, ſed exigit potius, ita in ſpiritualibus. Sicque licet Hie-

Hieronymus mediis ordinariis ſe ſe pararit ad emendandam Italam, votis quoque amicorum ſatisfaciens, id tamen minime fuit obſtaculo, quinimmo eundem roboravit, ut facilius digniuſque præſidium cœleſtis lucis imploraret, & reipſa obtineret. Hiſce addas, Hieronymum ſpeciali mandato percelebris Vicarii Chriſti S. Damaſi Papæ ſuſcepiſſe provinciam Italæ emendandæ, uti dicemus num. *656*. Quod vero ſpectat poſtremas argumenti partes opportunius infra num. *666*. & ſeqq.

619. Tertio probatur eadem min. Perſpectum eſt Hieronymiano tempore tot fuiſſe Latinas interpretationes, quæ circumferebantur, quot ferme erant codices: ex dicendis ſequenti capite pariter conſtabit, Eccleſiam Latinam inter tot variantes interpretationes ſolam Hieronymianam ſelegiſſe, præferens quoque verſioni Italæ, cui tum temporis primæ deferebantur: quo præmiſſo ita argumentum auſpicor. Si univerſa Latina Eccleſia non deprehendiſſet, Hieronymianam verſionem fuiſſe in Spiritu Sancto concinnatam, nulla certe ſuppetet efficax ratio cur inter tot interpretationes ſolam Hieronymianam delegerit, detulerit ad uſum publicum loco Italæ, & tanquam germanum Scripturæ Textum uſurparit, & illuſtrarit. Si enim reponas, hoc accidiſſe ex eo quia ſolus Hieronymus inter tot veteres cæcutientes interpretes intellexit neceſſitatem Hebraicæ linguæ, hujus peritiam habuit, & ad trutinam Hebræi fontis ejus Verſionem adpendit, ſic inſto: eccur alii viri eruditi, quorum ætas illa feraciſſima fuit (*a*), potiſſimum-

(a) *Eo tempore quo Hieronymi verſio cœpit publice lectitari, & paulatim per univerſam Latinitatem diffundi, floruerunt Joannes Hieroſolymitanus, Ruffinus Aquilejenſis, Palladius, Gaudentius Brixienſis, Aurelius Prudentius, Chromatius Aquilejenſis, Ticonius Afer, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Maximus Taurinenſis, Pelagius Scotus, Paulinus Nolanus, Severus Sulpitius, Oroſius, Victor Maſſilienſis, Sedulius, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Proclus, Eucherius Lugdunenſis, Salvianus, Claudianus Mamertus, Caſſianus, Vincentius Lirinenſis, Iſidorus Peluſiota, Petrus Chryſologus, Leo Magnus, Nilus Conſtantinopolitanus, Simeon Stylita, Hilarius Arelatenſis, Proſper Aquitanus, Baſilius Seleucienſis, Theodorus,* Fau-

Digitized by Google

mumque ejus æmuli & detractores id animadvertentes, non ſe applicuerunt exemplo Hieronymi Hebraicæ addiſcendæ, ad hoc ut ipſi quoque conſulentes Hebræum probarent propriis oculis, utrum Hieronymus in ejus adornanda verſione bene vel male ſe præſtiterit? Quum enim initio quintidecimi ſeculi Novatores ſuaſerint mundo, peritiam Hebraicæ neceſſariam eſſe in dignoſcendis Scripturis genuinis, necnon eiſdem intelligendis, ſtatim univerſus ferme eruditorum grex totus ſe dedidit ſtudio Hebraicæ, & ad eam tandem pervenimus ætatem, ut pro faſtu habeatur excudere libros Rabbinicis characteribus adſperſos. Multo magis id accidere debuiſſet Hieronymiano tempore, quandoquidem ubi Concilium Tridentinum ea unice ratione adprobavit Vulgatam veterem, quia Antiquitas iſta uſa fuit, parvi faciens utrum concordaret vel diſcordaret ab hodierno Hebræo; e contra Novatores volunt, quod vetus Eccleſia ideo Hieronymianam prætulit cæteris verſionibus, quia edita fuerat a Hieronymo Hebraicæ perito, & ad normam Hebræi Textus expreſſa: & per conſequens ſi id verum eſſet, multo magis eruditi Hieronymianæ ætatis debuiſſent ſtudio Hebraicæ diligenter vacare. Atqui eiſdem adverſariis conſentientibus liquet, illos peritia Hebraicæ fuiſſe deſtitutos; ergo ut hujuſmodi difficultates explanentur opus eſt dicamus, quod ideo vetus Eccleſia inter omnes verſiones ſolam Hieronymianam delegit, quia novit eam ſolam editam eſſe a viro cæteris interpretibus longe Doctiore, & ſimul peculiari Spiritus S. aſſiſtentia ornato.

620.

Fauſtus, Gennadius, Gelaſius, Vigilius, Paſchaſius, Cæſarius, Fulgentius, Ferrandus, Ennodius, Avitus, Boetius, Remigius, Dionyſius exiguus, Caſſiodorus, Sinaita, Junilius, Facundus Hermianenſis, plerique alii, qui eam ætatem mira illuſtrarunt rerum omnium eruditione, in tantum ut doctis Recentioribus tum ex Catholicis, tum ex Proteſtantibus curæ fuerit poſt decem & plus elapſa ſecula monumenta illorum diligenter cudere, & recudere, ne ſcilicet poſteri privarentur tam eximiæ doctrinæ documentis.

620. Non inficiamur, unam ex cauſſis, quibus Veteres excitati fuerunt ad conſecrandam Hieronymianam, fuiſſe peritiam Hebraicæ, & inſpectionem Hebræi quibus Hieronymus incubuit; ſed ſolummodo denegamus hanc fuiſſe rationem ſive cauſſam unicam, adæquatam, & præciſam. *Adde*, quod in hac hypotheſi nullum foret aſſignabile motivum, cur Eccleſia cæteris interpretationibus N. Teſtamenti Hieronymianam quoque antepoſuerit; quoniam cunctæ aliæ non minus ac Hieronymiana fuerunt elucubratæ ab interpretibus Græco-Latinis, & adjumento Græci Textus. Ratio itaque adæquata & efficax, qua mediante Eccleſia vetus Hieronymianam prætulit, non aliunde, tanquam ex prima ſcaturigine cæterarum, petenda eſt, niſi a peculiari Spiritus Sancti aſſiſtentia, qua Hieronymus evaſit prodigium doctrinæ ſimul & ſanctitatis. Non enim Veteres laborabant eo damnabili præjudicio, quo Novatores contendunt ſolo linguarum ſubſidio exacte rimari divinas tabulas: illi enim utpote probatiſſima Eccleſiæ lumina bene noverunt, Prophetas & Apoſtolos non humana induſtria, ſed Spiritus Sancti flatu Scripturas condidiſſe: noverunt, Interpretes venerabilium verſionum Græcæ & Latinæ fuiſſe Spiritu Sancto repletos: noverunt, Hieronymum crebris vehementibuſque votis imploraſſe Spiritus Sancti munimen: noverunt, vitam Hieronymi fuiſſe illuſtriſſimum perfectionis Chriſtianæ prodigium, atque ita ab eadem divina Providentia mirifice excitatum ad reparandas Scripturas Latinas. Iſthæc inquam, prætermiſſis aliis *(a)*, fuerunt in cauſſa, ut Eccleſia vetus jure meritoque præ cæteris verſionibus ſolam Hieronymianam adoptarit, ut omnes obtrectatores ac æmuli Hieronymi conticuerint, ut omnes eruditi tam illius, quam ſequentium ſeculorum pro ſuperfluo habuerint navare operam Hebraicæ addiſcendæ, erubeſcentes ſe æquiparari Hieronymo, ut Hieronymianam verſionem

(a) *De quibus ſermo fuit num. 605.*

Digitized by Google

nem agnoverint pro illa eadem, quæ olim Eccleſiæ Latinæ fuerat in Spiritu S. tradita, ut tandem quidquid in Hieronymiana continetur, tanquam ejuſdem Spiritus S. verba acceperint, & illuſtrarint. Et Ariſtarchi noſtræ ætatis? Hiſce vel nullimode ſubodoratis, aut intelligere nolentibus, eo magis contradictionibus & fabellis abundant, quo magis conantur Hieronymianam criminari: & per conſequens ex ipſamet Eccleſia veteri ſeligente, & adoptante Hieronymianam inter tot alias Latinas verſiones, quæ tunc circumferebantur, patet, Hieronymum peculiari Spiritus S. flatu ejus verſionem adornaſſe.

621. *Quarto tandem probatur min.* ſpeciatim contra DD. Catholicos ſentientes oppoſitum. Nequit dari codex SS. Scripturarum vere & proprie authenticus, qui non fuerit ab ejus Auctore editus ſub peculiari Spiritus S. aſſiſtentia; atqui Concilium Tridentinum definivit Vulgatam veterem, ſive Hieronymianam (*a*), vere & proprie eſſe authenticam; ergo Hieronymus ſub peculiari Spiritus S. aſſiſtentia codicem ejus verſionis adornavit. Major propoſitio etiam a Proteſtantibus ſatis traditur; quandoquidem quum teneant, Autographa Prophetarum & Apoſtolorum eſſe vere & proprie Authentica, tenent quoque a viris Spiritu S. repletis fuiſſe edita. Minor non aliter probatur, quam exſcribendo verba, quæ leguntur ſeſſ. IV. *Synodus . . . . ſtatuit, & declarat, ut hæc ipſa vetus, & Vulgata editio, quæ longo tot ſeculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro Authentica habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præſumat.*

622. *Dices* 1. cum Proteſtantibus. Vox *Authentica* vere & proprie ſolis Autographis Prophetarum, & Apoſtolo-

(a) *Quod nomine Vulgatæ veteris Concilium intellexerit Hieronymianam, ſive codicem Latinæ verſionis, quem Hieronymus in conſummatione elucubravit, conſtabit infra n. 681.*

Digitized by Google

lorum convenit, utpote quæ a Spiritu S. dictata: Apographa non abſolute, ſed in hypotheſi, quod cum Autographis conſentiant, erunt Authentica: verſiones vero proprie Authenticæ non ſunt, quia etiamſi verum ſenſum exprimant, tamen quoad verba ex humana induſtria pendent: *Scriptura*, ita Waltonus (*a*), cui facem prætulerunt primores Novatorum, deinde Paulus Sarpius, cuique permulti ex Recentioribus adſtipulantur, *Authentica dicitur, quæ ex ſe fidem facit, & ſummam habet auctoritatem, itaut nemo refragari poſſit, vel ab ipſa provocare. Ipſa Prophetarum & Apoſtolorum Autographa omnium proprie Authentica ſunt, ut quæ a Spiritu S. dictata: Apographa vero, ſive tranſcripta, eatenus Authentica ſunt quatenus cum Autographis conſentiunt. Verſiones vero proprie Authenticæ non ſunt, ſed auctoritatem ſuam habent ex convenientia cum libris originariis, ex quibus ceu fontibus traductæ ſunt.* Et iterum, *Hoc etiam pro Textuum originalium auctoritate ſupra verſiones facit, quod tam quoad verba, quam quoad ſenſum ſint immediate a Deo: verſiones vero licet ſenſum verum exprimant, tamen quoad verba ex humana induſtria pendent; nec plus certitudinis habent, quam fidelitas, doctrina, & diligentia Auctoris conferre poteſt.* Hinc fit, quod licet Vulgata ſpectata ipſius antiquitate ſit plurimum facienda, quia tamen non tranſcendit conditionem verſionis, nec complectitur verba a Spiritu S. dictata, ſed hominis erroribus obnoxii, idcirco vix improprie, & latiori ſenſu eſt authentica.

623. *Contra*. Quamvis præfata Novatorum doctrina videatur habere locum reſpectu aliorum omnium Interpretum, tam veterum, quam recentiorum, & cujuſcunque verſionis quavis lingua conſcriptæ; relate tamen ad LXX. ſeniores, primum Interpretem Latinum, & Hieronymum eſt prorſus nova, profana, & venerabili Antiquitati aperte contraria. *Primo*, quia Christus, & Apoſtoli tanti

T 2 omni-

(a) *Prol.* VI. §. 16. *p.* 284. *col.* 2.

omnino fecerunt verſionem Viralem, quanti vetus Synagoga æſtimarat puriſſimum Hebræum fontem. *Secundo*, Eccleſia Latina (ſicut Græca reſpectu Textus Græci) minime dubitavit authenticas lectiones Latini Textus tribuere, vel Spiritui Sancto, vel Chriſto, vel ei Scriptori canonico, a quo, licet diverſo ſermone, primitus prodiit (*a*). *Tertio*, ubi ex dictis conſtat, tam LXX. ſeniores, quam primum interpretem Latinum, & Hieronymum ſub peculiari Spiritus S. directione eorum opera elucubraſſe, id nullimode evincitur, nec fando uſpiam auſcultatum eſt de cæteris Interpretibus, ſive Veteribus, ſive Recentioribus. *Quarto*, ubi verſio Viralis, & Hieronymiana ſibi conciliarunt communem perpetuumque permultorum ſeculorum conſenſum, qui quidem, tanquam clara vox ipſius Dei teſtantis eſt eas divina poſtri auctoritate, & patrocinio; quævis alia verſio maxime Recentiorum non tantum lucem vidit, ac in multorum criminationes incurrit, & brevi annorum curriculo poſthabita (*b*). Quibus luce clarius conſtat, *primo*, quam im-

(a) *Quum enim Dei Eccleſia perpetuo agnoverit pro authenticis hujuſmodi lectionem Textus Latini*: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. *Matth. Cap. ult. v.* 19. *& hanc aliam*: Hoc eſt corpus meum. *Matth. Cap.* XXVI. *v.* 26., *idcirco ita adiudicat ipſi Chriſto, perinde quaſi Chriſtus ipſe litteraliter, ſive ſermone Latino ea verba protuliſſet. Ea de re tam veteres Patres, quam Recentiores Theologi amico voto confluunt in hoc unum: Miniſter Chriſti non ſermonibus ſuis, ſed ejuſdem Chriſti baptizat, & conſecrat:* Ubi, *apprime Ambroſius Lib.* IV. *de Sacramentis Cap.* IV. *Tom.* IV. *col.* 366. *D.* Venitur, ut conficiatur venerabile ſacramentum, jam non ſuis ſermonibus ſacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti, *eandem penitus virtutem habentibus latine apud Latinos, ac græce apud Græcos. Et D. Auguſtinus per hanc aliam authenticam lectionem Vulgatæ*: Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. *Joan.* I. *v.* 3., *quemlibet Arianiſmo addictum aquilino more perſtringens, concludit credendum eſſe Evangeliſtæ, utpote qui tale teſtimonium protulit, ſubdens Tract.* I. *in Joan. n.* II. *Tom.* III. *col.* 293. *G.* Crede ergo Evangeliſtæ. *Sexcenta hujus generis exempla paſſim invenies apud opera Veterum.*

(b) *Si quæ nova Latina fuit a recentioribus Interpretibus edita verſio majoris nominis, maxime Pagniniana, quæ viſa fuit probati laboris, pertinacis diligentiæ, & Leoni X. ab ejus religioſo Auctore dicata: & tamen permulti eam vitiorum inſimularunt, quos inter Genebrardus in Epiſt. Dedi-*

immerito Novatores confundant duas venerabiles verſiones, Græcam editam a LXX. & Latinam primi Interpretis, ſive Hieronymi cum cæteris aliis Interpretibus, & interpretationibus quavis lingua conſcriptis; *ſecundo*, quam imperite, & impudenter contendat Clericus parem auctoritatem tribuendam LXX. ſenioribus, Hieronymo, & Recentioribus interpretibus; *tertio*, quam longe aberrent Recentiores arbitrantes, vocem *Authentica* non vere, & proprie convenire Vulgatæ, quam Concilium adprobavit. Si enim Antiquitas peculiarem rationem habuit LXX. ſeniorum, & Hieronymi, eorumque verſionum, quomodo profanitati Hæreticorum non adhærebit, qui iſta cum veteri Eccleſia non diſtinguet: & per conſequens licet Vulgata vetus, ſive Hieronymiana non tranſcendat conditionem verſionis Scripturarum, adhuc jure meritoque proprietatem vocis *Authentica* Concilium ei tribuit, quod pariter explicavimus n. 526.

624. *Dices ſecundo* cum Riccardo Simonio Lib. II. cap. XIV. Hiſt. Crit. Vet. Teſtam. Concilium eo ſenſu definivit

dicat. Operum Origenis p. 6. Sanctis, *inquit*, Pagnini verſio . . . minus diligens, nimis ambitioſa, nimis curioſa, nimis grammatica, nimium Rabbinicarum minutiarum æmula, quæque recentium præceptionum ſubtilitate noxam ſinceritati, & ſententiarum & rerum ſæpiuſcule afferat. *Daniel. Huetius Lib. de clar. Interp.* §. 15. Quidam, *inquit*, in (*Pagnino*) nimiam diligentiam, ambitionem, ac curam tum moroſam minutiarum affectationem, inconcinnitatem culparunt. *Riccardus Simonius lib.* II. *Cap.* XX. *Hiſt. Vet. Teſt. habet*: Pagnini verſio obſcura eſt & barbara, & quidem referta ſolœciſmis . . . textualem ſenſum quandoque mutat. *Et Cap.* XXII. *Diſquiſit. Crit. de variis Bibl. edit. addit:* In multis a Pagnino erratum fuiſſe manifeſtum eſt; primo enim profitetur ſe a Latino interprete nunquam diſceſſurum niſi in locis ubi neceſſe fuerit; tamen ſæpius hunc deſerit abſque ulla prorſus ratione, ut Kimhium alioſque recentiores Judæorum magiſtros ſequatur. *Item Jacobus Bourgeois recudens Genevæ Pagnini editionem an.* 1568., *addita Gallica verſione, pleraque ut vitioſa reliquit vel mutavit: idipſum egit Arias Montanus in Bibliis Regiis teſte Waltono Prol. V.* §. 5. *p.* 270. *col.* 2.: *& tandem nuſpiam Eccleſia eam ad uſum publicum retulit. Quod ſi iſta fuit fortuna Sanctis Pagnini ejuſque verſionis, quæ præ cæteris recentioribus interpretationibus viſa eſt perfectior, quiſque colligere valebit, quam pejorem fidem ſibi parturierint verſiones aliæ longe plus vitioſæ.*

vit Vulgatam authenticam, quo Veteres admiſerunt pro Scriptura authentica, & legitima exemplaria Autographorum corrupta; quo Papæ legati in VI. Synodo petierunt, ut authentica Biblia proferrentur ex bibliotheca Conſtantinopolitani Patriarchæ, ut quæ erant extra omnem depravationis ſuſpicionem poſita; ſicque Concilium non definivit Vulgatam eſſe infallibilis auctoritatis, ſive ſub peculiari Spiritus S. aſſiſtentia editam; ſed quod inter omnes alias Latinas editiones, quæ durante ſchiſmate conſcriptæ fuerunt, & videbantur ſuſpectæ fidei, ipſa Vulgata habenda foret pro norma in diſputationibus, in concionibus, cæteriſque publicis actionibus. *Secundo*, licet Vulgata a multis ſeculis in Eccleſia Latina probata eſſet, adhuc Concilium juſſit illius emendationem, cujuſque Correctores neque Prophetæ fuerunt, neque Spiritu S. pleni. *Tertio*, Concilium nequaquam ad Critices ſeveræ leges eam ſelegit. *Quarto*, *Etſi*, inquit loc. cit., *reliquæ verſiones minimæ authenticæ ſancitæ fuerint, revera tamen per ſeipſas tales ſunt, modo illarum Auctores bona fide eas concinnarint, & pro viribus originalis veritatem repræſentare conati ſint. Hoc unum inter illas, & Vulgatam diſcrimen, quod hanc pro authentica agnoſcere cogamur, quia talis ſancita fuit, alias minime, quarum nullam Synodus mentionem fecit*. *Quinto*, Juriſconſulti inveſtigantes rationem, ob quam Conſtitutiones Juſtiniani inſignitæ fuerunt titulo Authentica, *aſſeruere*, inquit, *dictas fuiſſe authenticas cum relatione ad aliam earundem Conſtitutionum Latinam interpretationem, ſed minime ad Autographum ſatis accurate exactum*. *Tandem*, Pallavicinus, Serarius, Mariana, Genebrardus hoc idem ſentiunt.

625. *Contra*. En clara ſpecimina, quibus conſtat, Simonium hujuſmodi negotio aſſequendo oſcitanter dediſſe operam, & vix corticem deguſtaſſe, quod paucis expediam. *Ad primum*, brevitati ſtudens nolo quæſtionem movere, utrum Patres revera admiſerint pro Scriptura authentica, exemplaria Autographorum ab Hæreticis corrupta; ſed unice

nice reponam, Veteres tali lege admiſiſſe illa exemplaria pro Scriptura authentica, ut ſimul crebro, palamque teſtarentur eſſe plerifque corruptelis obnoxia: at dicas quæſo, ubine Concilium vel pro tantillo indicavit Vulgatam, quam definivit authenticam, complecti mendum correctione dignum? nullibi ſane, quinimmo, uti penſiculatius exponemus num. 628., colligitur plurimis monumentis, Concilium declaraſſe Vulgatam in omnibus, & quoad omnia habendam pro authentica. Pariter non ſine culpa Simonius affirmat, legatos Papæ petiiſſe in VI. Synodo Biblia authentica, quum ibi ſermo fuerit non de codicibus Bibliorum, ſed veterum Patrum Ambroſii, Auguſtini, Chryſoſtomi, Cyrilli, aliorumque; & inſuper ex eadem ſexta Synodo conſtat, hoc unico ſcopo præfatos codices dictos eſſe authenticos, in quantum ſervabantur in Patriarchio, atque ita a Monothelitis minime corrupti; quod nullimode ad rem facit, quum Concilium non ideo declaravit Vulgatam authenticam, in quantum nullimode potuerit a librariis, & petulantibus ingeniolis depravari: Simonius itaque inconſulto uſus eſt hiſce momentis ad probandum, Concilium non agnoviſſe Vulgatam infallibilis eſſe auctoritatis, & in Spiritu S. editam. Et quum addit, non aliam auctoritatem fuiſſe a Concilio Vulgatæ tributam, niſi quod Catholici cogantur ea uti in diſputationibus, in concionibus &c., ex num. 488. conſtat, hujuſmodi commentum mutuo accepiſſe a Sarpio, aliiſque novitatum amatoribus. *Ad ſecundum*, ſi eos labores, quas Simonius exantlavit addiſcendis linguis orientalibus, & perſcrutandis Judæorum, Hæreticorumque fabellis (quod plerifque ei ſimilibus dictum velim) pro dimidio ligaſſet huic provinciæ, haud dubie intellexiſſet, Vulgatam ſpectatam in ſe, de qua n. 629., fuiſſe a multis ſeculis ante Concilium Trident. probatam, non autem Vulgatam contaminatam vitiis: intellexiſſet inſuper, quod Concilium juſſit emendaturam Vulgatam, quæ erat vitiis referta, non autem in ejus puri-

tate

Digitized by Google

tate ſpectatam, quam unice authenticam definivit, & impoſuit, ut nulla ex parte corrigeretur: intellexiſſet quoque, Correctoribus non fuiſſe demandatam provinciam condendi Libros canonicos & prophetales, neque iterum interpretandi Latinum Textum ex originalibus, ſed vix reſtituendi Vulgatam veterem priſtino ſuo candori: & hoc nequidem pro Correctorum libitu, ſed ſub oculis & directione ejuſdem Apoſtolicæ S. Sedis, quæ hiſce in rebus peculiari Spiritus S. præſidio fruitur. *Ad tertium*, ideo Concilium non exegit Vulgatam ad leges ſeveræ Critices, quia non definivit Vulgatam authenticam relate ad fontes hodiernos, ſed ad ipſamet Autographa Prophetarum & Apoſtolorum, quibus Vulgata vetus apprime reſpondet: & inſuper, quia regulæ critices a Novatoribus excogitatæ, ſunt ineptæ & vanæ quoad effectum ſtabiliendi germanam lectionem, uti ex dictis abunde. *Ad quartum*, miror profecto, quomodo Riccardus Gallicanus Scriptor, & de membris Romanæ Eccleſiæ, proruperit in ſententiam adeo temerariam & perniciofam, utpote quæ unice tendit ad fovendam & protegendam Scripturarum confuſionem. Quomodo enim ex deſcripta ejus ſententia non eruetur, tot dari verſiones ex ſe authenticas, quot ſunt interpretes ſive Catholici, ſive Hæretici, qui bona fide eas concinnarunt, & pro viribus ſtuduerunt repræſentare originalis veritatem? ſi iſtæ ad ejus voluntatem omnes ex ſe ſe erunt authenticæ, tametſi ad invicem compugnent, quomodo non ſuborietur Scripturarum confuſio? habebimus ne Scripturam certam & definitam, ubi lectiones contrarias indiſcriminatim admiſerimus pro veris, & authenticis? viri docti perpendant. *Ad quintum*, qui recordabitur eorum, quæ expoſuimus num. 517. ſponte ſua eruet, quanta fides ſit adhibenda Riccardo præfigenti Juriſconſultis id, quod ſuo ſomniavit capite. *Ad poſtremum*, memoriæ commendentur deprompta a num. 546. aduſque 559., & ſtatim intelligetur, quanti hoc in negotio facienda ſit auctoritas Pallavicini, Serarii, Marianæ, Ge-

Genebrardi, aliorumque Theologorum, qui, quo fato neſcio, rebus haud ſibi ſatis conſtantibus quandoque indulſerint.

626. Quid amplius? Riccardus acri affectatoque zelo invehitur in Proteſtantes, ex eo quod propter nuper allegatam ſanctionem Concilii incuſarunt tyrannidis Romanam Eccleſiam, imponentem legem & neceſſitatem univerſis fidelibus habendi veterem Vulgatam pro ſola Scriptura, ſubdens, animos Proteſtantium errore & præjudicio nimium occupatos non intellexiſſe mentem Concilii, quod ad voluntatem ipſius vix cæteris Latinis Recentiorum verſionibus Vulgatam prætulit: verum Riccardi ſyſtemate penſiculatius librato; verbis ſolummodo pugnat cum Proteſtantibus, re tamen Proteſtantium calumniis ſuo calculo vires addit, & inſervit. Si enim cum Proteſtantibus tenet, Vulgatam non eſſe proprie authenticam, pleraque complecti vitia emendatione digna, minime hodiernis fontibus præferendam, vel coæquandam, quomodo non recte inferetur, Concilium tyrannicam legem impoſuiſſe Catholicis, quum juſſit ſolam Vulgatam uſurpandam in publicis diſputationibus, concionibus, cæteriſque actionibus publicis? Hoc argumentum olim expoſuimus num. 488. quo lectorem remitto, ſicut etiam num. 558. Eodem falſo zelo Riccardus proſcindit eruditionem, & pietatem probatiſſimorum Catholicorum maxime in Hiſpaniis, qui carceribus manciparunt quoſdam Theologos profana Proteſtantium hypotheſi abreptos, ac eorundem pene principiis (licet abſimili conſilio) temere traducentes authentiam Vulgatæ veteris: verum ſicut ex triplici noſtra Demonſtratione arbitror, non leviter eventilaſſe Proteſtantium novitates, ita eruitur, zelotes doctiſſimoſque Hiſpanos jure meritoque non peperciſſe illis minus cautis, & aliena fide obloquentibus Theologis. Utinam & Galli, Flandri, Germani, cæterique ultramontani exemplo Hiſpanorum inſtitiſſent, quoniam nec Proteſtantes majores vires ſumpſiſ-

ſent, nec Proteſtantium ſyſtema inter Catholicos quoque radices egiſſet, nec tandem nobis opus eſſet adeo longum trahere contentioſum funem.

627. *Dices tertio*. Concilium definivit Vulgatam authenticam in rebus tantum fidei & morum, non autem in omnibus & quoad omnia, perinde quaſi nullum penitus mendum ea complectatur correctione dignum; ſicque ex definitione Concilii nullimode eruitur, Hieronymum peculiari Spiritus Sancti flatu ejus editionem adornaſſe: quemadmodum licet aliæ recentes verſiones e. g. Pagnini, Iſidori Clarii, Lovanienſium, aliorumque doctiſſimorum Theologorum fruantur pari authentia in rebus fidei & morum; tamen non ſine omnium admiratione quis inde colligeret, iſtos quoque Theologos peculiari Spiritus inſtinctu ſuas cudiſſe verſiones.

628. *Contra*. Quamvis pervulgata cantilena de Scripturis pertinentibus, & non pertinentibus ad fidem & mores, tanquam atra pix fuerit hactenus cocta & recocta, potiſſimum n. 518. & ſeqq.; hic tamen brevi oſtendamus oportet, eandem contorte & violenter aptari Patribus Tridentinis, utpote qui Vulgatam veterem ſtatuerunt authenticam in omnibus & quoad omnia, nec una quidem vocula excepta. *Si quis*, ita S. Synodus ſeſſ. IV., *autem libros ipſos integros, cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri Vulgata Latina editione habentur pro ſacris, & canonicis non ſuſceperit, anathema ſit*. Ex quibus unicuique viro Catholico graviſſime injungitur adoptare pro ſacro & canonico, quod idem eſt ac dicere, pro Scriptura divinitus inſpirata, ſive pro ipſius Spiritus Sancti oraculis quidquid continetur in veteri Vulgata. Ea de re congregatio Concil. Trid. interpretum, ut omnem aditum præcluderet cavillationibus & cavillabundis ingeniis, declaravit, vi illorum verborum, *cum omnibus ſuis partibus*, incurrere anathematis pœnam, qui repugnabit ſuſcipere pro ſacris

&

Digitized by Google

& canonicis vel periodum, vel unam clauſulam, vel dictionem, aut ſyllabam, jotave unum Vulgatæ veteris: quumque Contextus Græci, aut Hebraici interdum opponantur Vulgatæ veteri, ideo eadem Congregatio quoad hujuſmodi oppoſitiones cenſura ligavit præfatos Contextus, eoſdem remittens ad tertiam regulam Indicis (*a*). *Item*, quum Andreas Vega, & Iſidorus Clarius evulgarint, Concilium non in omnibus probaſſe Vulgatam, primus ejuſdem Congregationis juſſu acrem reprehenſionem ſubiit, & Prolegomena poſterioris vi regularum Indicis reſciſſa fuerunt ab ejus Bibliis, & tenebris damnata ex dictis num. 552. *Item*, de Hieronymiana verſione, quam Concilium adprobavit, Præfatio Bibliorum Clementis teſtatur, *digniſſimam eſſe, ut fides ejus in OMNIBUS habeatur:* & paulo infra, *ne tam fidelis translatio, tamque in OMNES partes Eccleſiæ utilis*. Et tandem Clemens VIII. graviſſime inhibuit in ejus diplomate, ne vel minima particula adderetur, vel detraheretur de Textu correcto, utpote qui repræſentat ipſam Vulgatam veterem a Concilio probatam: & juxta expoſita num. *366.*, ſacra Congregatio ſuppreſſit Arabicam verſionem a Vulgata Clementina interdum diſcordantem. Jam vero non Lutheranis alloquor, non Calviniſtis, non Janſeniſtis, aliiſque noſtræ ætatis male feriatis blateronibus, ſed unice viris doctis, quorum religio eſt humiliter venerari judicia Apoſtolicæ S. Sedis. Si enim Romanæ Eccleſiæ datum eſt fideliter interpretari mentem Tridentinorum PP., & tot momentis hæc declaravit, Vulgatam in omnibus & quoad omnia, pro Scriptura authentica & canonica habendam, quomodo ſine nota do-

(a) *Cum omnibus ſuis partibus*. Etiam dicendum eſt, quod ne vel periodus, vel una clauſula, vel dictio, aut ſyllaba, jotave unum repugnet in veteri vulgatæ linguæ Latinæ Editione. Quoad oppoſitiones autem Contextus Græci, aut Hebraici cum Latina vulgata Editione, Congregatio remiſit ad tertiam regulam Indicis ſub Pio IV. editam. *Apud Codicem Concil. Trid. edit. Colon. Agrip. an.* 1621.

ctus Catholicus proferre poterit in futurum, Concilium in rebus tantum fidei & morum definiſſe Vulgatam authenticam? *Accedit*, quod eo ferme pacto Concilium definivit Hieronymianam authenticam, quo longo ſeculorum uſu in ipſa Eccleſia ea probata fuerat; at Hieronymiana in conſummatione edita, quoad omnia ſingulaque verba in ipſa Eccleſia probata fuerat in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus: *Pene*, de iſta inquit S.Auguſtinus, *in OMNIBUS nulla offenſio eſt*, itaut tam in Lib.IV. *de Doct. Chriſt.*, quam in Lib. *Speculum* tanti fecerit Hieronymianam, quanti olim fecerat Viralem Græcam divino Spiritu interpretatam: Ruffinus tanquam canonicum Scripturæ Textum eandem illuſtrandam ſibi aſſumpſerit: Salvianus agnoverit pro Scriptura plena, inviolata, & integra: Caſſiodorus pro Scriptura divinitus ordinata: Gregorius Magnus pro vero recipiendum eſſe ſtatuerit, quidquid in Hieronymiana dicitur, per ſingula verba eam expoſitionibus rimando (*a*): quam poſtea agendi rationem ſecuti ſunt omnes viri doctiſſimi, qui poſterioribus ſeculis floruere; & per conſequens ſi Hieronymiana quoad omnia ſingulaque verba in ipſa Eccleſia elapſis ſeculis probata fuerat, hac profecto lege Concilium definivit eam authenticam.

629. Prætereundum non eſt, primam potiſſimamque cauſſam, qua Recentiores arbitrantur ex decreto Concilii nullimode inferri, Vulgatam quoad ſingula verba eſſe infallibilis auctoritatis; non aliam eſſe, quam malam intelligentiam illius Vulgatæ, quam Concilium adprobavit, quamque emendaturam ſtatuit. Ea de re adcurate animadvertendum, quod Vulgata vetus in ſe ſpectata, minime confundenda eſt cum eadem obnoxia vitiis. Per primam intelligitur ea Vulgata, quæ ab aliquo, vel ab aliquibus ſi non Chriſti, ejus certe Apoſtolorum diſcipulo, vel

(a) *Horum Veterum monumenta conſignavimus paragrapho ſecundo.*

vel diſcipulis conſtructa fuit, & a mendis poſtea Hieronymi ſtudio perpolita. Per ſecundam ea venit Vulgata vetus, quæ malitia Hæreticorum, temeritate ſciolorum, injuria temporum, & amanuenſium, vel typographorum incuria pleraque vitia contraxit, tam ante Hieronymianam ætatem, quam temporibus Concilii Tridentini. Vulgata vetus ſecundum ſe ſpectata, ab ortu ſuo fuit, & eſt ex ſe ſe authentica, canonica, divina, in omnibus complectens Spiritus Sancti verba, utpote quæ ab Auctore vel Auctoribus Spiritu Sancto plenis, & ſub peculiari Spiritus Sancti directione edita (*a*); Vulgata vetus vitiis obnoxia, proprie & abſolute authentica non eſt; quoniam illud dicitur proprie authenticum, quod ex ſe ſe fidem facit, ſupremæ eſt auctoritatis, & a nullo reiici, vel in quæſtionem vocari debeat; quum ergo tam Hieronymus, quam Concilium Tridentinum in quæſtionem vocarint Vulgatam veterem vitiis obnoxiam, Hieronymus nimirum priſtino nitori eam reſtituendo, Concilium præcipiens ut eadem corrigeretur, jam abſolute & proprie authentica non eſt. A Hieronymiana ætate uſque hodie, divina protegente gratia, Vulgata vetus priori ſenſu neque quoad minimum jota defecit ab univerſitate Latinorum codicum; poſteriori ſenſu numquam pervaſit, vel quoad unam adſcititiam lectionem, omnes Latinos codices (*b*): hinc fit quod Vulgata vetus in ſeipſa, ab obitu Hieronymi uſque hodie, conſtanter & perpetuo ſervavit omnimodam integramque puritatem, & auctoritatem; ſed relate ad codices, non ſemper eodem modo (*c*). Namque Concilii tempore integerrime ea reperiebatur apud omnes

(a) *Neminem doctum cordatumque Chriſtianum reperiri eſſe arbitror, qui in dubium revocet Apoſtolos, & Apoſtolorum diſcipulos fuiſſe Spiritu Sancto repletos, quum nihil hujuſmodi veritate luculentius in Actis Apoſtolorum tradatur. Quod vero ſpectat Latinum Textum ſub ſpeciali Spiritus Sancti directione fuiſſe ab illis editum, ſatis ex dictis n.* 584.

(b) *Recole dicta n.* 121.

(c) *Legeſis expoſita num.* 539.

mnes Latinos codices collective ſumptos; in eiſdem autem diſtributive acceptis continebatur Vulgata vetus vitiis obnoxia: in omnibus codicibus collective, talis jacebat qualis fuit in Autographo primi Latini interpretis, & reparatoris Hieronymi; in ſingulis diſtributive, quoad ea duntaxat loca dici poterat quodammodo authentica, in quibus cum præfato Autographo fideliter reſpondebat: qua pari lege a Veteribus interdum Authentica dicta ſunt exemplaria fontium & verſionis Viralis, licet vitiis obnoxia.

630. Jam vero attende lector optime, quo cæleſti præſidio, & quanta rerum peritia præclari Patres Tridentini ſe ſe præſtiterunt in conficiendo decretum: *Sacroſancta*, inquiunt Seſſ. IV., *Synodus . . . . ſtatuit*, *& declarat*, *ut HÆC IPSA vetus & Vulgata editio*, *quæ longo tot ſeculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt . . . . pro authentica habeatur*. Et paulo infra, *decernit*, *& ſtatuit*, *ut poſthac ſacra Scriptura potiſſimum vero HÆC IPSA vetus & Vulgata editio*, *quam emendatiſſime imprimatur*. Ex quibus cuique perſpectum ſit, quod Synodus definivit Vulgatam ſecundum ſe inſpectam pro authentica; quia ex libatis n. 539., exceptis temporibus ante Hieronymum, & ante Concilium Tridentinum, cæterum longo ſeculorum uſu hæc in Eccleſia probata fuerat: Vulgatam veterem vitiis obnoxiam, ſive a Recentioribus conſpurcatam mandavit emendandam, & quam emendatiſſime imprimendam. *Item*, nullum penitus unum ſingularem codicem Vulgatæ veteris, qui eo tempore circumferebatur, adprobavit; quoniam ſinguli continebant Vulgatam veterem vitiis obnoxiam: neque probavit Vulgatam in ſeipſa, uti præciſam & ſeparatam ab univerſitate codicum Latinorum, qui tunc circumferebantur; quoniam in illis collective ſumptis, integerrime & omnibus numeris abſoluta continebatur: adhibuit particulam *HÆC*, ut intelligeretur, Concilium probare Vulgatam veterem reapſe jacentem apud omnes codices collective,

ſtive, qui tunc extabant; poſuit IPSA *vetus* ad denotandum, Concilium agnoſcere pro authentico Scripturæ Textu in omnibus, Vulgatam in ſeipſa, ſeu ut editam a primo Interprete, & reſtauratam a Hieronymo, ſive quam Eccleſia Romana primo e manibus Apoſtolorum, aut Apoſtolorum diſcipulis, & poſtea a Hieronymo accepit. Subdit, *hæc ipſa vetus, & Vulgata editio quam emendatiſſime imprimatur*, ideſt, Vulgata vetus, quæ in univerſitate codicum perfectiſſime continetur, & in ſingulis eſt obnoxia vitiis, quam emendatiſſime imprimatur, ad hoc ut in ſingulis quoque codicibus pura & immaculata ea refloreſcat. Et ſane, receptiſſimum eſt apud Philoſophos, & Theologos adagium: *De quibus verificantur contradictoria, inter eadem diſtinctio admittatur oportet*; porro conſtat, Concilium adprobaſſe Vulgatam veterem in omnibus, conſtat quoque præcepiſſe Vulgatæ veteris emendationem; ergo naturali conſequutione fatendum eſt, Vulgatam veterem, quam Concilium adprobavit in omnibus, diſtingui a Vulgata vetere, quam emendandam præcepit: ſubſumo, ſed de Vulgata vetere in ſe ſpectata, unice verificatur eſſe proprie authenticam in omnibus, & ſolummodo Vulgata vetus vitiis obnoxia emendatione indigebat; ergo Vulgata vetus, quam Concilium declaravit authenticam, eſt Vulgata vetus in ſe ſpectata, quæ nimirum in omnibus eſt divina, canonica, authentica, ſive in omnibus complectitur Spiritus Sancti verba (*a*): ſicque oportuit ut Hieronymus

(a) *Qui præfata doctrina bene utitur, arbitror flocci facere & ſpernere omnia argumenta, quibus Hæretici calumniantur ſapientiam Tridentinorum, aut ſiniſtris interpretationibus eorundem mentem pervertunt. Ex quo Concilium probavit Vulgatam, quam Eccleſia ab Apoſtolis aut Apoſtolorum diſcipulis accepit, & quaſi per manus ad ipſum Concilium pervenit, plane ſequitur* primo, *Concilium agnoviſſe editionem Latinam pro germano Eccleſiæ Latinæ Textu*; ſecundo, *nullum habuiſſe opus adpendendi præfatum Textum ad lancem hodiernorum fontium*; tertio, *eſſe meram calumniam, quod probarit Scripturam, quam Theologi Romanenſes ſibi fabricarant*; quarto, *vere & proprie authenticam definiſſe Vulgatam in ſeipſa, abſque ulla penitus mo-*

mus peculiari Spiritus Sancti flatu ediderit ejus verſionem, ſi iſtam Tridentina Synodus definivit Authenticam. Tandem paritas aſſumpta in argumento de verſionibus Pagnini, Iſidori Clarii, & DD. Lovanienſium cum verſione Hieronymiana, ex dictis præcipue num. 492. & 623. cuique adparet, quam frigida ſit, quam inepta, quam inſulſa.

631. Lubet tandem, hance noſtram ſententiam, de peculiari Spiritus S. aſſiſtentia in Hieronymo verſionem Latinam adornante, quibuſdam ſelectis Theologis Recentioribus optimi nominis referamus.

Salmeron: *Si quis*, inquit (*a*), *tamen urgeret, ut judicium noſtrum in re tanta depromeremus, profecto haud dubitarem aſſerere, ejus auctorem* (Hieronymum) *peculiari Spiritus Sancti ductu, & aſſiſtentia Hebræas litteras Latinas reddidiſſe, & ad hoc ſentiendum his rationibus perſuaſus ſum &c.:* quibus prolatis ita concludit: *His igitur rationibus evictum relinquimus, Latinam verſionem nonniſi ab Spiritu Sancto fuiſſe profectam.*

Melchior Canus: *Cum igitur*, habet (*b*), *obiicis, Interpretem non fuiſſe Prophetam: ſane vero Propheta non fuit, habuit tamen* (*ut Titelmannus recte aſſeverat*) *ſpiri-*

modificatione; quinto, *eandem agnoviſſe, in omnibus eſſe infallibilis auctoritatis, & complecti Spiritus Sancti verba*; ſexto, *nemini licere vel quoad minimum verbum illam reiicere, aut de vitio criminari*; ſeptimo, *nullimode probaſſe vitia, quibus in ſingulis codicibus ſcatebat*; octavo, *nullimode baptizaſſe infantem naſciturum, ex falſa ſuppoſitione quod probarit Vulgatam nuſpiam editam, ſed edituram*; nono, *præceptum Vulgatæ emendandæ haud adverſari præcepto quo ſtatuitur, Vulgatam habendam in omnibus pro Authentica*; decimo, *eam Vulgatam æſtimandam in ſingulis codicibus vere & proprie Authenticam, quam Apoſtolica S. Sedes pro prima opportunitate diligenter imprimeret. Omnia tandem, miſſis multo pluribus, ſtratagemata, velamenta, dicteria, cavillationes, quæ hoc in rerum themate jactitantur ab adverſariis, ſi, ut par eſt, ad normam præfatæ doctrinæ diligenter examinentur, nullius meo videri invenientur eſſe ponderis.*

(a) *Proleg.* III. *p.* 26. *col.* 1.

(b) *Lib.* II. *de Loc. Theol. cap.* XIV. *p.* 65. *col.* 2.

ritum quendam prophetico vicinum & proximum ; qualem neceſſarium eſſe oſtendimus ſacris litteris interpretandis : imo qualis erat neceſſarius , ut Eccleſia Latina editionem ſacrorum Librorum haberet , quam tuto in fide & moribus ſequeretur .

Bellarminus qua lege ſcripſerit (a) : *Non eſt opus eo confugere* , quod nimirum B. Hieronymus peculiari Spiritus Sancti lumine in Verſione veteris Teſtam. illuſtratus fuit , haud facile intellexerim ; quandoquidem in ipſius quoque ſententia Hieronymus non erravit in illa Verſione, quam Eccleſia adprobavit ; & inſuper *B. Petrus* , inquit (b), *probat non debere exponi Scripturas ex proprio ingenio , ſed ſecundum dictamen Spiritus Sancti* . Si hæc vera ſunt , quomodo in Hieronymo denegari poterit peculiare Dei munimen ? ubinam inveniemus alium SS. Scripturarum Interpretem tam exactum , & ſimul peculiari divini Numinis flatu deſtitutum ? Quod ſpectat Serarium , apprime inquit Joannes Morinus modo laudandus : *Animus dubius Serario nec ſuffragatur , nec contradicit* .

Joannes Morinus : *Exiſtimo* , habet (c) , *Sanctum Hieronymum peculiari Spiritus Sancti afflatu verſionem illam condidiſſe , eodemque Spiritu dirigente , & movente ab omni errore exemptam fuiſſe* . Et paulo infra : *Hinc conſequitur , Vulgatam verſionem ſecundum omnes partes ſuas per ſe , & natura ſua non modo veram eſſe ; ſed etiam authenticæ veritatis , ſecluſa omni Eccleſiæ approbatione & decreto , quum ab Auctore divinitus inſpirato originem ducat ; authenticam autem quoad nos attinet , & propter animi noſtri certitudinem , ſiſtendamque fluctuationem ab Eccleſia eſſe declaratam.*

632. Joannes de la Hay : *Editionem* , inquit (d) , *Hieronymi Vulgatam erat aliquando Eccleſia declaratura Authenticam,*

(a) *Lib.* III. *de verbo Dei cap. XI. col. 96.* C.
(b) *Lib.* III. *cit. cap.* III. *col.* 137. *D.*
(c) *Lib.* I. *Exerc.* VI. *cap.* XII. *p.* 158. *col.* 1. *A.*
(d) *Bibl. Maxim. Proleg. Sect.* XVI. *cap.* V. *tom.* I. *p.* 105.

ticam, ut ex Tridentino dicetur poſtea: fuit igitur ea in ſe, & quoad ſe a primo ſuo ortu talis: neque enim Eccleſia, quod in ſeipſo authenticum non eſt, authenticum declarat. Quod ſi vero ab initio fuit hæc authentica Verſio, ejus Auctori neceſſarium eſt, ſanctum adſtitiſſe Spiritum, qui dirigeret ad talia ſcribenda, ut valuerit noſtra Eccleſia uti canonicam adoptare.

Stephanus Menochius (*a*): *Vulgatæ noſtræ editionis auctoritas apud Catholicos ſumma eſſe debet, & reipſa eſt... quia D. Hieronymus illius Auctor, ut linguarum peritiſſimus perite, ut Sanctiſſimus fideliter, & diligenter interpretatus, & divino auxilio ad opus bene perficiendum peculiariter adjutus eſt.*

Dominicus Gravina, libratis & diſcuſſis utriuſque ſententiæ monumentis, hanc ſibi tenendam concluſionem ſtatuit (*b*): *Hieronymiana editio Spiritus Sancti illuſtratione edita eſt, & ſi non inchoative, in conſummatione tamen, & perfectione, & ultima, ut dicunt, manu.*

Fraſſenus (*c*): *Non propterea cenſendus eſt* (Hieronymus) *erraſſe, aut officium boni Interpretis non accurate impleſſe, quippe qui eum ſenſum expreſſerit, quem Spiritus Sanctus ab eo declarandum eſſe judicabat*. Et alia multo plura probatiſſimorum Theologorum diſerta teſtimonia in promptu forent; ſed ne longior evadat oratio, miſſa facio, id quo vora collimant ſatis ſuperque hactenus probaſſe arbitrans.

§.IV.

(a) *Proleg. in Sac. Script. cap.* XVIII. *Tom.* I. *p.* 8.
(b) *Lib.* IV. *Præſcript. de edit. Latina Artic.* V. *p.* 368. *col.* 2.
(c) *Lib.* II. *diſquiſ. Biblic. cap.* VI. *num.* 18. *p.* 316.

Digitized by Google

§. IV.

Solemne objectum petitum ex copia mendorum, quorum cuncti Hæretici, & plerique moroſi Catholici Hieronymianam, ſive Clementinam inſimulant.

633. Relinquere ſenſum, teſte Philoſopho, & quærere rationem infirmitas eſt intellectus; aſt quod Hieronymiana verſio ſit permultis vitiis obnoxia, viri linguarum peritiſſimi, tam ex Romanenſibus, quam ex Proteſtantibus ad oculum commonſtrant; ergo infirmitas eſt intellectus, emendicatis rationibus ſuadere; Hieronymianam quoad omnia eſſe infallibilis auctoritatis, necnon complecti Spiritus Sancti verba, ſive divino Spiritu dirigente fuiſſe a Hieronymo editam. *Probatur min.* Toties ad oculum commonſtrabitur, Hieronymianam verſionem eſſe permultis vitiis obnoxiam, quoties definitis ſpeciminibus conſtabit *primo*, ipſummet Hieronymum reprehendiſſe, & caſtigaſſe pleraſque lectiones & voces, quas poſuerat in ejus Verſione, quæque in Clementina hodie leguntur; *ſecundo*, permultas pariter lectiones & voces in Hieronymiana contineri, quæ nullimode congruant cum Originariis Prophetarum; *tertio*, quæ nec etiam congruant cum verſione Virali, a primo Interprete Latine expreſſa; quod per ſingula in ſequentibus tribus Tabulis ad oculum commonſtrabitur. Tantum itaque abeſt, ut pro more imperitorum credamus, editionem Hieronymi, cujus imaginem hodie per Biblia Clementina nobis repræſentari dicis, eſſe inviolabilem Scripturæ Textum in Spiritu Sancto editum.

TABULA I.

634. Lectionum, & vocum, quas ipſemet Hieronymus in ejus obſervationibus criticis, apud Quæſtiones in Geneſim, Epiſtolas, & Commentaria reprehendit, & caſtigat.

		Hieronymiana, ſive Clementina legit	*Hieronymus in ejus obſervationibus corrigit*
Geneſ. I.	2.	Ferebatur	Incubabat
III.	8.	Ad auram poſt meridiem	Ad veſperam
	15.	Ipſa	Ipſe
IV.	4.	Reſpexit Dominus ad Abel, & munera ejus	Et inflammavit
	8.	Egrediamur foras	Superfluum eſt
VI.	14.	De lignis levigatis	De lignis bituminatis
XI.	28.	Ur Chaldæorum	Ur igne Chaldæorum
Pſal. II.	12.	Apprehendite diſciplinam	Adorate pure
XLIII.	15.	Poſuiſti nos in ſimilitudinem gentibus	Poſuiſti nos proverbium gentibus
LXXI.	16.	Et erit firmamentum	Erit memorabile triticum
LXXXIX.	10.	Quoniam ſupervenit manſuetudo: & corripiemur	Quoniam tranſivimus &avolavimus
CIII.	18.	Herodii domus dux eſt eorum	Milvi abies domus eſt
CXVIII.	28.	Dormivit anima mea præ tædio	Diſtillavit anima mea præ triſtitia
CXXVI.	2.	Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, ſurgite poſtquam ſederitis	Fruſtra vobis eſt de mane ſurgere poſtquam ſederitis
Iſaiæ XXVI.	6.	Qui ingrediuntur impetu ad Jacob	Qui egrediuntur de radice Jacob
LX.	4.	Filiæ tuæ de latere ſurgent	Filiæ tuæ lac ſugent

635.

635. His multo plura conſimilia perſcrutanti opera Hieronymi occurrent; nulli itaque dubium eſſe debet, præfata loca Hieronymianæ verſionis ſapere vitioſitatem, utpote quæ ab eodem Hieronymo penſiculatius perceſſita, & caſtigata. Nec ſane mirandum, quandoquidem linguam Hebraicam, quam Hieronymus in ætate decrepita calluit, ejuſdem antea, quum nimirum Verſioni incubuit, parum erat peritus. Licet juvenis in Syriæ receſſu ſe dedit Hebraicæ addiſcendæ; quinquagenarius tamen pretio conduxit Barrabanum, & eruditiſſimum ex Tiberiade legis doctorem; ſicque re melius comperta merito ſenex retractavit ea, quæ indigeſte juvenis cuſerat. *Item*, Hieronymus ubi in ejus concinnanda Verſione unice ſtuduit pro virili non diſcedere a verſione Septuaginta, ſive a Latina vetere ex Græca expreſſa, ad hoc ut facilius invidiam detractorum declinaret; ſecus autem in ejus criticis obſervationibus, ubi nullo metu, nullaque aſſentatione rem agit: tot itaque mendis concludendum eſt Hieronymianam ſcatere, quot in locis diſtat a criticis obſervationibus ejuſdem.

TABULA II.

636. Lectionum & vocum, quas Hieronymus perperam ex Hebræo vertit, quæque in Hieronymiana, ſive in Clementina corrigenda ſuperſunt.

		Hieronymiana.	*Textus Hebræus.*
Geneſ. I.	2.	Ferebatur	Incubabat
	6.	Fiat Firmamentum	Fiat liquidum *vel* expanſum
III.	15.	Ipſa	Ipſe *vel* Ipſum
IV.	8.	Egrediamur foras	*ſilet*
	15.	Benedixitque Jacob filiis Joſeph	Benedixit ipſi Joſeph

VIII.

VIII. 4.	Menſe ſeptimo die menſis	Decimoſeptimo die menſis
7.	Egrediebatur, & non revertebatur	Exiit egrediendo, & redeundo
XI. 13.	Trecentis tribus annis	Quadringentos tres annos
XXXVI. 24.	Invenit aquas calidas	Invenit mulos
XXXVII. 2.	Cum ſexdecim eſſet annorum	Cum ſeptemdecim eſſet annorum
XLIX. 24.	Diſſoluta ſunt vincula brachiorum	Roborata ſunt brachia
Exodi II. 22.	Alterum vero peperit, quem vocavit Eliezer &c.	*ſilet*
XII. 40.	Qua manſerunt	Qui manſerunt
XXXII. 28.	Viginti tria millia hominum	Tria millia hominum.
XXXIX. 29.	Quod cornuta eſſet facies ſua	Quod radiaret cutis faciei ſuæ
Num. VIII. 2.	Candelabrum in Auſtrali parte &c.	*ſilet*
XX. 6.	Clamaveruntque ad Dominum &c.	*ſilet*
Joſue XXI. 36.	De Tribu Ruben &c.	*ſilet*
I. Reg. IV. 1.	Et factum eſt &c.	*ſilet*
V. 6.	Et ebullierunt villæ &c.	*ſilet*
Job. I. 21.	Sicut Domino placuit, ita factum eſt	*ſilet*
Pſal. II. 12.	Apprehendite diſciplinam	Oſculamini filium
XXXIII. 15.	Poſuiſti nos in ſimilitudinem gentibus	Poſuiſti nos proverbium gentibus
LXXI. 16.	Et erit firmamentum in terra	Erit pugillus frumenti in terra
LXXXIX. 10.	Quoniam ſupervenit manſuetudo: & corripiemur	Quoniam tranſivimus, & avolavimus
CI. 7.	Sicut Nycticorax in domicilio	Sicut Noctua in ruinoſis

Digitized by Google

		cilio	noſis
CIII.	18.	Herodii domus dux eſt eorum	Milvii abies domus eſt
CXVIII.	28.	Dormivit anima mea præ tædio	Diſtillavit anima mea præ triſtitia
CXXVI.	2.	Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere , ſurgite poſtquam ſederitis	Fruſtra vobis eſt de mane ſurgere poſtquam ſederitis
Iſai.LX.	4.	Filiæ tuæ de latere ſurgent	Filiæ tuæ lac ſugent
Thre.III.ult.		Laborem tuum	Maledictionem tuam
Ezech.I.	10.	Facies aquilæ deſuper ipſorum quatuor	Facies aquilæ ipſorum quatuor

637. Idcirco autem hiſce aliiſque erroribus Hieronymiana ſcatet ; quia ût bene animadvertit Joannes Clericus (*a*) : *Abſoluta cognitio linguæ Hebraicæ , ut cæterarum omnium , in duobus potiſſimum ſita eſt ; quorum prius eſt intelligentia ſingularum vocum , & locutionum , poſterius grammaticæ proprie dictæ peritia . Priorem quidem cognitionem nobis nunc præſtant perpetua lectio Hebraici codicis , & Lexica ad regulas Artis exacta ; in quibus Radices , & derivata omnia ordine traduntur , diſtinctis variis eorum ſignificationibus , & explicatis locutionibus omnibus , quæ illis conſtant. . . Liquido autem apparet ex ſcriptis Hieronymi , eum & Lexico , & Grammatica fuiſſe deſtitutum , itaut tantum lectione , & uſu didicerit , quod noverat de lingua Hebraica , nec methodo ulla adjutus ſit ; quamobrem varius admodum eſt in ſignificatu nominum , & paſſim in certiſſimas Grammaticarum regulas peccat .* Item (*b*) : *Eſſent ſane multo utiliores ejus labores ſi in addiſcenda lingua Hebraica , eandem methodum , aut ei ſimilem eſſet ſecutus , qua nos hodie utimur ; hoc eſt , ſi Grammaticis regulis , & conſtanti quodam Lexico uſus eſſet .*

(a) *Quæſt. IV. Hieronym. p.* 74.
(b) *Quæſt. VIII. p.* 231.

TABULA III.

638. Lectionum & vocum, quæ habentur in Hieronymiana & non congruunt cum Latina primi Interpretis, ſive cum Septuaginta.

	Hieronymiana	*Septuaginta.*
Gen. III. 15.	Ipſa conteret	Ipſe obſervabit
IV. 8.	Egrediamur foras	Tranſeamus in campum
VI. 14.	De lignis levigatis	De lignis quadratis
VIII. 7.	Egrediebatur, & non revertebatur	Exiens, & non revertens, donec ſiccarentur aquæ
XXXVI. 24.	Invenit aquas calidas	Invenit jamim
Exod. XI. 22.	Alterum vero peperit quem vocavit Eliezer &c.	*ſilet*
XII. 40.	Qua manſerunt	Qui manſerunt
XXXIX. 29.	Quod cornuta eſſet facies ſua	Quia glorificatus eſt aſpectus cutis faciei ſuæ
Num. VIII. 2.	Candelabrum in Auſtrali parte &c.	*ſilet*
XX. 6.	Clamaveruntque ad Dominum &c.	*ſilet*
Joſue XXI. 36.	De tribu Ruben &c.	*ſilet*
Pſ. CXVIII. 147.	Præveni in maturitate	Præveni in immaturitate
Prov. XIV. 15.	Filio doloſo nihil erit boni &c.	*ſilet*
Iſai. V. 9.	In auribus meis ſunt hæc, dicit Dominus exercituum	In auribus meis ſunt hæc Domini exercituum
XXVII. 6.	Qui ingrediuntur impetu ad Jacob.	Venientes filii Jacob.

639.

639. Quibus perſpicue vides, quam inconſulto & perperam affirmetur, Hieronymum reſtituiſſe priſtino candori editionem primi Latini interpretis, quæ pariter dicitur in Spiritu Sancto expreſſa ex verſione Septuaginta; quum cuique ex his conſtet, Hieronymianam & Septuaginta ſibi mutuo collidere: dicamus itaque oportet cum Riccardo Simonio (a): Hieronymum quandoque ſine ulla ratione diſceſſiſſe a recepta interpretatione ſeptuaginta Seniorum, ſive primi Latini Interpretis.

Aliæ quoque Tabulæ vitiorum, quibus Hieronymiana olet, ſuppeditari poſſent, maxime quod non infrequenter aliter legit, ac alii Contextus bibliaci venerandæ Antiquitatis, nimirum Textus Samaritanus, Paraphraſes Chaldaicæ, Verſio Syriaca, Arabica, Æthiopica, Perſica, Coptica, Armenica, *item* vetuſtiſſima MSS. Vulgatæ editionis; ſed qui iſtis opus habet, adeat inſignia Criticorum Opera, vel Biblia Polyglotta, apud quæ multam profecto meſſem ex ſe ſe colliget: conſequenter tantum abeſt, ut Hieronymiana habenda ſit pro inviolabili Scripturæ Textu, & peculiari Spiritus Sancti flatu ab eodem edita.

Reſpondetur ad Argumentum.

640. Denegando minorem, quoniam linguarum periti potius ſuos ad oculum commonſtrant errores, ſive pravos fructus præjudiciorum, quibus hoc in negotio laborant, quam vitia Hieronymianæ verſionis. Hic non quæritur, utrum peritis linguarum deprehendere libuerit vitia in Hieronymiana verſione? quis enim unquam poterit inficias ire; bene vero utrum iidem facultatem habuerint, & habeant dignoſcendi Scripturas legitimas ab adſcititiis, & loca Hieronymianæ verſionis, quæ venditant pro vitioſis, revera ſic ſe habeant? quocirca, miſſis quæ alias tradidimus, niſi ve-

(a) *Lib.* II. *Hiſt. Crit. Vet. Teſt. Cap.* XIII. *p.* 63.

Digitized by Google

limus omnia pro arbitrio definire, opus eſt dicamus, non ſine gravi temeritate eoſdem errorum inſimulaſſe Hieronymianam, & allegata nuper vitia cæteraque alia ab eiſdem fabricata, eſſe meros araneorum caſſiculos, ac monſtruoſos abortus tot præconceptionum, quibus perperam confidunt, & more pecudum profanitatem Eraſmi aliorumque Grammaticulorum imitantur. Reor ſatis oſtendiſſe Cap. V. I. Demonſt., regulas critices, quibus iſti Grammatici ducuntur ad criminandam Hieronymianam, ubique incertitudinem & vanitatem ſpirare; *item*, ex dicendis Cap. I. Demonſtrationis tertiæ, facultatem dignoſcendi auctoritative Scripturas veras ab apographis, unice reſidere apud R.Pontificem, vel Concilium Œcumenicum; ſicut hujuſmodi quæſtionem, utrum Hieronymiana complectatur vitia, ex libatis n.604. ad revelata religionis, ſive ad fidem & mores præ aliis conſimilibus quæſtionibus pertinere; deſuper quibus privati eruditi, tametſi numero & lumine doctrinæ ſtellis antecellant, niſi ipſis ſuffragetur auctoritas R. Pontificis in Concilio, vel extra, profecto nihil certi ratique concludunt. Quod ſi res ita ſe habet, tuum eſto judicium, quid dicendum ſit de adverſariis, qui tanta confidentia, haud ſuffragante, immo ſatis refragante Apoſtolica S.Sede (*a*) progreſſi ſunt ad definiendum, Hieronymianam verſionem reipſa vitiis abundare, & hujuſmodi perniciosiſſimo errore (*b*) decepti, taxaſſe lectiones & voces, quas pro more præſidentium volunt e Textu Hieronymiano ſive Clementino expungendas, & alias adinveniſſe, quas ibidem ſuffecturas miro ſupercilio ſtatuunt. Qua enim lege hujuſmodi cogitandi agendique ratio, non tendet ad ſtabiliendum illud puditiſſimum Proteſtantium dogma: cuilibet privato ſpiritui datum eſſe ferre judicium de Scripturis di-

gno-

(a) *Ex recenſitis nu.628., & multo pluribus exponendis Cap. II. Demonſt: III.*

(b) *Recolo cauſſas expoſitas num.674.*

gnoſcendis, & interpretandis? & hoc aliud Scepticorum, haud Veteribus Scripturarum interpretibus, quid ad ſalutem credendum, vel faciendum ſit, fidem adhibendam; ſed unuſquiſque rem propriis oculis cernat, propriæque rationis ductum ſequatur? Nec eſt ut confugiant ad rancidiſſimam illam ſtropham, protuliſse menda & correctiones Hieronymianæ verſionis ſubintellecta clauſula, ſi accedat Eccleſiæ judicium: abſolute enim proferunt acerrimeque contendunt, Hieronymum erraſſe, & tanta animi voluntate iſtud tenent, ut reapſe pleraque loca tamquam depravata abſolute proferant, ægre ferentes vel auſcultare, Hieronymianam in omnibus infallibilis eſſe auctoritatis, & Hieronymum in Spiritu Sancto ejus verſionem concinnaſſe. Quid plus? ex dictis nu. 602. & 608., Hæreticorum eſt ſpernere vetera, novaque obtrudere, & maxime in re hujuſmodi, cui antiquitas mirum in modum contradicit: enucleatum eſt pariter, Concilium in omnibus, & quoad omnia Hieronymianam definiſſe authenticam: tandem Sixtus V., & Præfatio Clementina damnant judicium eorum, qui elucubrationibus Hieronymi non acquieſcunt. Hæc ſane mihi ſunt in cauſſa, ut operam non perdam & oleum præfatis mendis minutatim excutiendis, maxime quod is, cui otium erit id præſtare, ubique inveniet momenta & ſuffragatores Catholicos de re hujuſmodi ex profeſſo agentes, arbitrans fore, ut exactius rem conficiat, ſi attendat ad methodum, quam ipſi tenuimus §. VIII. Quæſt. V. ſuperioris Demonſtrationis, ediſſerentes de celebriori vitio, quod recentiores Hebraiſtæ in Vulgata eſſe ſtatuunt, & pro quo diſerte acriuſque propugnant. Verum enim vero ſi quod magis videtur ineſſe & non ineſt, a fortiori quæ minoris ſunt momenti neque inerunt.

641. Eo tamen magis adfulgebit, linguarum peritos in præfatis Tabulis ſuos potius errores expoſuiſſe, ſi ad criſim revocentur tria illa principia, ſatius damnoſa præjudicia, quibus probant minorem principalem. Primo enim credunt,

Digitized by Google

dunt, Hieronymum in ejus criticis obſervationibus correxiſſe Verſionem a ſe ante editam; quod quam a veritate ſit alienum ſatis eruitur ex Notabili ſecundo, ubi tum teſtimoniis ejuſdem Hieronymi, tum ex facto Eccleſiæ, tum ad vitandam Scripturarum confuſionem, probavimus, voces & lectiones, quas Hieronymus profert in cunctis ejus operibus, haud coæquandas iis, quæ in ejus Verſione continentur: probavimus quoque, ſtudium Hieronymi in ejus criticis obſervationibus eo collimaſſe, ut moneretur lector de variis interpretationibus, quæ erui poterunt ex fontibus, vel quæ reapſe expreſſæ fuerant a ſuperioribus Interpretibus, non autem vel pro minimo detrahere ejus Verſioni. Addunt in calce primæ Tabulæ, Hieronymum in ætate decrepita longe exactius perfectiuſque hebraizaſſe ac ante, quid tum? vix inferri poteſt, in ejus Verſione inchoative, de qua non diſceptamus, interdum non exacte rem perfeciſſe; quo tranſmiſſo, cujus prudentiæ & pietatis erat detectum errorem notare & caſtigare apud ejus opera, & non potius ab eodem errore ejus Verſionem abſtergere? Studuit, ita prævelant vim hujus argumenti, Hieronymus in ejus Verſione non diſcedere a Septuaginta, ut facilius invidiam detractorum declinaret, ſecus autem in ejus criticis obſervationibus. At ni fallor hoc eſt commentum priore longe falſius, impudentiuſque; quandoquidem non amplius agunt de proſcindenda percelebri Hieronymi peritia, ſed etiam eximia ejuſdem probitate, & ſanctitate: quemadmodum improborum hominum eſt agere verſipellem, & multo iniquius in materia ſpectante ad cardinem religionis, ut eſt integritas & certitudo divinarum Scripturarum: Hieronymus enim præ oculis habuit probeque reſarſit, quorſum extenditur illud Chriſti Domini, *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo* (a): minime dubitavit pro veritate & zelo religionis ſubire odia, calu-

(a) *Mat. Cap. X. v. 32.*

lumnias, ejectiones, perſecutiones Hæreticorum, & improborum Catholicorum; tantum igitur abeſt, ut vel ſuſpicemur, Hieronymum timore detractorum concuſſum, ſcienter præteriſſe menda apud ejus Verſionem, quam Eccleſiæ parabat, quamque Eccleſia religioſiſſime adoptavit. Præterquam quod ideo Recentiores ad hujuſmodi inſulſum impiumque commentum confugiunt, quia præſupponunt *primo*, quod Septuaginta Seniores in eorum Verſione concinnanda reipſa erraverint; *ſecundo*, quod Hieronymus de iſta opinione pleniſſime perſuaſus fuerit; *tertio*, quod vitia, quibus vetus Latina editio ſcatebat, duxerint originem non tantum a ſcribis & petulantibus ingeniolis, ſed etiam ab ipſiſmet ſeptuaginta Senioribus, & a primo Latino interprete; *quarto*, quod Hieronymus in ejus nova Verſione revera caſtigarit pleraque vitia ſeptuaginta Seniorum, & primi Latini interpretis; *quinto*, quod ideo Hieronymus criminabatur Septuaginta, ut majorem fidem ſuæ Verſioni conciliaret. At iſta, nunc inquiro, quo fonte hauriunt? quo monumento ſuadent? a quo probato vetere produntur? Noſtro oneri, ut par erat, incumbentes, veterum PP. teſtimoniis alibi oſtendimus, LXX. Seniores in Spiritu Sancto viralem edidiſſe; *ſecundo*, hanc ſententiam etiam a Hieronymo probatam fuiſſe & propalatam; *tertio*, in ejus nova Verſione ſe illis religioſe coaptaſſe; *quarto*, eundem caſtigaſſe veterem editionem a corruptelis, quæ inſcitia, aut malitia in eam irrepſerant; *quinto* tandem, licet Ruffinus aliique æmuli de Hieronymo aliquando ſuſpicati fuerint, veritate poſtmodum comperta omnem malam ſuſpicionem exuerunt. Quibus diligenter perpenſis, cuique ratione utenti perſpectum fit, Hieronymum in ejus criticis obſervationibus minime correxiſſe voces & lectiones, quas recte poſuerat in ejus nova Verſione, ſicque peſſundat prima mendorum Tabula.

642. *Contra*, Hieronymus ediſſerens in ejus Commentariis de quibusdam lectionibus in ejus Verſione antea conſigna-

Digitized by Google

gnatis, conceptis verbis fatur ſe uti hominem erraſſe. Etenim ſcripſerat Iſaiæ XIX. v. 15., *Incurvantem, & refrænantem*; item Ezech. XLII. v. 20., *longitudinem quingentorum cubitorum, & latitudinem quingentorum cubitorum:* & tamen quoad primum locum, *In eo*, inquit, *quod nos tranſtulimus*, incurvantem, & refrænantem, *poſſumus dicere* incurvum, & laſcivientem, *ut intelligamus ſenem, & puerum. Nos autem verbum hebraicum* agmon, *dum celeriter, quæ ſcripta ſunt vertimus, ambiguitate decepti*, refrænantem *diximus*. Quoad ſecundum, *Melius*, inquit, *reor etiam proprium errorem reprehendere, quam dum erubeſco imperitiam confiteri, in errore perſiſtere, in eo quod tranſtuli*, Et erit Terra Juda Ægypto in feſtivitatem: animadvertens rectius legendum, *in pavorem*. Et quoad tertium, *Illud*, inquit, *quod per ſimplicitatem interpretationis (dum parum attendimus celeritate dictandi) & LXX. habet, & noſtra translatio* .... longitudine quingentorum cubitorum, & latitudine quingentorum cubitorum, *Hebræus ſermo non continet; ſed ſimpliciter*, longitudinem quingentorum, *ut ſubaudiatur, calamorum*: ruit itaque data reſponſio, quum hiſce in locis Hieronymus manifeſte fateatur erraſſe, & novis exactioribus obſervationibus caſtiget id, quod nimia celeritate, aut alio humano defectu in concinnanda Verſione prætervíderat.

643. *Reſpondeo*. Adverſarii hac in parte imitantur incantationes doloſas quorundam Novatorum, qui pro arbitrio ſpretis & oblivioni traditis graviſſimis momentis, quibus conſtat, Scriptores canonicos in Spiritu Sancto ſuos libros condidiſſe, magni faciunt nonnulla eorundem verba, affirmantes, quod illi proprio ore a ſe removerint Spiritus Sancti flatum. Quo quidem pacto propalant, Auctorem Libri Eccleſiaſtici humana induſtria ſuum opus elaboraſſe, utpote qui in Prologo petit veniam: *Hortor itaque venire vos cum benevolentia, & attentiori ſtudio lectionem facere, & veniam habere in illis, in quibus videmur ... deficere in verborum*

Digitized by Google

rum compoſitione. Idipſum opponunt de Auctore Lib. II. Machabæorum, ex quo cap. ultimo v. 39. veniam pariter poſtulat a ſuis lectoribus, ſi quid minus digne ſcripſerit: immo nec parcunt eidem Apoſtolo Paulo, hunc quoque venditantes fuiſſe Spiritu Sancto deſtitutum, ex eo quia habet: *Cæteris ego dico non Dominus . . . . . Puto autem, quod & ego Spiritum Dei habeam* (a); item, *Utinam ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ . . . Non loquor ſecundum Deum, ſed quaſi in inſipientia* (b), & cætera his ſimilia, quæ habet alibi. Ita inquam in noſtro caſu, adverſarii prætereunt tot momenta, quibus oſtenſum eſt, Hieronymo divinum adſtitiſſe numen; & ſolummodo ubique recordantur præfatas Hieronymi ſententias, perinde quaſi decretoriæ ſint, nihilque in contrarium afferri poſſit. Mirum ſane! Si Hieronymus videtur fateri ſe erraſse in teſtimoniis quæ ſuperius deſcripſimus, tradit quoque, crebras preces fudiſse, ut dignus efficeretur Spiritus Sancti aſſiſtentia, necnon ab habente clavem ſibi reipſa fuiſse apertum librum ſignatum; cum addito, quod huic ſententiæ ſuffragatur Eccleſia, pro illa autem univerſi Hæretici propugnant, & tot pravis conſiliis quot cauſſas expoſuimus num. 574. & ſeqq. Ne igitur patiamur fieri fucum ab hoſtibus, poſtergando ſimul doctrinam & pietatem S. M. Eccleſiæ, eo ferme pacto intelligemus verba Hieronymi, ac noſtrates Controverſiſtæ edocti a D. Auguſtino (c) expendunt nuper relatas obteſtationes adhibitas a Scriptoribus Canonicis, ſummatim reponentes, quod ſicut ab iſtis ſcriptæ fuerunt non per proprietatem, ſed tropologice & per ſimilitudinem ad alios ſacros Tractatores, qui generatim de ſeipſis quam demiſſe ſentiunt; ita quoque Hieronymus humilitatis exercitio nonnullá

(a) I. *Corin. Cap.* VII. *v.* 12.
(b) II. *Corin. Cap.* II. *v.* 1.
(c) In omni Allegoria hæc regula tenenda eſt, ut pro ſententia præſentis loci conſideretur, quod per ſimilitudinem dicitur. *Auguſt. in Pſal.* VIII. *n.* 13. *Tom.* IV. *col.* 45. *F.*

Digitized by Google

nulla ſibi vitio vertit, & maxime quod vix de ſecundo objectato loco (ſi velimus de Hieronymo rigoroſum ferre judicium) dici poterit, non quidem poſitive erraſſe, ſed minus exacte in ejus Verſione inchoative ſe præbuiſſe, reipſa in verſione conſummative ſubſtituens pro *feſtivitatem*, *pavorem*; primum autem & tertium locum conſtanter retinuit uti erant, quo certe evidens ſit, non per proprietatem, ſed per ſimilitudinem ad alios Tractatores ſe in utriſque inculpaſſe ſubitaneæ interpretationis. Dixi *ſi velimus rigoroſum ferre judicium*, quoniam vox illa *feſtivitatem* abſolute ſpectata nullimode ſapit errorem. Audiamus eundem Hieronymum ita hac de re ediſſerentem: *In Hebraico*, inquit (*a*), *legitur* hogga, *quod interpretari poteſt &* feſtivitas; *unde & Aggæus in feſtivum vertitur*, *& timor*, *quod ſignificantius Aquila tranſtulit* γυρωσιν ghyroſin: *cum aliquis pavidus & tremens circumfert oculos*, *& advenientem formidat inimicum*. *Ergo ſi voluerimus in bonam partem accipere*, *quod recordatio Judæ Ægypto ſit gaudii*, *recte* feſtivitas *dicitur*: *ſin autem*, *ut arbitror*, *in timorem pro feſtivitate vertitur*: *intelligamus* formidinem, *vel* pavorem, *quod cum Nabuchodonoſor venerit*, *& omnes virorum fortium manus quaſi mulierum fuerint diſſolutæ*, *etiam vocabulum Judæ terrori ſit Ægypto*; *quia dum ei vult auxilium præbere tanta mala perpeſſa ſit*. Quibus benevole Lector tuum eſto judicium, utrum vox feſtivitas, quam Hieronymus in ejus Verſione inchoative conſignavit, ſit abſolute pro errore habenda.

644. Longe clarius adparet, non in ſeipſis ſed penes eoſdem Criticos ſapere vitioſitatem eas voces & lectiones Hieronymianæ verſionis, quæ proferuntur in ſecunda expoſita Tabula, utpote ab hodierno Hebræo diſcrepantes. Id enim, quod in præſentiarum diligenter diſquirendum venit pro-

(a) *In Cap.*XIX. *Iſaiæ Tom.*IV.*p.*54. C.

Digitized by Google

profecto non eſt, utrum Hieronymiana congruat cum hodierno Hebræo, & Hieronymus habuerit abſolutam cognitionem linguæ Hebraicæ, quæ hodie in ſcholis traditur; bene vero (a) utrum Hieronymiana congruat cum Archetypis Prophetarum, & Hieronymus calluerit illam Hebraicam qua Prophetæ loquebantur, ſuoſque libros conſcripſerunt. Quid enim prodeſſet, quod Hieronymiana reſponderet hodiernis Apographis, & diſcordaret ab Autographis, vel quod Hieronymus habuerit abſolutam peritiam Hebraicæ hodiernæ, & non illam, quam calluerunt Prophetæ, Chriſtus, & Apoſtoli? Nemo ignorat, quod ideo Novatores omnibus Verſionibus præferunt hodiernum Hebræum, quia Spiritus Sanctus non Latine, ſed Hebræo ſermone loquutus eſt per os Prophetarum, atque ita concludunt, non Textus Latinus, ſed Hebræus complectitur Spiritus Sancti verba: itaque ut rectum judicium feratur deſuper integritate Hieronymianæ verſionis, & peritia Hebraicæ, quæ fuit in Hieronymo, poſteriori unice ſenſu opus eſt utraque quæſtio examinetur. Quibus bene intellectis, neminem virum doctum reperiri arbitror, qui non deprehendat palpabilem cæcutionem noſtrorum Criticorum utramque quæſtionem confundentium, priori poſtea ſenſu unice agitantium, & definientium. Namque non verentur de tot vitiis Hieronymianam & Hieronymum culpare, quot in locis deprehendunt; eam cum hodierno Maſorethico non convenire, & Hieronymum non hebraizaſſe juxta Grammaticam & Lexica, quæ hodie in ſcholis traduntur. Si objectaveris, idcirco Critici hæc agunt, quia habent pro comperto, hodiernum Hebræum eſſe veram imaginem Archetyporum, & hodiernam Hebraicam non diſtare a lingua vetere Prophetarum, & Apoſtolorum: id profecto, reponam,

 eſt

(a) *Ex abundantia prætermittimus hic opponere toties expoſitam doctrinam de Eccleſia Latina, cui non Textus Hebræus, ſed Latinus datus fuit in regulam Chriſtianæ Fidei.*

Digitized by Google

eſt illud præjudiciorum portentum ac feralis hallucinatio, qua Critici noſtri laborant & ſuffocantur, cujuſque numquam fatis pœnitebunt: credere nimirum, quod hodiernus Hebræus ſit imago Archetyporum, & quod hodierna Hebraica non diſtet a vetere, quum utrumque putamus non levibus momentis hucuſque refelliſſe; & conſequenter omnes illæ voces, & lectiones Hieronymianæ apud ſecundam Tabulam taxatæ, licet ipſis Criticis vitioſæ videantur, re tamen vera tam in ſeipſis, quam apud religioſos filios Apoſtolicæ S. Sedis ſunt authenticæ, divinæ, & canonicæ; quum nihil omnino obſtet ſi diſcedant ab hodierno Hebræo, quem Maſorethæ ineptiſſime conſarcinarunt, interpretato pariter juxta regulas hodiernæ Grammatices barbaro-hebraicæ.

645. Heinc ad ridendum potius, quam ad reſpondendum me excitat præfatum teſtimonium Joannis Clerici in calce ſecundæ Tabulæ expoſitum, quandoquidem videtur agere diſipientem illum hominem, qui viridi perſpicillo intuens nivem, affirmaret viridis eſſe coloris, graviſſime excandeſcens in alios, qui ſine perſpicillo eadem nive aſpecta, merito contenderent eſſe albam. Et ſane, quum Clericus nullimode, aut vix obiter intellexerit germanum ſenſum quæſtionis, quæ hoc in negotio primum locum obtinet, in cauſſa fuit, ut munitus perſpicillo viridi, ſive deceptus hujuſmodi errore, quod hodiernus Hebræus ſit imago Archetypi, & hodierna Hebraica repræſentet eam linguam, qua ſacri Libri conſcripti ſunt, devenerit ad aſſerendum: Hieronymus non habuit abſolutam peritiam Hebraicæ, utpote qui deſtitutus Lexico & Grammatica, quibus hodierni Hebraiſtæ fruuntur. Nec hiſce contentus, ejuſdem imperitiæ alibi criminatur ſeptuaginta Seniores, omneſque Veteres, & mirum quod ipſis Prophetis, & Apoſtolis, immo eidem Chriſto eundem defectum non præfixerit, quum ab iſtis quoque abſuerint & Lexica barbaro-hebraica, & regulæ grammaticales, quas Maſorethæ gracilibus conjecturis freti circa undecimum ſeculum æræ Chriſtianæ digeſſerunt,

runt, quibuſque noſtri Hebraiſtæ ſibi excelſe congratulantur. Quod ſi hiſce de cauſſis ad voluntatem Clerici concludendum foret, neque Prophetas, neque Apoſtolos, neque eundem Chriſtum habuiſſe abſolutam peritiam Hebraicæ, quomodo eundem non habebimus pro eo deliro homine, qui ſolemni formula clamans diceret: *cæci ſunt, quibus affirmare arridet, nivem eſſe albam, & non viridem?* Ea propter haud facile crediderim, qui iſta adcurate perpendens, eundem non pudeat Joanni Clerico, aliiſque Grammaticulis Barbaro-Hebraiſtis facere fucum.

646. Quod tandem ſpectat lectiones, & voces Hieronymianæ verſionis in tertia Tabula deſcriptas, quas Adverſarii venditant pro vitiis, ex eo quia non congruunt cum Septuaginta, & cum primo Latino Interprete: ipſemet Hieronymus hujuſmodi cavillum comminuit, diſerte obteſtans, ſe haud immutaſſe quod ab antiquis legebatur, ea duntaxat corrigens, quæ corrupta fuerunt, & videbantur ſenſum mutare; nec adeo fuiſſe hebetis cordis, ut putarit corrigendum quod ad verba dominica pertinebat, ac fuerat divinitus inſpiratum; ſed unice providiſſe vitioſitati Latinorum codicum, qui nimia varietate compugnabant (*a*); & per conſequens præfata varietas nihil vitioſitatis tribuit Hieronymianæ, ſed potius codicibus corruptis ſeptuaginta Seniorum, & primi Latini interpretis. Non denegamus in Hieronymiana nonnulla reperiri, quæ diſcrepant non tantum a codicibus corruptis, ſed ab ipſamet quoque Virali pura, & immaculata editione Latini interpretis, ut eſt E. G. ſeries annorum Patriarcharum aliter deſcripta ab illis, aliter a Hieronymo (*b*); aſt non ideo inferendum eſt, vel Septuaginta & primum Latinum interpretem, vel Hieronymum erraſſe propter iſtud principium, non ſemel a nobis commendatum, *nequeunt dari*

Z 2 *duæ*

(a) *Peteſis num.* 221. 581., & 604. *ubi eumdem Hieronymum audies.*
(b) *Nonnulla ſpecimina hujus diſcrepantiæ ſuppeditavimus num.* 110.

Digitized by Google

duæ lectiones authenticæ inter ſe repugnantes, vel ut inquit Hieronymus, *Verum non eſſe, quod variat*. Verum enim vero hocce principium unice intelligitur de illis Scripturarum vocibus & lectionibus variantibus, quarum unam ſolummodo, & non aliam variantem Eccleſia agnovit pro vera & canonica; ſecus autem ſi ipſamet Eccleſia utriſque ſuffragata fuerit, in quantum nimirum traditione, & revelatione novit, Spiritum Sanctum pleraque dixiſſe per unum ſacrum Scriptorem, alia per alium, vel eadem aliter per hunc, aliter per alium. Quod quidem triſariam evincendum ſuſcipio.

647. *Primo*. Ex facto Eccleſiæ, quæ licet probe animadverterit verba, quæ Chriſtus protulit in conſecratione calicis, aliter referri a Matthæo, aliter a Marco, aliter a Luca, aliter ab Apoſtolo Paulo (*a*); adhuc ſingula perpetuo agnovit pro oraculis divinis, ſive ab eodem Spiritu Sancto profectis. Neque dicas cum Recentioribus, ſingulas haſce lectiones eſſe divinas ſecundum ſenſum, non autem ſecundum verba, ea ſcilicet lege, qua earum Auctoribus ſecundum ſubſtantiam tantummodo facta fuit revelatio: ſi hoc ſubſiſtet, de Scripturis divinis, quatenus ſunt verba a Spiritu S. profecta, actum erit; quoniam juxta datam reſponſionem vix ſenſus pertinerent ad Spiritum S., verba autem eſſent hominis erroribus obnoxii; ſicque nullum eſſet diſcrimen inter Scripturas canonicas, & decreta fidei RR. Pontificum, aut Concilii Œcumenici, quæ quidem ſecundum ſenſum duntaxat a Spiritu S. procedunt; *item*, opus eſſet affirmare, veteres PP. nobis & ſibi feciſſe fu-

cum

(a) *Matthæus enim ita introducit Chriſtum loquentem Cap.* XXVI. *v.* 28. Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. *Marcus Cap.* XIV. *v.* 24.: Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur. *Lucas* XXII. *v.* 20.: Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur. *Apoſtolus tandem I. Corinth.* XI. *v.* 25. Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine: hoc facite quotieſcunque bibetis, in meam commemorationem.

Digitized by Google

cum, quum paſſim tradant verba Scripturarum eſſe Spiritus S. oracula; *item*, nec ipſimet eruditiores Proteſtantes ratum habent allegatum perfugium, utpote qui diſcrimen inter Originarios & Verſiones ex hoc primum potiſſimumque petunt, quia illi complectuntur Spiritus S. verba, iſtæ autem verba hominis; perperam itaque autumatur, præfatas Apoſtolorum lectiones ſecundum ſenſum duntaxat a Spiritu S. prodiiſſe; & per conſequens, quoad eas variantes lectiones, quas primitiva Eccleſia traditione & Revelatione edocta adoptavit pro divinis, non currunt ea principia: *Nequeunt dari &c. Verum non eſſe quod variat.*

Secundo. Ex ſcopo ejuſdem Hieronymi, qui allegato principio uſus fuit ad confutandos ejus obtrectatores, contentos potius admittere variantes voces & lectiones a ſciolis introductas, quæque ad confundendas Scripturas veras cum adſcititiis feſtine tendebant; non autem vel pro minimo detrahere illis variantibus lectionibus, quas Eccleſia novit ab eodem Spiritu Sancto afflatas diverſis ſanctis hominibus. Quorſum Hieronymus, vel per ſomnium indicavit, alterum ex præfatis Apoſtolis erraſſe, aut eorundem deſcriptas variantes lectiones accepiſſe a Spiritu Sancto non ſecundum verba, ſed ſolummodo ſecundum ſubſtantiam, & ſenſum? Mihi forte obiicies Hieronymum ita ſcribentem: *Nec putemus in verbis Scripturarum eſſe Evangelium, ſed in ſenſu; non in ſuperficie, ſed in medulla; non in ſermonum foliis, ſed in radice rationis*, quid heinc? Si Recentiores ſpretis primorum Novatorum deliramentis ad ſcopum Hieronymi diligenter attendiſſent, intellexiſent haud dubie, Hieronymum eo loci non agere de integritate litteræ, ſed de ejus ritu & ſpirituali intelligentia, quum non ſint pro more Judæorum & Hæreticorum carnaliter expendendæ Scripturæ, ſed ſpiritaliter, ſive juxta ſenſum a Spiritu Sancto intentum: ex quo poſtea paſſim colligit, neminem ad eaſdem interpretandas idoneum ſine Spiritus Sancti præſidio. Varietas

ita-

Digitized by Google

itaque lectionum tunc ſolum infert vitioſitatem in altera variante, quum ortum ducit a petulantibus ingeniolis, quibus Eccleſia conſtanter reſiſtit ; non autem quum prodit ab eodem Spiritu Sancto, cui Eccleſia clauſis oculis humanæ rationis, & lumine fidei roborata religioſiſſime paret.

648. *Tertio*. Subiiciam reſponſionem D. Auguſtini, qui acute de re hujuſmodi edifferens, habet (*a*): *Si igitur, ut oportet, nihil aliud intueamur in Scripturis illis, niſi quid per homines dixerit Dei Spiritus ; quidquid eſt in Hebræis codicibus, & non eſt apud Interpretes ſeptuaginta noluit ea per iſtos, ſed per illos Prophetas Dei Spiritus dicere. Quidquid vero eſt apud Septuaginta, in Hebræis autem codicibus non eſt, per iſtos ea maluit, quam per illos idem Spiritus dicere . . . Iſto enim modo alia per Iſaiam, alia per Jeremiam, alia per alium, atque alium Prophetam, vel aliter eadem per hunc, ac per illum dixit ut voluit:* Vides ergo, quod Auguſtinus diſcrepantiam illam, quæ intercedit inter Hebræum & Septuaginta in ſtatu puritatis inſpecta, minime tribuit vitioſitati unius, vel alterius ; neque confugit ad famoſam illam ſtropham, quod præfati Textus in rebus tantum fidei & morum ſint authentici, & ſecundum ſenſum tantummodo a Spiritu Sancto profecti, ſed refert ad eundem Spiritum Sanctum, utpote cui placuit alia dicere per Scriptores canonicos, alia per Septuaginta, & rem eandem aliter per illos, aliter divina diſpenſatione (*b*) per iſtos. Liquatum itaque reſtat, perperam a Recentioribus inſimulari Hieronymianam iis in locis, in quibus diſcrepat a Septuaginta, & a Latina vetere : vel enim diſcrepat ab iſtis uti corruptis, & tunc vitioſitas in iſtas cadit ; aut diſcrepat ab eiſdem in ſtatu pu-

(a) *Lib.* XVIII. *de Civit. Dei Cap.* XLIII. *Tom.* VII. *col.* 526. *A.*

(b) Quamobrem etiam ſi aliquid aliter in divinis exemplaribus (*Hebræorum*) inveniatur, quam iſti (*Septuaginta*) poſuerint, credendum eſſe arbitror divinæ diſpenſationi, quæ per eos facta eſt. *Auguſtin. Lib.* II. *de Doctr. Chriſt. Cap.* XV. *Tom.* III. *col.* 28. *A.*

puritatis inſpectis, & tunc vitioſitas, quam Recentiores moroſe aucupantur, tota ſe tenet penes ſemetipſos, qui unice vel potiſſimum occupati inſpiciendis, & mutuo conferendis ſabellis tricisque verporum & Novatorum, minime obſervarunt, quod modo ſuffragantibus Auguſtino, Hieronymo, ipſiuſque Dei Eccleſiæ perpetuo conſenſu pro modulo expoſuimus. Ex quibus pariter colliges, quam irrationabiliter Riccardus aliique linguoſi Recentiores culpent Hieronymum potius Hebræo puro interdum inhærentem, quam immaculatæ Virali, non erubeſcentes id ei vertere vitio, in quo Eccleſia, quæ Spiritu Chriſti dirigitur, expanſis ulnis & conſtanti ſeculorum uſu factum Hieronymi recepit, ſuoque calculo comprobavit.

Quantum tandem ſpectat poſtremam partem argumenti, nimirum alias Tabulas, quæ ab Adverſariis ſuppeditari poſſent ex diſcrepantia Hieronymianæ verſionis ab aliis hodiernis Scripturarum Contextibus, Pentateucho Samaritano, Targumim, Verſione Syriaca, Hebraica, vetuſtiſſimis Manuſcriptis &c., pro moleſto habemus repetere, quod abunde expoſuimus Cap. IV. primæ Demonſtrationis cum ejus Appendice; quibus cuique bene intelligenti ſit perſpectum, prægrandem illam mendorum nubem, quæ inde colligeretur, ac tribueretur Hieronymianæ, unice niti puerilibus præſidiis, fallacibus conjecturis, falſiſſimiſque præconceptionibus. Ea propter quamvis ſpectatis Criticorum operibus ac Polyglottis, non infrequens inveniatur diſcrepantia inter Hieronymianam, & Contextus; ſtantibus autem momentis loc. cit. prolatis, conſtat bibliacos Contextus, neque pro tantillo coæquandos integritati, ac perpetuæ auctoritati Hieronymianæ verſionis; ſicque menda, quæ ex diſcrepantia colligentur, non in Hieronymianam, ſed in eoſdem Contextus recurrent, atque cadent.

§.V.

§. V.

Diluuntur alia Recentiorumm obiecta.

649. *Principio*. Pleraque apud Hieronymianam verſionem inveniuntur, quæ neque veritati cohærent, neque Spiritui Sancto, qui eſt veritatis Auctor: ſic e. g. Geneſ. I. v.7. legitur ſuper firmamentum eſſe aquas, quum revera firmamentum omnibus aquis ſit longe ſuperius. Eodem Cap. v. 16. habet. *Fecitque Deus duo luminaria magna*, puta Solem & Lunam, quum indubium ſit nonnullas ſtellas eſſe Luna majores. *Item* Joſue X. v. 13. *Stetit itaque Sol in medio Cæli*, quod minime veritati conſentit, quia ſi Cœlum, ut omnes norunt, eſt ſphæricum, medio profecto caret. *Item*, miſſis aliis Eccleſiaſtes I. v. 4. *Terra autem in æternum ſtat. Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum revertitur: ibique renaſcens, gyrat per meridiem*, & tamen adhuc ſub Judice eſt hujus rei ſcrutinium, num ſcilicet Sol, vel potius terra juxta Copernicanum ſyſtema verſus Solem ſtantem perpetuo gyret. *Præterea* permulta Hieronymiana complectitur, quæ apertiſſimam contradictionem involvunt. Gen. II. v. 2. *Requievit die ſeptimo* pugnat cum his verbis Joann. V. v. 17. *Uſque modo Pater meus operatur, & ego operor*. Ibidem v.18. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum* contradicit his I. Corinth. VII. v. 1. *Bonum eſt homini mulierem non tangere*, & his etiam v.26. *Bonum eſt homini ſic eſſe*, ideſt liberum a mulieris conſortio, & matrimonii vinculo. *Item*, Pſal. XXXIV. v. 21. *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, unum ex illis non conteretur*: at plurium juſtorum præſertim Martyrum oſſa conſtat eſſe contuſa, igne combuſta, ac in cineres, & favillas diſſipata. *Item*, Matth.VIII. v.5. *Acceſſit ad eum Centurio*; at Lucæ VII. v.3. *Miſit ad eum Seniores*, & v.6. *miſit amicos*. *Item*, Actor.XXI. v.39. Paulus fatur: *Ego homo ſum quidem Judæus a Tarſo Ciliciæ*; at Cap.XXII. v.28. interro-

rogatus a Tribuno, an Romanus eſſet, dixit, *etiam*, & Romanum ſe eſſe natum. Nemo itaque vir æquus & doctus iſta intelligens ſibi ſuadebit, Hieronymianam inviolabilis eſſe auctoritatis, & peculiari Spiritus Sancti flatu editam.

650. *Reſpondetur*. Ii Recentiores qui hac via contendunt infirmare inviolabilem auctoritatem Hieronymianæ verſionis, non levem produnt imperitiam; quoniam præſupponunt, præfatas apparentes antilogias a Hieronymo profectas fuiſſe, quum revera idem Spiritus S. inſpirarit Scriptoribus Canonicis, & ex iſtorum originariis Eccleſia acceperit. Quam quidem veritatem communis perpetuaque Patrum Græcorum & Latinorum traditio ponit in propatulum, quum ubique clamet, Spiritum S. pleraque in Scripturis dixiſſe figurate, ænigmatice, & in parabolis (*a*), ad hoc ut myſteria divina, quæ in Scripturis latitant, Auguſtino teſte (*b*), utilitate non vileſcant, exercitio inquirantur, & aperiantur ut paſcant: inepte igitur adverſarii inviolabilem integritatem Hieronymianæ impugnant præfatis & conſimilibus Scripturarum locis, quum proprie ad Hieronymum non pertineant. Hinc fit quod agant pariter cauſſam (licet nihil tale cogitent) antiquorum Anomæorum (*c*), Eraſmi Roterodami, Auctoris Commonitorii, cui titulus: *Sentimens di quelches Theologiens d' Hollande*, & impii Spinoſæ aſſerentium, Prophetas & Apoſtolos in multis ut homines fuiſſe locutos, memoria lapſos, ac humanis affectibus abreptos: immo patrocinantur Deiſtis, qui inter potiſſimas cauſſas, quibus explodunt divinas Scripturas una eſt, quia tenent, eas nonnullis erroribus, & contradictionibus.

(a) *Legeſis Fraſſen. Diſquiſit. Biblic. Lib.* III. *Cap.* IV. *n.* 20. *p.* 488., *&* *ſeqq.*, *qui multa PP. teſtimonia ad obſcuritatem Scripturarum pertinentia profert, ex quibus diligenter penſatis facile intelliges, ab eodem Spiritu Sancto allegatas locutiones prodiiſſe.*

(b) *In Pſal.* CIL., *& Lib.* II. *de Doctr. Chriſt. Cap.* IV.

(c) *Quorum recordatur Epiphanius Hareſi* LXXVI.

bus ſcatere: pudeat ergo virum Chriſtianum hiſce momentis inſectari Hieronymianam, quum non Hieronymum, ſed Scriptores Canonicos calumnietur, quum cogitet juxta phraſim Regii Vatis (*a*) nequitiam, iniquitatem in excelſo loquatur, & ponat in cœlo os ſuum, ea omnino damnans de falſitatibus & contradictionibus, quæ ab eodem Spiritu Sancto admirabili diſpoſitione ænigmatice dicta ſunt. *Addas*, veteres Eccleſiæ proceres ſi quid in Scripturis deprehendebant velut falſum, aut abſurdum, ſtatim ad aſſequendam veritatem animum intendebant, recordabantur præterita, conſiderabant præſentia, ſequentia ſedulo percontabantur (*b*), adcurate obſervabant a quibus, & quando ea dicebantur, ut invenirent cui apte tribuenda forent (*c*); conſulebant quoque anteriores Tractatores gradatim per eos, tamquam Angeli quos vidit Jacob, deſcendentes & aſcendentes adusque ſummitatem ſcalæ, nempe Chriſtum penſiculate diſquirentes, utrum ab eodem, vel ejus Apoſtolis, aut Apoſtolorum diſcipulis fuerit nux fracta, dulciſque nucleus porrectus (*d*): *item*, præfatum locum petebant apud plures codices, examinantes circumſtantias loci, temporis, & perſonarum, quæ illos deſcripſerunt, vel ad manus habuerunt (*e*), quibus diligenter adhibitis, ſi falſitas, vel contrarietas magis clarebat, tunc ſolummodo concludebant codices ſubiiſſe eo loci jacturam; ſecus, minime audebant vel pro tantillo detrahere Scriptoribus Ca-

(a) *Pſal.* LXXII. *v.* 8.

(b) Non ſolum ad auditum ſermonem, ſed ad rerum conſiderationem intendendus eſt animus. Recordare præterita, audi præſentia, quæ ſequuntur adverte; confer priora poſterioribus, & divinarum virtutum magnificentiam contemplare. *Origen. Homil.* XXV. *in Cap.* XXXI. *Numer. Tom.* I. *p.* 167. *E.*

(c) Qui accurate Scripturam legere voluerit, diligentiam his adhibeat oportet: obſervare neceſſarium quum ſit, quæ dicuntur, a quibus, & quando dicuntur; ut per totos ſanctos libros inveniamus perſonis apte tributum ſermonem. *Origen. in Evang. Joan.*

(d) *Id conſtat ex prolatis num.* 601.

(e) *Hoc in rerum themate præluxerunt Origenes, & Hieronymus.*

Canonicis, aut duabus verſionibus Græcæ & Latinæ, quas Eccleſia receperat; ſed propriam fatebantur imbecillitatem, monens propterea D. Auguſtinus (a): *Si quid velut abſurdum moverit, noli dicere: Auctor hujus libri non tenuit veritatem: ſed aut codex mendoſus eſt, aut Interpres* (quorum in ea ætate magnus numerus Latinorum excreverat) *erravit, aut tu non intelligis . . . alioquin nulla erit pagina, qua humanæ imperitiæ regatur infirmitas, ſi Librorum Canonicorum ſaluberrima auctoritas, aut contempta penitus aboletur, aut interminata confunditur*. Et iterum (b): *Illud ante omnia retinete, ut Scripturis Sanctis nondum intellectis non perturbemini; intelligentes autem non inflemini: ſed & quod non intelligitis, cum bonore differatis*. Cui jamdudum præiverunt Origenes, Baſilius, potiſſimumque Juſtinus Martyr, qui forte ab aliquo Apoſtolorum diſcipulo didicerat: *Nuſquam*, inquit (c), *audebo, vel hoc in animum inducere meum, vel eloqui, ut dicam adverſari ſibi invicem Scripturas: verum ſi quæ Scriptura ejuſmodi eſſe videatur, & obtentum quaſi adverſaria ſit alteri, babeat; omnibus modis perſuaſum babens nullam Scripturam ab alia diverſam eſſe; ipſe me potius, quæ dicta ſunt, non intelligere fatebor*. Quo præfato.

651. *Reſp*. Brevi oratione ad ſingula. *Ad primum*, nomine firmamenti eo loci non venit cœlum empyreum, vel aliud cœlum ab aeris regione diſtinctum, ſed ambitus ille aeris quem oculis attingimus, & in quo aves volitant; & non ſemel in ſcripturis cœlum appellatur, juxta illud pſalmorum VIII. v. 9. *volucres cœli*. Diviſit itaque Deus aquas quæ ſunt in aeris regione, ab iis quæ ſunt in mari, veniſque terræ: *Ad ſecundum*, quamvis permulta ſydera

 mole

(a) *Lib.* XI. *contra Fauſtum Cap.* V. *Tom.* VIII. *col.* 222. A.

(b) *Serm.* LI. *de concordia Matth.*, & *Lucæ Cap.* XXIV. *Tom.* V. *col.* 302. G.

(c) *In Dialog. cum Triphone cit. a Fraſſen. Diſquiſ. Bibl. Lib.*IV. *in proœmio p.* 760.

mole ſint luna grandiora; aſt ideo Moſes lunam vocat luminare magnum, quia obtutui noſtro grandiorem cunctis ſyderibus ſe ſe repræſentat, & inſuper magis nos illuminat, ejuſque influxibus fovet. *Ad tertium*, quemadmodum Geographi cuilibet inſigni Urbi proprium orizontem tribuunt, qui vulgo dicitur cœlum illius Urbis, ac in eodem definiunt locum orientis, occidentis, & meridiei; ita dicitur Solem ſtetiſſe in medio, in quantum ſtetit verſus meridiem orizontis Urbis Gabaon. *Ad quartum*, Sacræ Congregationis judicio, teſte Antonio Boucat, proſcriptum jam eſt Copernicanum ſyſtema, tamquam infirmum, falſum, ac ſacris litteris adverſum: neque ex eruditis Catholicis deſunt, qui hujuſmodi profanitatem invicte propulſent. Quod vero ſpectat expoſitas antilogias dicimus cum Cl. Fraſſeno nuper citato: *Primo*, *Deus quievit ab opere creationis, non ab opere conſervationis & gubernationis, qua rebus exiſtentibus providet. Secundo, requievit a novis ſpeciebus in rerum natura conſtituendis; non a novis individuis in locum deficientium ſufficiendis.* Ad illud, *non eſt bonum* &c., *priori loco loquitur Deus abſolute, & de communi bono ſpeciei humanæ per generationem propagandæ: in poſterioribus agit Apoſtolus de bono perſonali hominis particularis, & convenientiori viro Chriſtiano ad perfectam ſanctimoniam anhelanti: ſic enim liber ab uxoris & matrimonii vinculo tantum cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſanctus corpore & ſpiritu: aut quum hæc gratia non omnibus concedatur, aliquibus enim ait ibidem*, melius eſt nubere, quam uri, *ideo etiam de eis vere nunc dicitur:* non eſt bonum hominem eſſe ſolum. Ad illud, *Cuſtodit* &c. *Duplicem cogitari poſſe oſſium contritionem, unam in deſtructionem, aliam in reparationem: permittit idem Deus ad tempus oſſa juſtorum comminui; at in reſurrectione omnia inſtaurabit ad unum, nec ſinet aliquid ex eis perire.* Ad illud, *Acceſſit Centurio* &c. *Reſpondent communiter Interpretes, Centurionem ad Chriſtum acceſſiſſe, quum ad eum amicos & ſeniores delegavit: quæ enim quis per legatos*

ſuos

Digitized by Google

ſuos dici vel geri curat, ea ipſemet dicere aut gerere perhibetur, haud aliter ac ſi ipſe præſto eſſet. Verum probatur magis S. Chryſoſtomi & Theophilacti reſponſio, Centurionem primo delegaſſe ſeniores ad Chriſtum, deinde amicos ſuos, tandem quum Chriſtus Dominus non longe abeſſet a domo, ipſemet ei proceſſit obviam. Ad illud, *Ego homo* &c. *Reſp. revera Paulum fuiſſe patria Tarſenſem; nihilominus civium Romanorum privilegiis & juribus donatum; Tarſus enim, ubi natus erat, juribus & privilegiis civitatis Romæ gaudebat, teſtibus Plinio, Dione, & Caſſio. Hæc ergo minime pugnant; nempe origine & profeſſione eſſe Judæum, patria Tarſenſem, privilegiis, & juribus civem Romanum.* Hucuſque Fraſſenus. Ejuſdem profecto generis ſunt alii ſpecie tenus errores ac antilogiæ, quæ ex incuria, aut inſcitia, aut malitia apud imperitos a noſtris Criticis jactitantur, perinde quaſi non a Spiritu Sancto, non a Scriptoribus canonicis, ſed a Hieronymo prætervidente profecta fuerint, quæque ex inſtituto expenduntur a doctiſſimo Fraſſeno, aliiſque zelotis de Romana Eccleſia benemeritis.

652. *Objicies II.* cum Eraſmo (*a*): *Si hæc interpretatio eſt Hieronymi & auctorem habet Spiritum Sanctum, erit eadem auctoritas Interpretis quæ fuit Evangeliſtæ ſcribentis .... & tamen ſi ita res haberet omnia convicia, blaſphemiæ, hæreſeos, inſaniæ, pravitates, quæ Sutor torquet in me, eadem jacienda erunt in Bedam, in Rabanum, in Gloſſam ordinariam, in Thomam, in Lyranum, qui ſæpe numero duplicem afferunt lectionem, & aliquoties neutram rejiciunt, quum alteram appellare debuerant perverſam, hæreticam, & blaſphemam .... Nam aſſumit Sutor, hæreſim ac blaſphemiam ſapere ſi quis incolumi ſententia mutet verba, ſi quis tollat ſolœciſmos etiam manifeſtos, ſi quis adimat ambiguitates, hyperbata, reliquaque ſermonis incommoda .... At qui hæc* omnia

(a) *In Apologia adverſus Sutorem Tom.* IX. *p.* 601. *edit. Baſileæ an.* 1540.

Digitized by Google

omnia fecit Beda, Rabanus, Gloſſa ordinaria, Laurentius, Lyranus, Hugo Cardinalis, aliique permulti, quum jam ſufficienter, ut opinor, recepta eſſet uſu Hieronymiana translatio. Neque levius peccaverunt, quam ſi Matthæus ſcripſiſſet latine, & eam Scripturam aliquis mutare conaretur, aut certe in dubium vocare, quam Eccleſia recepiſſet.

Reſpond. Ex quo Hieronymiana Auctorem habet Spiritum Sanctum bene infertur, ejuſdem eſſe auctoritatis apud Latinam Eccleſiam, ac Textum Græcum Evangeliſtæ apud Eccleſiam Græcam; perperam autem colligitur, eandem eſſe auctoritatem Hieronymi ac Evangeliſtæ ſcribentis. Veritas primi conſtat ex perpetuo uſu Eccleſiæ Chriſti, quæ in rebus fidei & morum tanti fecit apud Latinos Hieronymianam, quanti apud Græcos æſtimavit Textum Græcum Evangeliſtæ: falſitas ſecundi patet ex dictis num. 584. Hinc jure meritoque Petrus Sutor graviter reprehendit Eraſmum, utpote qui emendicato prætextu præferendi Evangeliſtam Hieronymo, in utrumque graviter injurius fuit & contumelioſus: in Evangeliſtam, præfigens interdum huic quaſdam lectiones Græcas vel Latinas, quas prioribus ſeculis nuſpiam Eccleſia vel fando auſcultarat; in Hieronymum, paſſim carpendo imperitiæ, hallucinationis, & contemptus in Septuaginta: a qua quidem iniqua ſcribendi ratione quam longiſſime abſuerunt Beda, Rabanus, Gloſſa ordinaria, D. Thomas, Hugo, & Lyranus, qui eas variantes lectiones quandoque afferunt, quæ a ſuperioribus doctrina & ſanctitate viris illuſtribus pariter laudantur, & inſuper eo fine, ut Hieronymianus Textus clarius eluceſcat; nulla itaque ſuppetit par ratio, qua in illos recurrenda ſint convicia, quæ rite ſibi Eraſmus promeruit. Laudandus certe Sutor quum animadvertit, Hæreſin & blaſphemiam ſapere ſi quis mutet verba Vulgatæ veteris, tametſi incolumem ſervet rei ſententiam; quoniam Hæretici hominis eſt, ac blaſphemi ſibi arrogare auctoritatem dijudicandi & corrigendi verba cœleſtis oraculi, ſive quæ primus Latinus inter-

terpres & Hieronymus peculiari Spiritus Sancti flatu conſignarunt, & tanquam verba ab eodem Spiritu Sancto profecta Eccleſia conſecrat. Non eſt ſacer codex tractandus ac codices Virgilii, Horatii, Terentii, vel Ciceronis, qui ſicut humano ſpiritu conſcripti ſunt, ita eodem ſpiritu rite examinantur, & corriguntur. Agimus de cœleſti Dei epiſtola ad Eccleſiam Latinam miſſa primitus per Prophetas & Apoſtolos, ſecundo gradu per aliquem Apoſtolum, aut Apoſtolorum diſcipulum, vel diſcipulos, demum per doctiſſimum & ſanctiſſimum virum Hieronymum, quibus acceſſit auctoritas Eccleſiæ Latinæ, quæ ſicut Dei ſpiritu dirigitur & gubernatur, ita plenam auctoritatem habet judicandi & definiendi, utrum in eandem Dei epiſtolam irrepſerint, vel ſint ſolœciſmi, ambiguitates, hyperbata, aliaque ſermonis incommoda. Addit aquilonaris impoſtor, *Atqui hæc omnia fecit Beda*, *Rabanus*, *Gloſſa ordinaria*, *Laurentius*, *Lyranus*, *Hugo Cardinalis*, *aliique permulti*; verum nullum penitus profert nobis ipſorum ſpecimen, nullumque citat locum quo nos convincat. *Item*, ſi iſti eadem fecerunt, eccur Petrus Sutor, Jacobus Stunica, Sanctius Caranza, Eduardus Leus, Titelmannus, Cornelius Muſſus, Albertus Picus, Thomas Morus, cæterique viri doctrina, auctoritate, & pietate clariſſimi in ipſum, & non in iſtos illa damnarunt? eccur Eccleſia ſcripta ipſius, & non iſtorum interdixit? ubinam Beda, Rabanus, Gloſſa ordinaria (*a*), Lyranus, & Hugo vel ſomniarunt docere, vel ad praxim deducere ea fucata dicteria, quibus Eraſmiana ſcripta ubique olent, quorumque nonnulla deſcripſi-

(a) *Flocci facimus auctoritatem Rhetoris Laurentii Vallæ Placentini, qui quum in hac Neapolitana Urbe (ab eodem Principe Apoſtolorum Chriſtianiſmi face illuſtrata, & uſque hodie Romanorum Dogmatum intemerata tutrice) quaſdam hæreticas Propoſitiones aſſeruiſſet, ſpectantes ad myſterium Trinitatis, ad liberum arbitrium, & virginitatem Sanctimonialium, in carcerem truſus, virgiſque cæſus fuit in Clauſtro PP. Prædicatorum hujus regalis Conventus S. Dominici Majoris.*

Digitized by Google

pſimus num. 429. ? Hiſce itaque probatis viris perperam Eraſmus ejus larvas tribuit; & conſequenter non ſine temeritate denegavit Hieronymo peculiare Spiritus S. flatum. Circa illud tandem, *neque levius &c.*, haud immoremur oportet, quandoquidem ſi ſtudio Eccleſiaſticæ traditionis penſiculate noſter pædagogus incubuiſſet, intellexiſſet utique, non tantum Hebræis quoad vetus Teſtamentum, & Græcis quoad Novum datas fuiſſe Scripturas divinas canonicaſque, ſed Chriſtianis quoque Latinis, & quidem perfectiori modo; quum neque Hebræi, neque Græci hodie fruantur Scripturis adeo probatis & caſtigatis, uti ſunt noſtra Biblia Sixtina, ſive Clementina: ex quo profecto oritur, quod hodie gravius peccet, qui vel pro tantillo hujuſmodi Textum turbat, ac qui Textum Maſorethicum, vel Græcum hodiernum maxima ex parte perverteret.

653. *Obiic. III.* cum eodem Eraſmo (*a*): *Damaſus quum mandaret Hieronymo Novum Teſtam. emendandum, utrum ſciebat illum afflatum iri, an neſciebat? ſi ſciebat, unde id habeat certum, quum in cæteris Hieronymus ſe ſe declaraſſet hominem in quibuſdam hæſitans, quædam perperam exponens? Ex revelatione? ubi revelationis hujus mentio? ſi ignorabat? quis igitur Deus revelavit Sutori, quod ignoravit Damaſus. Denique ſi totum opus erat afflatus divini, quorſum opus erat linguarum peritia? quid opus collatione codicum? certior fuiſſet auctoritas ſi abſque præſidiis humanis fuiſſet peractum hoc opus.*

Reſpond. Licet neque Veteribus, neque nobis aliquo certo teſtimonio conſtet, Eleazarum Pontificem ideo demandaſſe ſeptuaginta Senioribus Græcam interpretationem Hebræi Textus, in quantum ſciebat iſtos afflatos iri; nemo tamen Veterum hujuſmodi momentum negativum tanti fecit, ut a Senioribus removerit peculiarem Spiritus Sancti aſſiſtentiam: fallitur ergo Eraſmus, quum præfato nega-

(a) *Loc. cit. p. 603.*

gativo momento fretus, ſpernit Sutorem aſſerentem Spiritus S. flatum in Hieronymo concinnante ejus Verſionem. *Præterea*, probabilius dicendum, quod Damaſus ſciebat, vel ſaltem graviſſime conjiciebat, Hieronymum in adornanda verſione afflatum iri, tum quia de ipſius admirabili doctrina & ſanctitate cumulate perſuaſus erat; tum *ſecundo*, ſciebat eundem nuſpiam elucidandis Scripturis ſe dediſſe, niſi poſt vehementes orationes, quibus implorabat Spiritus S. aſſiſtentiam; tum *tertio*, animadvertit pleraque Scripturarum loca ab eodem elucidata fuiſſe, quæ ſolo humano ſtudio nullimode inveſtigari poterant; tum *quarto*, ab eodem Hieronymo intellexit ſolutionem illius quæſtionis (*Cur Deus loquitur ad Abraham, quod quarta progenie filii Iſrael eſſent de Ægypto reverſuri, & poſtea Moyſes ſcribit: quinta autem progenie aſcenderunt filii Iſrael de Terra Ægypti* (a), quam idem Damaſus Hieronymo diſſolvendam propoſuerat) non humana induſtria, quam antea adcurate adhibuerat, ſed ab habente clavem David fuiſſe ſibi revelatam (*b*): quæ profecto Eraſmus quum nullimode animadvertiſſet, idcirco ineptiebat dicens, *ſi ſciebat, unde id habeat certum?* & iterum, *quis igitur Deus revelavit Sutori, quod ignoravit Damaſus?* Opponit, quod Hieronymus non ſemel ſe ſe declaravit hominem, *in quibuſdam hæſitans*; ſed quoad hanc partem memoriæ commendamus dicta num. 643., in quantum ſcilicet circa ea, quæ Hieronymianam in conſummatione editam concernunt, hæſitationes & perplexitates a Hieronymo deſcriptæ, haud accipiendæ ſunt proprie & litteraliter, ſed tropologice & per ſimilitudinem; quoniam

(a) *Hieron. Epiſt. CXXV. Tom. II. p. 702. B.*

(b) Dum hæc, & multa iſtiuſmodi mecum ſolicitus volverem, aperuit mihi oſtium qui habet clavem David, & introduxit me in cubiculum ſuum, poſuitque me in foramine petræ, ut poſt ſpiritum ſævientem, poſt terræmotum, poſt incendium ignorantiæ quo urebar, vox ad me auræ lenioris accederet, diceremque: inveni quem quæſivit anima mea: tenebo eum, & non dimittam. *Hier. Epiſt. cit. ad Damaſum. D.*

in confeſſo eſt, pleraque a ſervis Jeſu Chriſti ſolo divino adſpirante Numine proferri, vel ſcribi ſolere, tametſi iidem radium divinæ lucis nullimode humano ſenſu percipiant. Qua quippe lege ipſimet Scriptores canonici nonnulla dubitanter protulerunt, & Apoſtolus Paulus interdum ſcripſit: *PUTO autem, quod & ego Spiritum Dei habeam.* Immo apud homines quoque improbos idipſum non ſemel geſtum eſt, Evangeliſta teſtante de Caipha, qui in pleno ſeniorum Concilio non a ſemetipſo, ſed Spiritus S. flamine, haud ab eodem Caipha percepto, protulit: *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat* (a): itaque ex dubietatibus ac hæſitationibus Hieronymi reſpectu ejus Verſionis conſummative minime rite infertur, eundem fuiſſe peculiari cœleſti lumine deſtitutum. *Quædam*, ſcribit Eraſmus, *perperam exponens*; aſt queis oculis id intueri valuit, quum hujus rei ſcrutinium abſolute excedat humanam imbecillitatem? quum ad ſolum Œcumenicum Concilium, aut ad Apoſtolicam S. Sedem extra Concilium id auctoritative dignóſcere, ac dirimere pertineat? quum Eraſmus illis ſolummodo uſus fuerit adjumentis, quæ nec rei corticem ſatis attingant? Ad illud tandem ejuſdem profani hominis ſcrupulum: *ſi totum opus erat afflatus divini, quorſum &c.* reponimus, quod Hieronymus opus habuit peritia linguarum & collatione codicum, quia nec fuit Propheta, neque Scriptor canonicus, ſive calamus Spiritus Sancti velociter ſcribentis, quibus profecto Spiritus Sanctus validioribus præſidiis adſtitit, ſicut & primariis Interpretibus venerabilium verſionum Græcæ & Latinæ, quam Hieronymo, qui unice in emendationem Latini Textus ſtuduit (b). Non enim uno modo Spiritus Sanctus in ſervis ſuis operatur, ſed ubi vult, & quomodo vult: *item*, in rebus maxime divinis humana induſtria, qua affertur remedium defe-

(a) *Joan. Cap. XI. v. 51.*
(b) *Hoc referatum jam fuit n.* 584.

fectibus humanitatis ſauciatæ, non modo non opponitur gratiis Spiritus Sancti, ſed inſuper diſponit ſubjectum, ut eo facilius feliciusque divinum Numen obtineat; conſequenter linguarum peritia, ditiſſima codicum bibliotheca, mutua eorundem codicum collatio, ſuſcepta peregrinatio locorum, & conſimilia a Hieronymo diligenter adhibita, apprime eundem pararunt ad facilius recipiendum cœleſte præſidium: quemadmodum reipſa anxitudines, ſolicitudines, ſtudia, collationes, quæ idem ſoluturus modo citatam quæſtionem ſuſtinuerat, eundem effecerunt divina revelatione dignum (a). Satius certe ſi ab hiſce orthodoxis doctrinis, quæ haud Theologos latent, noſter rhetoricus Eraſmus diſſerere abſtinuiſſet.

654. *Objicies IV.* cum Waltono Prolegom. X. *Primo*, Hieronymus ſæpe faſſus eſt ſe erraſſe ut hominem. *Secundo*, quædam accepit ex interpretatione Theodotionis; porro ſtultum videtur dicere, Theodotionem Hæreticum errare non potuiſſe. *Tertio*, nuſpiam ſane ita libere Hieronymi inceptum in vertendo improbaſſent Auguſtinus, Ruffinus, aliique celebres Eccleſiæ Doctores ac Epiſcopi, ſi ipſum a Spiritu Sancto peculiari modo in illa Verſione adjutum fuiſſe exiſtimaſſent. *Quarto*, licet Hieronymus novum Teſtamentum juſſu Damaſi Papæ emendarit, minime tamen Teſtamentum vetus: tunc equidem ſe accinxit ad editionem veteris Teſtamenti, quum ſatis Hebraicæ inſtructus erat; at poſt mortem Damaſi fecit progreſſus in Hebraicis ſub Barrabano Judæo, ſub Præceptore de Tiberiade, & ſub alio Lyddeo Magiſtro; haud itaque Hieronymiana verſio inviolabilis erit auctoritatis, ac opus afflatus divini.

Reſpond. ad primum. Hieronymus ſæpe faſſus eſt, per ſimilitudinem ad alios tractatores ſe erraſſe ut hominem, *eſto*; per proprietatem, *denegatur*. De hujuſmodi momento ſatis actum eſt num. 642. & 643. *Ad ſecundum*, uti-

Bb 2 que

(a) *Huc faciunt, quæ obſervavimus num.* 618.

Digitized by Google

que Hieronymus multa in ejus Verſione ſupplevit ex interpretationibus Aquilæ & Theodotionis, ſicut ſtultum eſt dicere, hoſce Hæreticos errare non potuiſſe; ſed Waltoni aliorumque adverſariorum potiſſimum probare intererat, Hieronymum aliquam ſaltem lectionem iſtorum adprobaſſe, quæ ſaperet errorem, quod quidem nuſpiam factum eſt, neque fiet; quinimmo non minus ſtultum ſit id ſuſpicari, tum propter divinum lumen, quod Hieronymo adſtitit, tum propter infallibilem auctoritatem Eccleſiæ, quæ Hieronymianam in omnibus & quoad omnia approbavit. Si vero objectaveris, quoad ea ſaltem loca ab Aquila & Theodotione accepta, Hieronymiana non erit divina; id unum, miſſis aliis, velim animadvertas, quod Hieronymus ea ſolummodo accepit a præfatis Hæreticis, quæ noverat fideliter reſpondere Textui Hebræo in ejus puritate inſpecto; iſta itaque ſaltem originative divina erant, & canonica: accedente poſtea, quod Hieronymus cœleſti luce fultus ea reliquit in ejus Verſione conſummative, quam Eccleſia calculo ſuo probavit, conſequens eſt, ea quoque loca induiſſe conditionem Scripturæ divinæ, & canonicæ: eo ferme pacto, quo licet verba iſta, *corrumpunt bonos mores colloquia mala* (*a*), hæc alia, *Cretenſes ſemper mendaces, ventres pigri* (*b*), hæc alia, *ipſius enim, & genus ſumus* (*c*), ex Auctoribus Gentilibus deſcripta fuerint in novo Teſtam.; quum vero Scriptores canonici divino protegente Numine uſurparunt, non minus ac alia ſunt divina, & authentica.

655. ***Ad tertium***, licet Chriſtus & Chriſtiana Religio ſub initium habuerint adverſarios & contradictores, itaut nec Caiphas, qui erat tunc pontifex, & prophetavit (*d*), no-

(a) *I. Corinth. XV. v. 35. ex Menandro poeta Græco.*

(b) *Ad Titum. I. 13. primitus prolata ab Epimenide celebri philoſopho Cretenſi.*

(c) *Act. XVII. v. 28., quæ olim protulerat Arato aſtronomicus, & poeta Ciliciæ.*

(d) *Joan. XI. v. 49.*

Digitized by Google

noverit Jeſum eſſe unigenitum Dei Patris filium, verum Deum & hominem; nemo tamen audebit ob id injicere ſcrupulos adverſus Chriſti divinitatem, aut ejus revelatam Religionem, quoniam tritum eſt adagium illud, *exitus acta probat*: quum igitur Hieronymiana verſio non minus apud Eccleſiam Latinam reipſa primas obtinuerit; ac Chriſtianiſmus per univerſum mundum, nauci faciendum, quod Hieronymus & Hieronymiana adverſarios ſub initium habuerint. Quod tamen maxime obſervandum, illud profecto eſt, quod iidem præcipui obtrectatores doctrina & auctoritate præſtantes, fuerunt poſtea celebriores laudatores Hieronymi, ac propalatores Hieronymianæ. Tales profecto Joannes Hieroſolymitanus Epiſcopus, & Ruffinus Aquilejenſis, qui præjudiciis Origeniſtarum abrepti, nec contendere valentes cum acri ingenio Hieronymi pro veritate & puritate fidei propugnantis, pleriſque minus cautis per calumniam ſuaſerunt, eſſe hominem faſtu plenum, tumidum, arrogantem, omnibus injurioſum, nemini parcentem, ſe ſe tanquam præſidem totius univerſi extollentem; atque ita Deo, ipſiuſque ſacroſanctæ Eccleſiæ fore gratum, ſi tam nimius Hieronymi ardor, & petulantia, publicis ſcriptis coerceretur. Quibus ab Alipio Tagaſtenſi, qui ex Hieroſolymis in Africam redierat cum Epiſcopatus honore, bona fide narratis, atque expoſitis Auguſtino, contigit, ut Auguſtinus etiam circa an. 397. minus digne de Hieronymo & Hieronymiana ſentiret, acreſque litteras ad eundem daret. Deus autem, cui cordi eſt patrocinium veritatis & innocentiæ, tam bene res diſpoſuit, ut poſt aliquot annos eo magis Hieronymus, & Hieronymiana per univerſam Eccleſiam irradiarent, quo ab iiſdem nimirum Joanne, Ruffino, & Auguſtino, ore, calamo, & factis commendabantur (*a*); & per conſequens Recentiores, qui hoc in negotio Waltono aliiſque Novatoribus adblandiuntur,

(a) *De quorum teſtimoniis egimus n.* 587. 588., *&* 594.

Digitized by Google

tur, mihi videntur vere pſitticos agere.

656. *Ad quartum*. Bene intelligimus, mandatum Damaſi non tam clare conſtare nobis quoad recentionem Teſtamenti veteris, ac Novi, cujus Hieronymus Præfatione ad quatuor Evangelia expreſſe meminit; at aliud eſt, quod non clare conſtet, aliud quod abſolute non extiterit. Verum enim vero Damaſus longe antea præcepit Hieronymo recentionem Teſtamenti novi, ac veteris: prius mandatum per epiſtolam communicavit Hieronymo degenti in Oriente, a quo poſtea una ſimul cum exemplari correcto accepit reſponſum illud, quod eſt Præfatio ad quatuor Evangelia; poſterius dedit Hieronymo vivæ vocis oraculo. Elapſis enim aliquot menſibus a peracta correctione novi Teſtam., Hieronymus perrexit Romam cum duobus Græcis Epiſcopis Paulino & Epiphanio, ac ob ſingularem gratiam, quam in oculis Damaſi invenit a ſecretis eidem fuit, diligenter inſerviens in omnibus Eccleſiaſticis negotiis: quod autem tempore iſto acceperit ex ore Damaſi præceptnm perpoliendi vetus Teſtamentum, unicuique datum eſt ex his ſatis intelligere. Nulla ſiquidem videtur rationabilis cauſſa, cur Damaſus cogitarit, & voluerit impertiri Eccleſiæ ſolummodo Teſtamentum novum emendatum, & non etiam Teſtamentum vetus: bene novit doctiſſimus, ac vigilantiſſimus Pontifex, quod ex æquo utrumque Bibliorum Teſtamentum corruptelis ſcatebat, quod ex æquo Eccleſia utroque a mendis abſterſo indigebat, quod Hieronymus non tantum Græcæ, ſed etiam linguæ Hebraicæ peritus erat (*a*): *item*, ejuſdem Damaſi juſſu univerſa Latini-

tas

(a) *Legeſis Epiſtolas Damaſi ad Hieronymum, inter Hieronymianas CXXIV. CXLIV., & Epiſt. CXLII. Hieronymi ad Damaſ., in quibus fit ſermo de difficillimis quæſtionibus ad vetus Teſtamentum, & ad Hebraicam attinentibus, quas Damaſus Hieronymo diſſolvendas propoſuit*. Item, *Hieronymus tempore Damaſi expoſuit Marcellæ decem apud Hebræos nomina, quid ſignificent hujuſmodi voces hebraicæ* Alleluja, Amen, Maranatha, & Diapſalma, *ſicut & Paulæ explanavit Alphabetum hebraicum*.

Digitized by Google

tas ad uſum detulerat Hieronymianam novi Teſtamenti, Roma cœperat recitare Pſalterium veteris Italæ ab eodem Hieronymo emendatum, addito, conſilio ejuſdem Hieronymi in fine cujuslibet pſalmi, *Gloria Patri, & Filio &c.*, & reipſa Hieronymus mortuo Damaſo ſtatim media cogitavit, quibus facilius, expeditius, exactiusque ſuſceptum mandatum impleret. Huc ſane collimant, quod ex Pontificis morte occaſionem accepit relinquendi Romam, lætus revertens Bethlehem, tanquam locum divinis Scripturis interpretandis ſibi aptiorem, quod ex Hieroſolymis perrexerit Alexandriam viſurus doctiſſimum Dydimum, & dubiorum quæ in Scripturis habebat ab eodem ſolutiones audiret, quod rurſum Bethlehem ſuam repetens conduxerit Barrabanum Hebræorum magiſtrum, quod omnem Palæſtinæ terram, cunctaque illius loca, ſitus, ac regiones, de quibus Scriptura meminit, cum doctiſſimis Hebræorum colluſtrans oculis, conferenſque præſens omnia videret, ac ab ovo intelligeret, quod tandem emendaturus Librum Paralipomenon conduxerit alium Hebræum ex Tyberiade admirabilem legis doctorem: quomodo enim hæc omnia apud eccleſiaſticam Hiſtoriam certa, rata, & indubia nobis argumento non erunt, ut prudenter intelligamus, Hieronymum Damaſi juſſu, & nomine totius Eccleſiæ integram ejus Verſionem fuiſſe aggreſſum? Utique triennio, vel ad ſummum quatriennio poſt mortem Damaſi cœpit cudere novam Verſionem veteris Teſtamenti; at ideo hucuſque diſtulit mandatum exequi, quia vivente Damaſo aliis graviſſimis curis diſtinebatur, & Damaſo mortuo indiguit in primis ſe præmunire aliis luminibus, quæ operi rite ſuſcipiendo deſiderabantur. Unicuique igitur iſthæc adcurate libranti reor perſpectum fieri, quod licet Hieronymus poſt mortem Damaſi pervenerit ad faſtigium linguæ Hebraicæ, ac adornarit vetus Teſtamentum, perperam tamen & diſtorte Waltonus ſubjunxit, quod nec juſſu Damaſi, nec nomine Eccleſiæ, nec ope divini Numinis vetus Teſtamentum Hieronymus edidit. 657.

Digitized by Google

657. *Objicies ultimo.* Hieronymus nonnulla immutata reliquit, quæ mutanda videbantur; ergo reipſa in ejus Verſione reliquit menda, quæ correctione indigebant, perperam itaque aſſeritur, Hieronymianam eſſe inviolabilis integritatis, ac opus ſub Spiritu Sancto editum. Antecedens probatur ex confeſſione ejuſdem Hieronymi ita ſcribentis. *Ubicunque (a) ſenſus idem eſt, veterum Interpretum conſuetudinem mutare noluimus; ne nimis novitate lectoris ſtudium terreremus.* Et infra, *noluimus igitur immutare, quod ab antiquis legebatur, quia idem ſenſus erat.* Item (*b*), *Codicum Græcorum emendata collatione, ſed veterum, quæ ne multum a lectionis Latinæ conſuetudine diſcreparent, ita calamo temperavimus, ut his tantum, quæ ſenſum videbantur mutare correctis, reliqua manere pateremur, ut fuerant.*

Reſpond. I. Uſquedum Hieronymus tantum indicaſſet ſe in ejus Verſione nonnulla immutata reliquiſſe, quæ mutanda videbantur, minus certe imperita, arbitraria, & violenta foret hæc adverſariorum illatio, ergo Hieronymus reapſe in ejus Verſione reliquit menda &c.: aſt Hieronymus rationem ſimul reddit, cur noluerit nonnulla mutare, ſubdens, *ne nimis novitate lectoris ſtudium terreremus;* item, quia ſic *ab antiquis legebatur;* item, quia *idem ſenſus erat*, ex quibus naturali conſecutione, ut ipſe vides, iſtud recte proficiſcitur, ergo exemplo Hieronymi haud mutanda verba & ſententiæ antiquarum Scripturarum, ſicut revera illum imitatus fuit Sixtus V. in correctione Bibliorum Latinorum (*c*), & ob hanc ſane rationem vehementer increpandus acriterque damnandus abuſus Criticorum, profanas voces & lectiones obtrudentium; non autem, ergo Hieronymus reiipſa

(a) *Epiſt. CXXXV. ad Suniam, & Fretelam Tom. III. p. 747. H.*
(b) *Præfat. ad quatuor Evang.*
(c) Nos autem ut hæc vetus editio, quæ nunc prodit noſtro excuſa prælo ejus Synodi (*Tridentinæ*) præſcripto modis omnibus reſponderet.. veteres, & ab Eccleſia receptos, loquendi modos conſervavimus. *Sixtus V. in Diplomate Æternus.*

pſa in ejus Verſione reliquit menda, quæ correctione indigebant: vel ut alias impudentius argumentantur, ergo Eccleſia Latina ab ortu ſuo aduſque hodie nuſpiam ſinceras Scripturas habuit, ergo Hieronymus nonnulla prætermiſit corrigere, ut emolliret detractorum invidiam. Poterunt ſane Adverſarii haſce præſtigias, & Satanæ larvas ſuadere gregalibus reformatæ Religionis, qui cum ſuis anteſignanis Luthero & Calvino tenent: Scripturæ divinæ in omnibus ſuis locis clariſſimum manifeſtumque ſenſum præſeferunt, adeout ad perſpicuam & facilem ejus intelligentiam ſola earundem lectione ſit opus, nec multum laborandum, ut germanus ſenſus deprehendatur: & inſuper venditant pro barbariſmis, ſolœciſmis, aliiſque defectibus vitioſæ orationis eas Scripturarum voces ſententiaſque, quæ non apprime reſpondent regulis Donati, recentiorumque Rhetorum. Quum vero S.Dei Eccleſia traditione Veterum nixa fateatur, pleraque in Scripturis reperiri, quæ nequeunt naturæ viribus intelligi, atque ita indiſpenſabiliter indigent legitimo Interprete; & alia quæ minime repetenda ſunt ad normam Donati noſtrorumque Rhetorum, jam vel cæcutienti claret, Hieronymum in argumento citatum de hiſce unice locis tenere ſermonem, in quantum nimirum, licet mutanda videbantur propter inſitam obſcuritatem, aut ſimplicitatem eloquii, noluit tamen immutare, quia edita a primariis Interpretibus, & lecta ab Antiquis: perinde ac ſi dixiſſet, noluiſſe ea immutare, quia licet obſcura ſint, & ſimplicis eloquii, complectuntur tamen Sacramentorum theſauros, ſicque non minus, ac alia divina ſunt, & authentica.

658. *Reſpond. II. diſtinguo antecedens*, immutata reliquit, quæ relative mutanda videbantur, *eſto*; abſolute mutanda videbantur, *denegatur*. In Itala verſione alia erant abſolute mutanda, & reipſa Hieronymus corrigendo immutavit; alia vix relative mutanda videbantur, & reipſa Hieronymus uti erant, reliquit. Priora erant abſolute mu-

Digitized by Google

tanda, quia neque ab Antiquis interpretibus edita, neque antiquitus lecta, & interdum etiam obſcuritatem, & vitioſitatem Latini ſermonis præſeferebant, ſive noviter irrepſerant Hæreticorum malitia, aut ſciolorum temeritate, aut Scribarum incuria. Videbantur poſteriora relative mutanda, habito nimirum reſpectu ad naturalem intellectum hominis, qui ſolis naturæ viribus minime valet ea intelligere, vel ad modum loquendi, & ſcribendi politiori Latiniſmo: cæterum quia ab eodem Spiritu Sancto profecta erant, ab Antiquis interpretibus fideliter expreſſa, & a primis Chriſtianis Latinis aduſque Hieronymum lecta, & conſecrata, idcirco jure meritoque, uti erant, fuerunt a Hieronymo in ejus Verſione conſignata. Sic ſane ſe habent tot idiotiſmi hebraici, græcanici, ambiguitates, hyperbata, incommoda politioris ſermonis, parabolæ, adagia, tropi, adparentes antilogiæ, nomina exſoleta Urbium, regionum; arbores, fructus, herbæ, aromata, gemmæ, lapides, animalia, quarum ſpecies vix occurrunt (a), quæque ad ſummum improprie, & abuſive menda eſſe videntur; re tamen vera eo aptius ac religioſius veneranda, & conſe-cran-

(a) Quis enim, *opportune doctiſſimus Fraſſenus Diſquiſit. Bibl. Lib. III. Cap. IV. in Append. p.* 491. abſque ingenti ſtudio jam explicet, quid fuerint Trajelaphus, Pygargus, Orix, Camelopardalus, Gryps, Alieætus, Ixion, Larus, Porphyrion, Onocrotalus, Chariadrius, quæ memorantur Deuteronomii Cap. XIV. *Quis*, inquit, *Tirinus ex ſimplici Scripturæ lectione intelligat ex Pſalmis, quid ſit ille* Drago, quem formavit *Deus* ad illudendum ei? *cujus* caput contribulavit, & confregit in aquis, deditque eum eſcam populis Æthyopum? *Quid ſibi velit* Rex virtutum dilecti dilecti, & ſpeciei domus dividere ſpolia? ſi dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi ejus in pallore auri: dum diſcernit cœleſtis reges ſuper eam. *Ex Jeremia, quæ iſta* tam *terribilis* columba, a *cujus* facie gladii *fugiendum ſit*? *Quid* cornufilius olei, *ex Iſaia*, in quo vinea fuit *ſponſi*? *Quæ* cornua, *qui* fabri, *quis* murus igneus? *Quis* lapis ſtanneus *Zachariæ*? *&* duo filii olei? duæ ſpicæ olivarum juxta duo roſtra aurea, in quibus ſuffuſoria ex auro? *Quis Jobi* Leviathan? *Quis* Behemoth? *Et poſſunt alia ejuſmodi proferri millena ex Canticis, aliiſque divinis libris.*

eranda, quo humanis oculis, humaniſque diſciplinis longius remotiora adparent (*a*).

Trium tandem, antequam huic argumento imponamus faſtigium, omnes monitos eſſe velim. *Primo*, innumerabilia menda, quæ Recentiores Hieronymianæ tribuunt, vix imperitis, qui nihil medullitus ſciunt contenti ſolas rerum adparentias deguſtare, terrori eſſe, & formidini; ii vero, quibus cordi erit revocare ad exactam criſim principia, unde præfata menda colliguntur, bene intelligent, ea omnia eſſe ſacculos pertuſos, vel conſpicua palatia ſuper arenam fabricata. *Secundo*, quemlibet Chriſtianum veritatis & Religionis amatorem teneri ad defenſandum, Hieronymianam eſſe inviolabilem Scripturæ Textum, ac opus divini afflatus, quum non alios Auctores & propalatores adverſa ſententia potiſſimum habuerit, quam veritatis & Religionis oſores nimirum Eraſmum, Lutherum, cæteroſque ejuſdem furfuris inferne excitatos, ad hoc ut ſacra profanis confunderentur. *Tertio*, Novatores mundo ſuaſuri Hieronymianam ſcatere vitiis, quemadmodum cavillis non pepercerunt, non mendaciis, non calumniis, omnem moverunt lapidem, ita noſtræ indulgeatur modicitati, ſi paulo longius orationem protraxerimus.

C A P U T II.

De identitate, ſive convenientia Hieronymianæ Verſionis cum hodierna Latina editione.

659. Regale illud præclarumque beneficium, quod divina Providentia S. Eccleſiæ contulit, quum D. Hieronymum ſpeciali gratia excitavit ad reparandas Scripturas, plane Recentiores mentiuntur, ſtatuentes hodiernam editionem Latinam non eſſe eam, quam Hieronymus edidit, ſed a-

 liam

(a) *Haud oblivifcaris, quæ in gratiam Caſſiodori expoſuimus n.* 546., *&* *ſtudium Hieronymi num.* 555.

liam olim mixtam partim ex antiquiſſima & vetuſtiſſima Latina, partim ex Hieronymiana, partim ex aliis editionibus Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, aliorumque veterum Interpretum. Semel enim conceſſo, quod univerſa Latina Eccleſia nuſpiam ſolius Hieronymianæ habuerit uſum, quod aduſque magni Pontificis S. Gregorii tempora non minus Itala, quam Hieronymiana publice uſurpabatur, quod ad præcavendum ſcandalum & periculum ſchiſmatis ex magna contentione animorum ſubortum proviſum fuerit, ut ex duabus una conflaretur, quod reipſa hujuſmodi mixta Editio fuerit ad uſum deducta extincto nomine *veteris*, vel *novæ* Editionis, ſuffectoque *Vulgata communis*, aliaque his ſimilia, quibus primores Novatorum devenerunt ad ſuadendum, hodiernam Editionem Hieronymo abjudicandam; quid quæſo utilitatis, & emolumenti ex ſpeciali miſſione Hieronymi percepit uſpiam S. Dei Eccleſia? quomodo S.Damaſus non fruſtra Hieronymo demandavit provinciam novæ Verſionis aggrediendæ, non fruſtra zelotes Eccleſiæ Paulinus, Deſiderius, Rogatianus, Domnion, Chromatius, Eliodorus, cæterique multo plures probatiſſimi viri ad magnum ſacrumque opus Hieronymum commoverunt, non fruſtra Hieronymus ipſe improba ſtudia, magna diſpendia, ſummas curas, calumnias, peregrinationes, vigilias, ſolitudines, jejunia ſuſtulit? quomodo tandem ipſamet divina Providentia non incaſſum tot adhibuiſſet media, pretioſo fruſtrata effectu? Tantum itaque abeſt, ut Recentiores nobis fucum faciant tot mediantibus aliiſque præſumptionibus, ad quas quidem refellendas pro virili appellimus animum.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

Primordia ad quæſtionem.

660. Quod circa initium quintidecimi ſeculi cum aliis Novatorum præconceptionibus ſuborta fuerit ſententia, de diſcrepantia hodiernæ editionis Latinæ cum veteri Hieronymiana adeo perſpicuum eſt, ut eos ſolummodo lateat oportet, qui conjecturis, quibus ſæpe mortales ludificantur, potiſſimum dediti, res geſtas ac ſcitu dignas ignorent. Ampliſſimi Veteres, quorum ſequenti paragrafo recordabimur, quibuſque animo occurrit adnotare, qua Bibliorum editione temporibus ſuis utebatur Eccleſia in lectionibus, in diſputationibus, in prædicationibus &c., communi voto ac perpetuo Hieronymianam appellant: & tunc adverſus hujuſmodi veritatem ſuſpicio inſurrexit, invaluitque, quum eiſdem Novatoribus plus æquo fidentibus hodiernis fontibus Hebræi, & Græci, nec non orientalibus linguis uti traduntur hodie, libuit propalare: hodiernam Editionem tot abundare vitiis, quot in locis diſcrepat ab hodiernis fontibus, adjicientes, hanc indignam eſſe Hieronymo, ut qui inter Veteres vir doctiſſimus, ac linguarum ſatis peritus. Quum vero Auguſtinus Steuchus Eugubinus Epiſcopus Kiſamus, ſedis Apoſtolicæ Bibliothecarius, in ejus annotationibus in Pentateuchum veſtigiis Veterum inhærens contendiſſet, Sanctiſſimi ac Doctiſſimi Hieronymi eſſe hodiernam Editionem, tot hoſtibus, & refragatoribus, quibus nova placebant, offendit, ut opus habuerit ſpeciali Diſſertatione rem altius aggredi, & ex inſtituto, quod obiter alioſum attigerat, confirmare (*a*): ſicque

(a) *Qua diſſertatio de convenientia hodiernæ editionis Latinæ cum Hieronymiana reperitur in calce primi Tomi ejus operum pag. 230., quamque Stheuchus elucubravit paucis annis ante Concilium Tridentinum, cui interfuit, & propter gravem morbum in quem incidit navigavit Venetias, ibique obiit.*

que in propatulo eſt, opinionem de diſcrepantia hodiernæ editionis Latinæ ab ea, quam edidit Hieronymus, a Novatoribus accepiſſe exordium, incrementum, famam, patrocinium, ac ad Novatores proprie referendam; tametſi hoc potiſſimum ſeculo noſtro non deſint inter doctos Catholicos, qui propter omiſſionem exacti ſcrutinii idem ferme cum Novatoribus judicium ferre videantur.

661. Si autem inquires, quo ſcopo iſti conati fuerint hance veritatem a cordibus Catholicorum noviter extorquere, confidenter reponam, ut facilius, feliciuſque ſuis erroribus inſervirent: itaut proportione ſervata ab eiſdem ferme cauſſis excitati fuerint, quibus acriter tuentur Hieronymianam pleriſque ſcatere vitiis, quarumque potiſſimas deſcripſimus paragrapho primo ſuperioris Capitis. Sicut enim primis Novatoribus ſe ſe opponebant zelotes Catholici, ſtatuentes & demonſtrantes, rejectis omnibus Latinis editionibus recentioribus, firmiter immobiliterque ſtandum Vulgatæ Latinæ, quam Eccleſia aduſque quintumdecimum ſeculum ſacro perpetuoque uſu conſecrarat; & hoc duplici ex efficaci cauſa (prætermiſſis aliis) *prima*, quia Hieronymus fuit homo doctiſſimus, trium linguarum peritiſſimus, ac ſanctitate celeberrimus; *ſecunda*, quia editio illa quæ ad eorum manus pervenerat, demptis quibuſdam mendis quæ irrepſerant, tota totaliterque conveniebat & concordabat cum ea, quam Eccleſia olim a Hieronymo acceperat; ita Novatores ſtudio eludendi hoſce graviſſimos cardines, haud contenti aſſerere Hieronymum non ſemel erraſſe, & Hieronymianam ſcatere vitiis, aſſeverabant pariter, Editionem latinam, qua Eccleſia quintodecimo ſeculo utebatur, diſcriminari ab ea, quam Hieronymus edidit, & eſſe imaginem illius, quæ poſt Gregorii tempora conflata fuit ex Itala, ex Hieronymiana, & ex aliis veterum Interpretum Editionibus. Quod vero omnem admirationem vincit illud profecto eſt, quomodo nimirum, & Novatores non erubuerint id aſſerere, & nonnulli Hebraiſtæ Catholici paſſi fuerint

ſe

Digitized by Google

ſe a Novatoribus tam longe abduci. Verum enim vero, is cui otium erit hance provinciam penſiculatius introſpicere, luce clarius intelliget, tanta obcæcatione Novatores laborare, ut eorundem inſaniæ mirum quod non pudeant. Male de Hieronymo ejuſque doctrina ſentiunt, quum defendere volunt Hieronymianam eſſe vitiis obnoxiam; quum vero eiſdem arridet aſſeverare hodiernam Editionem non eſſe Hieronymi, oſtendunt maximam Hieronymi rationem habere: ſi concedunt hodiernam Editionem eſſe Hieronymi, ſtatim addunt, Hieronymianam ſcatere vitiis; ſi confitentur Hieronymum fuiſſe doctiſſimum, & linguarum dono decoratum, confeſtim inficiantur hodiernam Editionem eſſe Hieronymi: quum animadvertunt Veteres magni feciſſe Hieronymum & Hieronymianam, confugiunt ad ganniendum, hodiernam Editionem ad ſolum Hieronymum non pertinere; quum vero concedunt hanc Editionem eſſe Hieronymi, minime verentur totam antiquitatem ignorantiæ rerum bonarum inſimulare. Theodorus Beza ita Catholicos hodiernam Editionem ad Hieronymum referentes carpit: *Quod Vulgatam editionem Hieronymo tribuitis, cum ſumma illius infamia conjunctum eſſe res ipſa clamat; quia ſi ita eſt, certe neceſſe eſt fateamur, Hieronymum plurima eaque manifeſta errata non animadvertiſſe* (*a*); iis vero Pontificiis, qui tenent Hieronymum in ejus concinnanda Verſione nuſpiam erraſſe, Joannes Clericus ſic progreditur maledicens: *Ubi ſermo eſt de ſenſu Hebraicorum codicum, nobis unum Hieronymum oggerunt intelligendum, & approbandum, non denuo expendendum* (*b*): & infra, *non tantum præter omnem modum laudant Hieronymum, ſed etiam nominatim eruditiſſimos quoſque viros, qui nonnullos ejus errores merito notarunt, quam maxime poſſunt infamant; quaſi piaculum eſſet in delicta ejus ani-*

(a) *Beza initio ſuæ Verſion. Apud Domin. Gravin. Cathol. Præſcript. de editione Latina Art. IV. p. 360. col. 2.*
(b) *In Quæſtion. Hier. quæſt. III. p. 45.*

nimadvertere , nec quiſquam eruditionis famam tueri poſſet , qui illum , vel minimum attigiſſet . Quo facto iniquius nullum in libera Republica fingi poteſt (*a*) . Jam vero amantiſſime Lector , nonne iſta Hæreticorum dicteria taliter ſibi mutuo collidunt, ut a ſtultis nonniſi proferri valeant ? nonne Proteſtantes in hoc negotio, ex æquo veritatem & falſitatem adoptant ? nonne pro arbitrio idem concedunt ſimul , & inficiantur ? infirmant admiſſa ? denegata defendunt ? Verum quia veritas eo difficilius panditur, quo obſcurioribus fuit obtecta tenebris , operæ pretium eſt nonnulla præmittamus.

662. *Notandum I.* Nomine Hieronymianæ verſionis ea unice hic intelligitur, de qua ſuperiori Capite affirmavimus eſſe inviolabilis auctoritatis, utpote quæ nullum complectitur mendum correctione dignum : ſive unice loquimur de illis Scripturarum lectionibus & vocibus , quas Hieronymus conſignavit in codice ejus novæ Verſionis; non vero de illis, quæ ab eodem Hieronymo laudantur in ejus criticis

(a) *Quod quidem fluctuoſum labileque ſyſtema eſt omnibus Proteſtantibus ſolemne ; quandoquidem licet auctoritati S. Hieronymi iniqua conſpiratione communiter detrahant; ejuſdem autem auctoritatem , dum de præſenti negotio agunt, communiter reformidant , vel pravo conſilio reformidare affectant , teſtante Salmerone Prolegom. III. pag. 26. col.* 2. Tertio loco polliciti fuimus nos oſtenſuros, magnum Hieronymum hujus Editionis veteris Teſtamenti certum, & indubitatum eſſe Interpretem , & Auctorem : contra quod tamen multi hodie debacchati ſunt, & conſtanter talem Editionem, tam corruptam, a tanto viro fuiſſe profectam negaverunt . Quod non ambigo propterea id ab illis fuiſſe dictum , quo liberum illis eſſet & integrum in Hebræam veritatem , quocunque vellent, adjicere , aut detrahere , vel in alium ſenſum detorquere : deterrere enim eos, ne tale quid molirentur, tanti Patris auctoritas , ſanctitas, antiquitas, & ſplendor, quibus in Eccleſia Dei præfulget, facile poterat. *Gemina habet Dominicus Gravina loc. cit. p. 359. col.* 2. Ut facilius Novatores viam ſibi ſternerent ad vulgatam Editionem rejiciendam, Auctorem illius non extitiſſe S. Hieronymum (ſanctitatem , & eruditionem tanti viri formidantes) libera voce proclamarunt . *Huc quoque ſpectant hæc Waltoni Proleg. X. n. 9. pag. 356. col.* 1. Qui ad Hieronymum (*hodiernam vulgatam Latinam*) referunt, ex ejus nomine auctoritatem majorem ei conciliare ſtudent, alii ita vitioſam eſſe dicunt, ut Hieronymo indignam exiſtiment.

Digitized by Google

ticis obſervationibus : iſtæ enim ſicut ad Hieronymianam verſionem ex ſe ſe non pertinent, ita nihil obſtat ſi cum eiſdem non concordent lectiones, & voces hodiernæ Editionis . Oſtendimus enim , tum quod Hieronymus aliud intendit in ejus adornanda Verſione , & aliud in ejus criticis obſervationibus ; *item* , quod Eccleſia vetus uſurpavit in publicis lectionibus , diſputationibus , prædicationibus &c. eas lectiones & voces , quas Hieronymus deſcripſerat in codice Verſionis , non autem in criticis obſervationibus: *item* , quod ſi omnes lectiones & voces , quas Hieronymus citat apud criticas obſervationes pertinerent ad ejus Verſionem , nihil certi atque tuti de Scripturis haberemus, & omnia confuſionem ſpirarent . Itaque Adverſarii longe aberrant , quum his minime intellectis , ac pro indubiis partibus Hieronymianæ verſionis acceptis iis lectionibus, & vocibus, quæ leguntur in Hieronymianis obſervationibus , & non congruunt cum Editione hodierna , concludunt , ſaltem quoad iſtas hodiernam Editionem non eſſe Hieronymo tribuendam . Namque quæſtio non eſt, utrum hodierna Editio conveniat cum obſervationibus Hieronymianis ; bene vero utrum fideliter reſpondeat Hieronymianæ verſioni : quis enim vir doctus ibit inficias pleraque contineri in hodierna Editione, quæ minime congruunt cum iis , quæ a Hieronymo animadvertuntur in quæſtionibus ſuper Geneſim , in ejus commentariis , in Epiſtolis &c.: ex diſcrepantia igitur hodiernæ latinæ Editionis cum obſervationibus Hieronymianis , perperam adverſarii colligunt diſcrepantiam ejuſdem cum Hieronymiana verſione . Hac pari lege , & propter eaſdem rationes non movetur quæſtio de Hieronymiana verſione *inchoative*, quæ nimirum per primam ſcriptionem a Hieronymo prodiit ; ſed *in conſummatione* , cui ſcilicet poſtremam dedit manum , quamque univerſa Eccleſia poſt Hieronymi obitum reipſa detulit ad publicum perpetuumque uſum : quæ omnia latius comperiuntur expoſita paragrapho primo ſuperioris Capitis .

Digitized by Google

663. *Notandum II.* Nomine hodiernæ latinæ Editionis ea impræſentiarum Editio venit, quæ tempore Concilii Tridentini continebatur in univerſitate Latinorum codicum, ſive in omnibus Latinis codicibus manuſcriptis & cuſis non diſtributive, ſed collective acceptis; & ea inſuper Editio, quam hodie habemus apud omnes ſinguloſque Clementinos codices potiſſimum trium editionum Typographiæ Vaticanæ anni 1592. 1593. & 1598., demptis mendis mere typographicis. Si enim pro hodierna latina Editione intelligatur ea, quæ quintodecimo & ſextodecimo ſeculo continebatur in ſingulis Latinis codicibus diſtributive, aut quam habemus in hodiernis Clementinis codicibus, incluſis mendis typographicis, quibus exemplaria hactenus impreſſa magis minuſve ſcatent, nulli certe dubium eſſe debeat, quod hodierna latina Editio hoc ſenſu uſurpata a Hieronymiana diſtet, & haud Hieronymo tota totaliterque tribuenda. Verum enim vero, quod ſinguli Latini codices manuſcripti & cuſi, qui circumferebantur quintodecimo & ſextodecimo ſeculo, multis in locis aliter legebant, ac vetus Hieronymiana verſio, minime immoremur oportet, tot confluentibus teſtibus & teſtimoniis, quibus antea oſtendimus, quod iſthæc profecto depravata loca a verſione Hieronymi diſcrepantia, noviſſimeque obtruſa a petulantibus ingeniolis, vel incurioſis Scribis, & bibliopolis fuerunt in cauſſa, ut Concilium Tridentinum mandaret correctionem Latini Textus, ac emendatiſſimam ejuſdem impreſſionem: & in Regula tertia indicis juſſu ejuſdem Tridentini edita, viris tantum doctis & piis judicio Epiſcopi concederentur novæ verſiones Vatabli, Iſidori Clarii, aliorumque recentiorum Interpretum cum clauſula, ut hiſce uterentur tanquam elucidationibus vulgatæ Editionis ad intelligendam Sacram Scripturam, non autem tanquam ſacro Textu vulgatæ veteris: & tandem hujuſmodi lectiones & voces noviter obtruſas, ac a Hieronymiana diſcrepantes reipſa rejecerunt, & ablegarunt Ro-

mani

mani Correctores, ſive oculatiſſimus Syſtus V., quarum nonnullas deſcribit P. Dominicus Gravina (a): ſicque extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, hodiernam latinam Editionem acceptam pro eo Latino Textu, qui duobus ſeculis ante correctionem continebatur in ſingulis codicibus diſtributive, haud Hieronymo adæquate tribuendam. Quod neque hodierna latina Editio ſit accipienda pro ea, quam habemus in ſingulis Clementinis codicibus ſubintellectis mendis quibus ſcatent, ex eo plane liquet, quod ſicut hujuſmodi menda originem agnoſcunt vel a dormitantibus impreſſoribus, vel a naſutis operarum præſidentibus, ita nihil mirum ſi hodierna Latina editio hoc modo ſumpta neque perfectiſſime conveniat cum ea, quam Hieronymus edidit, & quoad præfata depravata loca minime Hieronymum agnoſcat Auctorem. Itaque de ea hodierna Latina editione excitatur quæſtio, quæ quintodecimo ſeculo reperiebatur in univerſitate codicum collective ſumptorum, ſive quæ a Patribus Tridentinis graviſſimo decreto probata fuit, ſive quam Apoſtolica S. Sedes ſummis curis Siſti V. priſtino nitori reſtituit, & impreſſit ſub Clemente VIII. demptis mendis typographicis, quos deſcripſimus paragrapho quarto capitis Prodromi. Quomodo autem hujuſmodi Latina editio quintodecimo & ſextodecimo ſeculo integerrime extiterit apud codices collective, ac recte dicebatur hodierna Editio, tametſi in nullo uno codice repræſentabatur perfecte, ſatis declaravimus num. *629.* & *630.* quo lector redire poterit.

664. Notandum III. Tria pro data opportunitate Hieronymus obivit munia in ejus adornanda Verſione; interdum enim egit *Interpretem*, interdum *Correctorem*, interdum *Reviſorem*. Egit profecto *Interpretem*, quum nimirum deprehenſa notabili varietate inter Latinos codices revertit ad Hebraicam vel Græcam originem, noviter Latino ſermone

(a) *De Cathol. Præſcript. Controv. de edition. Latin. Artic. X. pag.* 385.

Digitized by Google

mone exprimens ea, quæ vel a vitioſis Interpretibus fuerunt male reddita, vel a præſumptoribus imperitis perverſius emendata, vel a dormitantibus librariis addita, detracta, vel immutata. Egit *Correctorem*, quum pleraque loca veteris Latinæ emendavit, non quidem ope novæ interpretationis ex fontibus, ſed adjumento veterum exactiorumque codicum duarum venerabilium verſionum Græcæ, & Latinæ, inſpectis quoque atque ad invicem collatis interpretationibus Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, Exaplis Origenis, ac commentariis veterum procerum Eccleſiæ Chriſti. Munus tandem *Reviſoris* exercuit, quum diligenter examinatis, atque ad normam fontium aliorumque biblicorum codicum perpenſis quibuſdam libris, vel capitulis, vel lectionibus, ac vocibus veteris Italæ, deprehendit nihil vitioſitatis in ea irrepſiſſe, proindeque ſicut nulla nova interpretatione aut emendatione indigebant, ita uti erant immutata reliquit, ſuoque calculo roboravit. Quod Hieronymus novæ Verſioni incumbens hujuſmodi munia pro data opportunitate reapſe præſtiterit, adeo perſpicuum eſt, ut neminem doctum latere debeat, tot conclamantibus ejuſdem Hieronymi teſtimoniis ac ſpeciminibus. Oſtendit plane priori munere eſſe functum, quum vindicaturus eas lectiones, quas ex Hebræo Textu Latio donavit, propter quas inſimulabatur novitatis & criminationis in Septuaginta, ita ſuos æmulos ac obtrectatores perſtringebat (a). *Ut ad compendium veniam: certe quod illaturus ſum æquiſſimum eſt: edidi aliquid, quod non non habetur in Græco* (b), *aut aliter habetur, quam a me verſum eſt? quid interpretem laniant? interrogent Hebræos, & ipſis Auctoribus translationi*

(a) *Præfat. in Eſdram, & Nehem. Tom. III. p. 688. A.*

(b) *Hoc eſt in utraque verſione, Græca nimirum qua utebantur Græci, & Latina Eccleſiæ Occidentalis; quoniam Itala verſio, utpote ex Græca virali expreſſa, etiam nomine* Septuaginta *appellabatur: quo quidem pacto chronologiam annorum Patriarcharum ut Interpres texuit ad normam Hebræi Textus, non autem utriuſque verſionis, Viralis nimirum, & latinæ Italæ.*

ni meæ, *vel arrogent*, *vel derogent fidem*. Oſtendit munus *Correctoris* alias exercuiſſe, quum, ut in ejus commentariis paſſim teſtatur, multa ſupplevit, vel caſtigavit adjumento veterum codicum Samaritanorum, Græcorum, Latinorum tam biblicorum, quam anteriorum Interpretum, & interpretationum: ea de re *Operis*, interdum inquit (a), *mei eſt & ſtudii multos legere*, *ut ex plurimis diverſos flores carpam*, *non tam probaturus omnia*, *quam quæ bona ſunt electurus: aſſumo multos in manus meas*, *ut a multis multa cognoſcam*, *ſecundum illud quod ſcriptum eſt: omnia legentes*, *quæ bona ſunt retinentes*. Quum vero fatetur, vel ſe coaptaſſe ſeptuaginta Interpretibus, vel haud immutare voluiſſe quod antiquitus legebatur, vel multa reliquiſſe uti erant manifeſte probat ſuum *Reviſoris* officium. Quæ quum ita ſint luce clarius adfulget, quæſtionem non eſſe, utrum hodierna Editio taliter ſit Hieronymi, ut quidquid in iſta reperiatur totum totaliterque a Hieronymo fuerit ex fontibus noviter hauſtum, nihil de veteri Itala ab eodem retentum, nihil ex Aquila, ex Symmacho, ex Theodotione aliiſque veteribus tractatoribus acceptum. Quamvis enim pleraque adjumento fontium noviter interpretando ſupplevit, relate tamen ad ea quæ revidendo retinuit ex Itala, & corrigendo mutuo accepit ex vetuſtioribus Bibliis, & tractatoribus, vix ad pauca, quibus apprime quadrat pronomen *aliquid*, redigenda ſunt: loquens enim loco nuper citato de iis quæ ex Hebræo noviter ſuppleverat, non dixit, *edidi omnia*, neque *edidi multa*, bene vero *edidi aliquid*, *quod non habetur in Græco* (ſupple) *& in Latino* (b); & per conſequens, ſicut germanas lectiones minima ferme ex parte ut *Interpres* ſupplevit adjumento fontium, cæteras omnes vel ut *Corrector* reſtituit inſpectione & collatione vetuſtiorum Interpretum & interpretationum, vel ut *Reviſor*

(a) *Epiſt. LXXV. adverſ. Vigilantium Tom. II. p. 605. A.*
(b) *Legeſis dicta num. 124., & ſeqq.*

Digitized by Google

ſor probavit atque religioſe retinuit ex veteri Latina verſione, ita longe profecto falluntur qui de hujuſmodi quæſtione differentes, præſupponunt, Hieronymum omnia fuiſſe noviter interpretatum, nihil in Hieronymiana contineri quod non referatur ad Hieronymum tanquam ad Interpretem. Quibus diligenter obſervatis ac intellectis, quod inſtat expediemus.

ASSERTIO.

Hodierna Latina editio, ſive Biblia ſacra Vulgatæ editionis Sixti V. juſſu recognita, & Clementis VIII. auctoritate edita, eſt illa penitus eadem quam Hieronymus in conſummatione edidit, & Eccleſia occidentalis adoptavit.

§. II.

Hiſtoricum ſuppeditatur momentum quo radicitus ſolidatur aſſertio, ſimulque primorum Novatorum profanitas profligatur.

665. Si qua ratio eſt unde Novatoribus ingrata videatur aſſertio noſtra maxime, quia volunt hodiernam Editionem (quæ quintodecimo, & ſextodecimo ſeculo continebatur in univerſitate codicum collective, quamque hodie habemus apud ſingulos codices Clementinos demptis Typographicis mendis) eſſe imaginem illius, quæ poſt Gregorii Magni tempora conflata fuit ex nova Hieronymiana, ex veteri Itala, ſive etiam ex aliis Editionibus aliorum antiquorum Interpretum; atqui hoc eſt purum putumque commentum a primis Novatoribus invita traditione Veterum excogitatum; ergo vera aſſertio. *Probatur min.* . Omnia momenta quibus primores Novatorum ſuaſerunt, poſt Gregorii tempora factam eſſe præfatam varia-

ria-

riarum Editionum mixtionem huc unice collimant, *primo*, quia ab obitu Hieronymi uſque ad Gregorii tempora, tam vetus Itala, quam nova Hieronymi fuerunt in uſu apud Chriſti Eccleſiam; *ſecundo*, quia poſt Gregorii tempora ob ſubortam animorum contentionem & metum ſchiſmatis, dum alii adhærebant Italæ, alii Hieronymianæ, ad præcavendam offenſam & ſcandalum proviſum fuit, ut ad Eccleſiaſticum communem uſum conflaretur una, quæ *communis* omnibus, & *Vulgata* diceretur, exploſa veteris & novæ nomenclatura; *tertio*, quia ocularibus ſpeciminibus conſtat hodiernam Editionem in multis congruere cum veteri Itala & non cum Hieronymiana, in aliis reſpondere Hieronymianæ & non Italæ, in aliis exhibere lectiones ut ex Hebræo expreſſæ fuerant a LXX. ſenioribus, ab Aquila, a Theodotione, a Symmacho, aliiſque veteribus Interpretibus. Atqui hæc tria tot patiuntur veras realeſque exceptiones, ut præfata Editionum mixtio ad meram fabellam amandetur oportet: quod diſtribute ita evincendum aggredimur.

666. CIRCA PRIMUM. Illius ſanæ Editionis uſum, dicendum eſt Eccleſiam habuiſſe a Hieronymiano tempore aduſque magnum Gregorium, cujus mentionem faciunt probati Scriptores illius ætatis: eſt enim receptiſſima regula critices ab eiſdem Neotericis non ſemel probata, quod vetera ad hiſtoriam pertinentia non aliter innoteſcunt nobis, quam face illorum Scriptorum, qui adfuerunt, vel viciniores extiterunt rebus geſtis, & eorum etiam, quæ ex eorundem teſtimoniis, vel naturali, vel veriſimiliori conſecutione proficiſcuntur. Porro quis ſuadere ſibi poterit, Deſiderium, Chromatium, Paulinum, Domnionem, Rogatianum, Eliodorum, Abigaum, Jovinum, Euſebium, Bonoſum, Riparium, Lucinium, alioſque multo plures Epiſcopos, Eccleſiarum Rectores, doctos ſæculares, eruditas matronas, piaſque ſanctimoniales per univerſam Latinitatem diſperſas, ac Hieronymo peculiari charitate conjun-

junctas, non uſurpaſſe ejus Verſionem, cujus editionem vel ardenti deſiderio concupiverant, vel communi fama intellexerant veteri Itala veraciorem eſſe ac exactiorem, addito etiam illuſtri exemplo, quod Romana Eccleſia, annuente, vel etiam præcipiente S. Damaſo Papa, detulerat ad communem publicumque uſum editionem Novi Teſtam. ab eodem Hieronymo concinnatam, ſicut & Pſalmos Romæ emendatos (a)? Qui fieri poteſt, ut Ruffinus & Auguſtinus cum iis omnibus, apud quos magnum ſibi doctrinæ nomen pepererant, Hieronymiana non uterentur, dum primus ab anno circiter 408., & ſecundus paucis poſtea annis tanti fecerunt Hieronymianam, ut pro legitimo Scripturæ Textu agnoverint, ſuiſque interpretationibus elucidarint (b)? Cujuſne Editionis ſacros Libros Gelaſius in Concilio Romano uſpiam probare potuit, niſi uti continebantur in Editione Hieronymi, quem exemplo Concilii Milevitani maximis laudibus, & encomiis ad eximiam doctrinam, & ſanctitatem attinentibus proſecutus fuit? Nonne viri celebres, qui paulo poſt Hieronymum & ante Gregorium illuxerunt, nimirum Salvianus, Gennadius Maſſilienſes, & Caſſiodorus noſter Calabrenſis adtento digito ſcribunt, tunc temporis Hieronymianam lectitari (c)? Nonne

(a) *Hæc omnia cui otium erit percurrere Librum Epiſtolarum S. Hieron. perſpecta fient, a quibus citandis cauſſa longitudinis vitandæ ac ſuperflui laboris, abſtinemus; quantum vero ad Lucinium hæc tradit Monachus Benedictinus Joannes Martianæus in Bibliotheca S. Hieronymi Proleg. II. §. II. Tom. I. col. 19.*: Hiſpanias enim occupaverat præclara Hieronymi, ac ejus lucubrationum fama, unde vehementi deſiderio incenſus Lucinius ſex ad Hieronymum miſit Notarios, qui deſcripta hujus immortalis ingenii monumenta ad ſe perferrent . . . Novam ex Hebræo interpretationem Hieronymi Hiſpaniarum Eccleſiæ ſuſceperunt circa an. 395.

(b) *Id expoſuimus n. 587., & 588.*

(c) *De Salviani teſtimonio diſſeruimus num. 589. Gennadius in vita S. Hieronymi ex Tom. IV. vet. Analect., & ex quamplurimis MSS. codicibus cit. a Martianæo, apud Bibliothec. S. Hier. Tom. I. poſt Prolegom.* Romana Eccleſia Petri inſtituta regimine, omniumque Vet. Teſtamenti librorum edocta veritate, Chriſto Deo volente, & Hieronymi ſpeciali ſtudio deſudante, Hebraicam quoque habeat auctoritatem, & Græcorum quorundam

ne ex ſcriptis S. Eucherii Lugdunenſis, & S. Fulgentii Africani manifeſte evincitur, eoſdem Hieronymiana fuiſſe uſos? Nonne ipſimet Novatorum gregales interdum probe teſtantur, Hieronymianæ verſionis ſequaces fuiſſe Philippum Presbyterum, Selonium, Claudianum Mamertum, Alcimum Avitum, Pamerium, & Juſtum Orgelitanum (*a*)? Nonne idipſum fatentur plerique ex recentioribus doctis Catholicis, inter quos Auguſtinus Steuchus (*b*), Melchior Canus (*c*), Alphonſus Salmeron (*d*), Nicolaus Serarius (*e*), Sfortia Pallavicinus (*f*), cæterique? Tot itaque ubique

dam levitas, quæ ſibi Romanos a ſe omnes Scripturas divinitus inſpiratas accepiſſe plaudebat, eos habere, quod non habet, recognoſcat. Chriſti itaque gratia Hieronymus fidem adeptus, litteris Græcis, ac Latinis, atque Hebraicis doctus, cuncta Hebræorum volumina, quæ in Canone continentur ex veteri Teſtamento vera Editione in linguam Latinam vertit. *Caſſiodorus Præfat. in Lib. Inſtit. Divin. Script. pag.* 224. *ait.* S. Hieronymum . . . colis, & commatibus translationem ſuam, ſicut hodie legitur, diſtinxiſſe. *Item Cap. XIII. Lib. cit. p.* 234. *a t. ediſſerens de omnibus Scripturarum Libris ſubdit*: Hic Textus multorum translatione variatus . . . Patris Hieronymi diligenti cura emendatus, compoſitus, & relictus eſt.

(a) *Fertur a Joan. Buddæo de Theolog. Exeget. Cap. VIII. §. VI. p.* 1334.

(b) *In diſſert.* An vulgata Editio ſit D. Hieron. *in calce Tom. I. Comment. in Gen. p.* 241. Veterem Septuagintæ editionem celebrem, famigeratam, poſt tempora Hieronymi fuiſſe relictam, & amotam ex Eccleſia.

(c) *Lib. II. de loc. Theol. Cap. XIII. p.* 53. *col.* 2. Editionem hanc veterem atque vulgatam, quam poſt tempora D. Hieronymi Latina Eccleſia uſurpavit, a fidelibus eſſe retinendam.

(d) *Proleg. III. pag.* 23. *col.* 2. His rationibus cognitis, & probatis B. Auguſtinus tandem Hieronymi verſionem, & recepit, & commendavit, ſicut & tota Eccleſia, ad cujus utilitatem ſpectabat. *Et infra*, quod igitur Editio (*B. Hieronymi*) authentica ſit, ex eo primum probatur, quod ab Eccleſia Catholica Latina communi conſenſu recepta ſit, & fere per tredecim ſecula jam prævaluit: nec tantum recepta eſt, ſed etiam, poſtquam eſt introducta, prior illa ſeptuag. Interpretum in Eccleſia Latina præ hac deſerta eſt, ac plane relicta.

(e) *Proleg. XIX. quæſt. IV. p.* 53. *col.* 2. De Novo Teſtamento Pontificis Damaſi juſſu ea facta eſt correctio . . . Ab ipſo igitur Pontifice totaque Romana Eccleſia merito poſtmodum recepta.

(f) Ma finalmente chi è ora, che s'arroghi a miglior notizia di queſte lettere, e maggior giudicio, e più corretti eſempj di ciò, che aveſſe S. Girolamo, il qual' è ſtato ſe non l' Autore, l' Emendatore della noſtra Volgata.

concinentibus Textibus & teſtimoniis , neminem certe ſanæ mentis reperiri arbitror, qui non deprehendat temeritatem primorum Novatorum obtrudentium, ab obitu Hieronymi uſque ad Gregorii tempora, non tantum Hieronymianam, ſed Italam quoque fuiſſe in uſu .

667. *Dices* cum Waltono . Licet Hieronymiana verſio magno cum plauſu fuerit a doctiſſimis Hebræorum , & Græcorum probata , Græco quoque ſermone reddita ; plerique tamen doctores Latini Eccleſiarum Rectores , & Epiſcopi inceptum opus primo improbarunt ut temerarium, & ad auctoritatem verſionis Septuaginta convellendam & minuendam factum ; itaut Auguſtinus non permiſerit per ejus Diœceſim legi, immo Hieronymum monuit, ut ab incepto deſiſteret , & potius ex Græcis codicibus vetus Teſtamentum Italæ verſionis emendaret, addito etiam exemplo tumultus a plebe excitati occaſione ejus novæ Verſionis legentis Jonæ IV. v. 6. *hederam* loco *cucurbitæ: Ex his* , ita Waltonus pergit (*a*) , *videmus verſionem Hieronymi omnibus non placuiſſe , nec ab omnibus receptam ; poſt ipſius vero obitum . . . paulatim auctoritatem nacta eſt , & apud multos recepta . . . ita tamen ut tum vetus* (Itala) *tum hæc nova* (Hieronymiana) *in uſu eſſent uſque ad Gregorii Magni tempora . . . Poſtea per gradus Editio hæc prævaluit . . . non tamen ita , ut veterem penitus extrudere potuerit , ſed utraque in uſu fuit , donec tandem ex utriſque mixta hæc , quæ nunc Vulgata dicitur , coaluit .*

Contra. Minime inficias imus , Hieronymum circiter annum 397. Chriſtianæ ſalutis (*b*), ob inceptum opus novæ

(a) *Proleg. X. §. 7. p. 355. col. 2.*

(b) *Veritati conſentanea videtur nobis obſervatio Joannis Millii affirmantis Prolog. in Novo Teſt. §.* Hieronymus *pag. 81. col. 2. , & ſeqq. , quod Hieronymus circa finem anni 384. abſolverit quatuor Evangelia ; quibus finitis aggreſſus fuerit reliquam Novi Teſt. partem . Romæ poſtea magna ex parte Pſalterium a ſe emendatum ediderit ; & tandem , quod inter an. 393. , & 405. Libros omnes canonicos ex Hebræo verterit , dixiſſet rectius , aliquibus in locis interpretatus fuerit .*

Digitized by Google

væ Verſionis veteris Teſtamenti in pleroſque obtrectatores, & æmulos incidiſſe, ac tot calumniis ab eiſdem impetitum, ut habuerit opus Apologias ſcribere, ac in propatulo nudam ponere veritatem. Ea de re ſpectata hujuſmodi tempeſtate libenter concedimus, & quod plerique Doctores Latini ejus incepto operi detraxerint, & quod magnum Eccleſiæ lumen D. Auguſtinus, artificio æmulorum Hieronymi deceptus & ſeductus uti innuimus num. 655. acres litteras dederit Hieronymo, & quod non receperit in ejus Diœceſim Verſionem inceptam veteris Teſtam., & quod monuerit Hieronymum ad deſiſtendum a Verſione ex Hebræo, & quod objectaverit rumorem a plebe excitatum ex immutatione *cucurbitæ* in *hederam*. Verum nunc difficultas emergit, utrum hujuſmodi jurgia & contentiones perſeverarint etiam poſt Hieronymi obitum; itaut nec etiam poſt annum 420. Hieronymiana omnibus placuerit, ac extiterint qui pertinaciter improbantes Hieronymianam, Itala in publicis lectionibus adhuc uterentur? Et ſane, ſi ipſo Waltono teſte vix opus inceptum pleriſque non placuit, unuſquiſque videt, perperam exinde colligi, opus etiam perfectum in idem fatum incurriſſe; tum quia egregia opera eo in conſummatione ſolent plerumque majus plauſum ſibi conciliare, quo ſub initium contemptibiliora videntur, ea profecto lege qua homines ſeculi magis tenebras quam lucem diligentes, tunc ſolummodo veritati adhærent, quum omni ex latere conficta dubia deprehendunt ſoluta, & rejecta: quod quidem Deo ſic diſponente, hoc in caſu verificatum eſt. Ruffinus enim, qui virulentis Apologiis in Hieronymum, & in inceptum opus irruerat, eodem tamen abſoluto & perfecto, religioſe uſus fuit, immo interpretationibus elucidavit: hoc ipſum præſtitit D. Auguſtinus de quo tantopere cauſſantur adverſarii: & Joannes Hieroſolymitanus, olim Hieronymo infenſus, anno 415. ſacro Gedeonis velleri eundem Hieronymum in pleno Concilio PP. comparavit; *ſecundo*, ne-

Digitized by Google

mo quantum ſcio inter Veteres reperitur, qui poſt obitum ſancti viri vel pro minimo ejus Verſioni detraxerit, aut qui teſtetur, Hieronymianam a ſe, vel ab aliis coævis non fuiſſe receptam; *tertio*, haud fallacibus conjecturis uſi ſumus, ſed nominatim laudavimus viros doctos in eccleſiaſtica dignitate conſtitutos, alioſque qui Hieronymo vivente, & e vivis ſublato præ veteri Itala Hieronymianam uſurparunt; hac pari lege optarim ut adverſarii ſe ſe geſſiſſent; *tandem*, ſi poſt obitum Hieronymi tam vetus, quam nova Editio erant in uſu, cur Gennadius, Salvianus, & Caſſiodorus de uſu veteris Italæ nullimode recordantur? quinam quæſo ſunt Scriptores illius ævi, qui Veteris, & non Hieronymianæ habuerunt uſum?

668. *Inſtabis*. Si Hieronymiana verſio poſt obitum Hieronymi fuiſſet ab univerſa Latinitate recepta & conſecrata, nulla videtur aſſignabilis ratio, cur Gregorius Magnus, qui ineunte ſeptimo ſeculo regebat Dei Eccleſiam, ex æquo uſus fuerit vetere Itala, & nova Hieronymiana? *Novam*, hæc habet Epiſtola ad Leandrum in fine, poſita ante Libros Moral., *tranſlationem diſſero; ſed ut comprobationis cauſa exigit, nunc Novam, nunc Veterem per teſtimonia aſſumo; ut quia Sedes Apoſtolica, cui auctore Deo, præſideo, utraque utitur, mei quoque labor ſtudii ex utraque fulciatur*. Quibus ita ſubdit Waltonus loc. cit: *Ubi videmus utramque in uſu fuiſſe, in expoſitionibus &c., ita tamen ut Nova Veterem adhuc non excluſiſſet*.

Contra. Sedes Apoſtolica non modo Gregorii tempore, ſed conſtanti ſeculorum uſu uſque hodie utitur Editione veteri, uti liquet *primo*, ex Pſalterio, quod etiamnum recitatur in Baſilica Vaticana; *ſecundo* ex Pſalmo nonageſimoquarto incipiente, *Venite exultemus Domino &c.*, qui per univerſam Latinam Eccleſiam recitatur in tertio Nocturno Epiphaniæ Domini; *tertio*, ex computatione annorum Patriarcharum, quæ juxta veterem Italam, ſive Septuaginta canitur in Martyrologio Nativitatis Domini;

quar-

Digitized by Google

quarto ex tot integris Capitibus & lectionibus, quæ Hieronymus de veteri Itala in ejus nova Verſione ſimpliciter revidendo retinuit, nihil nimirum addendo, detrahendo vel immutando, quibus nos hodie utimur; & *tandem*, ex commentariis aliiſque tractatibus in Scripturam editis a veteribus & recentioribus, in quibus ſæpe vetus Editio per teſtimonia uſurpatur tanquam venerabilis Scripturæ contextus, ad finem vel comprobandi, vel elucidandi editionem Hieronymi, vel ad erudiendum Lectorem de variis Scripturarum lectionibus: nulli itaque dubium eſt, quod Eccleſia Latina ab obitu Hieronymi uſque hodie veteri Itala, & nova Hieronymi uſa fuerit; ſicque jure meritoque memorabat Magnus Gregorius ſcribens (a): *Sedes Apoſtolica cui auctore Deo præſideo, utraque utitur*. Quod vero in præſentia unice definiendum venit, quænam iſtarum Editionum ab obitu Hieronymi uſque ad Gregorium in univerſa Latina Eccleſia probata fuerit in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus, nova ſcilicet, an vetus? Quocirca nemo inter veteres divo Gregorio rem penſiculatius indigitat, ponitque in apricum: quandoquidem ſicut inter teſtimonia quæ habemus afferendi, quod Sedes Apoſtolica & univerſa S. Eccleſia hodie utatur editione Clementina in publicis lectionibus, diſputationibus &c., inſigne eſt illud, quo experimento comperimus, viros Catholicos noſtræ ætatis in eorum commentariis differere non Textum Hebræum, non verſionem Septuaginta, ſed unice editionem Clementinam; ita D. Gregorius teſtatur ſe differturum non translationem veterem, ſed novam Hieronymi, *Novam*, inquit, *translationem diſſero*; *item*, ſicut hodie Doctores noſtri prius ſolent exſcribere integrum Textum vulgatæ Clementinæ, poſtea eundem elucidantes, ut comprobationis cauſſa exigit, per teſti-

(a) *Loc. cit. Tom. I. col. 2. in fine.*

ſtimonia aſſumunt nunc Textum Hebræum, nunc verſionem Septuaginta, nunc Textum Græcum nov. Teſt., nunc Samaritanum, vel Syriacum, vel Chaldaicum, nunc & ipſam Clementinam; ita D. Gregorius in ejus commentariis exſcripto prius Textu Hieronymiano, eundem poſtea elucidans, ut comprobationis cauſſa videbatur ſibi exigere, nunc Hieronymianam, nunc veterem Italam per teſtimonia aſſumit, *ſed*, pergit, *ut comprobationis cauſa exigit nunc Novam nunc Veterem per teſtimonia aſſumo: item*, ſicut hodie noſtri Doctores, ut eorum ſtudiorum labor fulciatur, mutuo conferunt Clementinam cum hodiernis fontibus aliiſque bibliacis Contextibus proferentes horum lectiones, quas tamen ſemper poſtponunt lectioni Clementinæ, utpote veriori & majoris auctoritatis; ita D. Gregorius, ut ipſius ſtudii labor fulciretur ex mutua collatione Hieronymianæ cum veteri Itala, profert interdum quid vetus Itala habuerit, poſtponens ei quod legebatur in Hieronymiana, tanquam veriore, itaut quidquid in iſta dicitur abſolute credendum eſſe æſtimarit (*a*); & per conſequens ſi eam pene agendi rationem, quam hodie ſervare ſolent Doctores Catholici illuſtrantes Vulgatam Clementinam in Eccleſia probatam, magnus Gregorius tenuit in gratiam Hieronymianæ, cuique opinor perſpectum eſſe debere, non modo quod Hieronymiana editio ab obitu Hieronymi aduſque Gregorii tem-

(a) *Multum facit unum ſaltem rei hujus ſpecimen ſuppeditare. Gregorius in Ezechielem Lib.I. Homil.X. Tom.II. col.1108. F. ſuper iſta verba Ezech. Cap. III. v.4. ab eodem deſcripta loco Textus juxta Hieronymianam editionem:* Et dixit ad me: Fili hominis, venter tuus comedet, & viſcera tua complebuntur volumine iſto, quod ego do tibi, *hæc notat*: In translatione veteri non habetur *venter tuus comedet*, *& viſcera tua complebuntur*: Os enim noſtrum comedit, dum verbum Dei legimus; viſcera vero noſtra complentur, cum intelligimus, atque ſervamus ea, in quibus legendo laboramus. In poſteriori autem translatione, quam & VERACIOREM credimus, ſcriptum eſt: *venter tuus comedet*, *& viſcera tua complebuntur*, in ſacro vero eloquio nonnunquam venter pro mente poni cognovit &c. *Aliud Gregorii teſtimonium huc ſpectans habes n.*591.

tempora conſecrata fuerit in publicis lectionibus, diſputationibus &c.; ſed inſuper tanta obcæcatione Novatores laborare, ut non viderint Magnum Gregorium eorum ſcopo apertiſſime refragari, quinimmo puerili imperitia tanquam inſignem patronum intellexerint, & propalarint.

669. CIRCA SECUNDUM. Manifeſtius apparet, quam gratis iidem blaterones obtruſerint eam puram putamque fabellam de magna animorum contentione, & metu ſchiſmatis exorto poſt Gregorii tempora &c. Namque ſi a Hieronymi obitu uſque ad Gregorium ſola Hieronymi verſio, ut oſtenſum eſt, probabatur in publicis lectionibus, expoſitionibus &c., incredibile prorſus eſt, quod præfato Pontifice evolato ad ſydera, alii adhærerent veteri Editioni, alii novæ, & tanta animorum contentione, ut ad præcavendam offenſionem, & ſcandalum fuerit utriuſque Editionis mixtio facta. Et eo vel maxime, quod hujuſmodi famoſi rumoris, & ſubſecutæ mixtionis Hiſtoria adeo apud veteres illius, & vicinioris ætatis inaudita, ut nullus penitus ab eiſdem adverſariis citetur, qui veſtigium reliquerit, quin potius ejuſdem Hieronymianæ celeberrimum uſum plerique illorum doctiſſimi clarius, diſertiuſque commendent. S. Iſidorus, qui regnante Gregorio Magno fieri cœpit Hiſpanorum oraculum, obiitque poſt eundem triginta duobus circiter annis, nimirum die 4. Aprilis an. *636.*, non tantum præfatum rumorem, & verſionum mixtionem nullimode ſubodoratur, ſed inſuper conceptis verbis teſtatur, quod tunc temporis editione Hieronymi generaliter omnes Eccleſiæ uſquequaque utebantur. Hoc ipſum eruitur ex Vener. Beda, qui apud Anglos claruit ſub initium octavi ſeculi, & cælos penetravit an. 735. Rabanus Maurus Germanus ad Archiepiſcopatus honorem aſſumptus an. 847., & illud idem, ac eiſdem ferme verbis S. Iſidori de generali uſu Hieronymianæ affirmat. Hugo a S. Victore, qui lumina clauſit an. 1142. addit, quod Chriſti Eccleſia conſtituit ſolam Hieronymianam per univerſam Latinitatem legendam, ac

in

in auctoritate habendam (*a*). Prætermitto ſingulatim alios Veteres proferre, qui vel gemina habent, vel ex eorum operibus oculariter liquet, ſolam Hieronymianam fuiſſe publice, ac generaliter conſecratam, ſatis habens dicere cum Præfatione Bibliorum Clementis VIII. *Porro, qui ſecuti ſunt viri doctiſſimi, Remigius, Beda, Rabanus, Haymo, Anſelmus, Petrus Damiani, Richardus, Hugo, Bernardus, Rupertus, Petrus Lombardus, Alexander, Albertus, Thomas, Bonaventura, cæterique omnes, qui bis nongentis annis in Eccleſia floruerunt, S. Hieronymi verſione ita ſunt uſi, ut cæteræ, quæ pene innumerabiles erant, quaſi lapſæ de manibus Theologorum penitus obſoleverint.*

670. Attende modo Lector optime. Si ad placitum primorum Novatorum poſt Gregorii tempora ex veteri, & nova Editione, ſive ex aliis mixtio facta eſt, quî fieri potuit, ut hæc mixtio tot doctiſſimos veteres latuerit, & tam verbis quam factis teſtarentur oppoſitum, nimirum ſolam Hieronymianam generaliter & perpetuo conſecratam fuiſſe apud Chriſti Eccleſias? Nonne pſeudo-Critici id penitus tribuunt Antiquitati, quod ipſa Antiquitas ſolemniori forma a ſe removet, & inficiatur? Et mirum! Renuunt noſtri Ariſtarchi præbere conſenſum Hugoni percenſenti, Eccleſiam Latinam conſtituiſſe ſolam Hieronymianam publice legendam, ac in auctoritate habendam, opponentes, quod nullam hujuſmodi conſtitutionem Hugo citet vel proferat, nec a quo, vel quando facta ſit, indicet: modo tametſi nullum probatum Veterem a quo didicerint citent, nec proferant ubi, quando, & a quo Bibliorum mixtio facta fuerit ad præcavendum ſcandalum, nec tandem unum appellent, qui ante eorum ætatem tradiderit, ſe vel coævos aliquos habuiſſe uſum Verſionis mixtæ, adhuc pro re inconcuſſa & explorata venditarunt eorum gregalibus, qui clauſis oculis adoptarunt, neque ex probatis Theologis defuerint qui oſcitanter ad-

(a) *Horum probatiſſimorum Virorum teſtimonia habes num.* 591., *& ſeqq.*

adſtipulati fuerint. Si Hugo non citat nec profert conſtitutionem, nec a quo vel quando facta ſit indicat; illuſtriſſima tamen monumenta ſuppetunt, ex quibus liquido conſtat *primo*, quod Hieronymus reipſa novam Editionem ediderit; *ſecundo*, quod ab obitu Hieronymi Eccleſia Hieronymianam publice aſſumpſerit; *tertio*, quod ab obitu Hieronymi aduſque Hugonem conſtanter, & perpetuo univerſa Latinitas Hieronymiana uſa fuerit; ac per conſequens his omnibus ſpectatis, ſicut etiam doctrina & probitate, qua Hugo in domo Dei affulſit, imprudentis hominis eſt, ne dicam temerarii denegare Hugoni religioſam fidem; & eo vel maxime, quod inveriſimile videtur, Latinitatem tam communiter, & conſtanter adoptaſſe Hieronymianam ſine ullo Romani Paſtoris probato judicio, quod certe judicium haud dubitarem referre radicitus ad S. Damaſum, & ſolemnius vel ad Gelaſium, vel ad magnum Gregorium propter ſuperius dicta. At quis vir æquus & prudens ſuum conſenſum accommodabit Novatoribus obtrudentibus præfatam hiſtoriam mixtionis Editionum, quum nec ipſa hiſtoria, nec Auctor, a quo talis mixtio prodierit, nec Eccleſia, quæ Editionem mixtam recepit, vel fugaci aliquo antiquitatis monumento nobis illuceſcat? Ea de re Auguſtinus Steuchus, ita quemlibet patronum mixtionis Bibliorum inſectabatur (*a*). *Oſtende tu non vanas mihi proferens conjecturas, ſed vera teſtimonia producens, quomodo aliqua iſtarum Editionum* (Aquilæ, Symmachi &c.) *ſit noſtra Vulgata editio: ego veris teſtimoniis, & rationibus convincam non eſſe*. Addas, neceſſe fuit, eum, qui mixtionem hanc faceret, utque facta reciperetur, virum fuiſſe trium linguarum Hebrææ, Græcæ, & Latinæ peritiſſimum, & inſuper judicii tanti ut ſciret, & dijudicare poſſet ubi melius Aquila, ubi melius Theodotion, ubi melius Symmachus, ubi melius vetus Itala ſive Vitalis, & tandem ubi

(a) *Controverſ. ſuprac. pag.* 241. C

melius Hieronymus tranſtulerat; item fuiſſe tantæ probatæ famæ & magni nominis apud univerſam Latinitatem, quantam ſaltem Hieronymus ſibi conciliarat: agebatur enim de præferenda Editione iſtius verſioni Hieronymi, ecquis autem ſibi ſuadebit, univerſam Latinitatem judicio iſtius obſecuturam, ſi præfatos characteres in eo non deprehendiſſet? Jam vero ipſis Novatoribus incumbit nominatim appellare talem tantumque virum, qui poſt Gregorii tempora floruerit, quum ipſe de commentis illorum plene perſuaſus, confidenter repeto, præfatam mixtionis Bibliorum Hiſtoriam poſt Gregorii tempora eſſe inanem, garrulamque fabellam, unice natam ad illudendos imperitos.

671. CIRCA TERTIUM auſcultemus oportet Waltonum, utpote qui acrius moroſiuſque viſus eſt pro ejus gentilibus cantare. *Certum eſt*, inquit (*a*), *in omnibus Vulgatam* (hodiernam) *non eſſe Hieronymi .... nam in multis convenit, cum veteri Vulgata ſive Septuag., ubi verſio Septuag. ab Hebræo differt, ſæpe cum Theodotione, Symmacho, Aquila, ſæpiſſime etiam aliter habet, quam Hieronymus in Operibus ſuis vertendum cenſuit: unde puram Hieronymi non eſſe, ſed mixtam facile eſt colligere. Hieronymus ſæpius profitetur, ſe ſecundum Hebraicam veritatem tranſtuliſſe, nec verſionem LXX. ubi ab Hebræo differt probat; ſed ubique data occaſione oſtendit quantum ab Hebræo diſcrepat imo hoc ſæpe inculcat, quod ipſum primum ad novam Verſionem impelleret*, τῶν ὁ *ab Hebræo diſcrepantia. Unde vix credibile eſt ipſum alicubi ſponte ab Hebræo diſceſſiſſe, & in eundem lapidem impingere voluiſſe .... At primo ſæpe relicto Hebræo Vulgata* (hodierna) *ſequitur LXX., ut plurima loca aperte oſtendunt*, *Geneſ.* 4. 8. Egrediamur foras, *non ſunt in Hebræo, habet tamen Vulgata una cum Septuaginta. Geneſ.* 8. 7. *in Hebræo eſt*, Corvus exibat exeundo, & re-

(a) *Proleg. X. §. 9. p. 356. col. 2.*

redeundo; *at legit Vulgata cum LXX.* Egrediebatur, & non revertebatur. *Geneſ.* 4. 15. Propterea quicunque occiderit Cainum; *at Vulgata cum LXX. Symmacho, & Theodotione*, nequaquam id fiet &c. *Infinitum eſſet alia omnia recenſere ubi ab Hebræo differt Vulgata, præter codicum varietatem, Interpretis errorem, & librariorum incuriam, vel audaciam. Quædam addam, ubi Hieronymus in commentariis & tractatibus aliter ex Hebræo vertit, vel vertendum cenſet, quam in Vulgata legitur. Geneſ.* 1. 2. *legit Vulgata*, Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas; *Hieronymus Quæſt. Hebraic. docet vertendum*, incubabat. *Geneſ.* 4. 8. *legit Vulgata*, ad auram poſt meridiem; *Hieronymus vero vult legendum*, ad veſperam. *Geneſ.* 4. 4. *legit Vulgata*, & reſpexit Dominus ad Abel, & munera ejus; *Hieronymus Theodotionis verſionem præfert, qui vertit*, & inflammavit Dominus ſuper Abel, & ſuper ſacrificium ejus . . . *Sic in plurimis aliis locis affirmant Villalpandus & Pradus in Ezechielem, centum locis aliter vertiſſe Hieronymum quam eſt in Vulgata, in quibus locis Vulgata Hieronymum correxit . . . Præter hæc etiam quædam Vulgata editio addit, quæ non ſunt in Hebræo, quædam tranſponit aliter ac in Hebræo.* Hucuſque Waltonus, qui tandem prolatis quibuſdam hujus rei ſpeciminibus ita pergit: *Ex his vero aliiſque, quæ afferri poſſunt locis, Vulgatam non eſſe puram Hieronymi verſionem, ſed ex Hieronymo aliiſque maxime vero ex Vulgata veteri mixtam, patet.*

672. Quibus Waltonianis floſculis funditus refellendis non alio certe indigemus, quam ad memoriam diligenter revocare quæ alibi enucleata ſunt: quare libenter concedimus, Vulgatam hodiernam in multis, imo maxima ex parte convenire cum veteri Vulgata, ſive cum Septuaginta; at hoc ortum non eſt ex aliqua mixtione facta poſt Gregorii tempora, bene vero ex methodo, quam ſumma cum laude tenuit S. Hieronymus in ejus adornanda Verſione, quam methodum non ſemel expoſuimus, maxime num.

 125.

Digitized by Google

125. & ſeqq. ac num. *664.*, ubi ejuſdem Hieronymi teſtimoniis adfulget, ipſum non fuiſſe contentum inſpectione ſolius Hebræi Textus, ſed plurimorum quoque codicum Samaritanorum, Græcorum, & Latinorum, quibus diligenter collatis ad invicem, divino quoque dirigente Numine, eam lectionem ſelegit quam ex antecedentibus, & conſequentibus, relative ad Eccleſiaſticam Traditionem, deprehendit præ cæteris concordare cum Hebræo puro, & cum immaculata verſione Virali; ex quo evenit, quod interdum egit Interpretem, interdum Correctorem, interdum Reviſorem. Quum enim tum temporis omnia exemplaria Hebræa, Græca, & Latina corruptelis ſcaterent, idcirco Hieronymus opus habuit nec ſolis Hebræis, nec ſolis Græcis, nec ſolis Latinis codicibus ſpem ponere, aſſentiri, & habere fidem; ſed ex omnibus adcurate inſpectis & collatis ſelegit flores, ſpinas quæ irrepſerant prætermittendo; adhæſit certe fonti Hebræo, ubi majorem puritatem ſpirabat, quam Græca & Latina exemplaria; ſe coaptavit codicibus Græcis & Latinis ab Hebræo diſcordantibus, quum deprehendit corruptelas Hebræi non fuiſſe in illos transfuſas; adoptavit interpretationes Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, vel alterius, quum eaſdem novit veriores illis, quæ exhibebantur a vitioſis codicibus. Quæ quum ita ſint, cuique vel tantillum rationis habenti perſpectum ſit, præfatam mixtionem lectionum ex tot Editionibus ſelectarum, fuiſſe factam ab eodem Hieronymo; & per conſequens ex quo Vulgata hodierna ſæpiſſime convenit cum Vulgata vetere, ſive cum Septuaginta diſcordante ab Hebræo corrupto, & interdum reſpondente Aquilæ, Symmacho, Theodotioni &c. perperam, ac futiliter ob id infertur, hanc non eſſe Hieronymi, & inſuper pejori errore confugitur ad præfatam fabellam mixtionis poſt Gregorii tempora. Præterquamquod hujuſmodi variarum Editionum mixtio, non ſolum deprehenditur apud Latinum Textum, qui poſt Gregorii tempora uſurpabatur,

ſed

Digitized by Google

ſed etiam ante, ac ita & taliter ut ipſius Hieronymianæ ortum eam conſociaſſe experiatur; quod plane colligitur ex commentariis, & tractatibus illorum Patrum, qui ante Gregorium Hieronymiana uſi ſunt, citantque pleraque teſtimonia a Hieronymo tum ad fidem Hebræi noviſſime expreſſa, tum ex vetere Itala religioſe retentá (*a*). Hinc quoque vides, quam inaniter deſudarint Novatores emendicandis tot ſpeciminibus, quibus probant, pleraque reperiri in hodierna Vulgata, quæ ſpectant vel ad veterem Italam, vel ad Theodotionem, vel ad Symmachum &c.: utique allegatæ lectiones, *Egrediamur foras*, *Egrediebatur*, *& non revertebatur*, *Nequaquam id fiet* ad Viralem pertinent; aſt quomodo inde eruetur ad Hieronymum non referendas, quum vehementer faſſus fuerit ſe coaptaſſe Virali, & ea ſolummodo correxiſſe, quæ videbantur ſenſum mutare? At iſta, dices, ſecundum ſenſum opponuntur Hebræo, ſicque indubium eſt Hieronymum in ejus Verſionem poſuiſſe ut eſt in Hebræo, non autem ſecundum Septuaginta, & ut in hodierna Vulgata legitur. Verum non eſt opus, qui ſic diſcurrunt fucum nobis faciant, niſi prius evincant hodiernum Hebræum quoad dicta loca non eſſe corruptum, uti revera eſt (*b*): jure igitur

(a) *Id luculentius adparet in Textu Latino exſcripto apud Opera ejuſdem Hieronymi, Auguſtini, Ruffini Aquilejenſis, Eucherii, Leonis, aliorumque.*

(b) *Quod ut data opera demonſtretur, ſervetur ſi placebit methodus, quam nos probaturi Textum Hebræum hodiernum quoad vocem* Ipſe vel Ipſum *turbide fluere tenuimus demonſtr.* I. *Cap.* V. §. VIII., *æquum rati duntaxat peculiarem materiam hic curſim ſuppeditare. Lectioni veteris Italæ, ſive Septuag.* Egrediamur foras *ſuffragantur S. Ephrem Syrus in Cap.* IV. *Gen. Tom.* I. *p.* 41. *D. legentis:* Dixit Cain ad Abel, *eamus in planitiem. Ambroſius Lib.* II. *de Abel & Cain Cap.* VIII. *Tom.* I. *p.* 159. *B.* Eamus in campum. *Hieronymus in Cap.* LIX. *Iſaiæ Tom.* IV. *p.* 195. *G.* Abel acquievit Cain dicenti: *Tranſeamus in campum: & quamvis in Quæſt. Hebr. Tom.* III. *p.* 854. *F. dicat:* Superfluum ergo eſt, quod in Samaritanorum, & noſtro volumine reperitur, *tranſeamus in campum; hoc tamen notavit eruditionis cauſſa, attento nimirum Hebræo Textu, a quo ante Hieronymi tempora præfata verba exciderant; quod vero in ejus Verſione conſtenaverit, ex eodem Hieronymo perſpectum fit, quum inquit, ea in ſuo volu-*

gitur meritoque Hieronymus ex veteri Septuaginta retinuit præfata, & conſimilia oracula; quia ſecundum ſenſum differunt ab Hebræo depravato & corrupto, non autem ab Hebræo immaculato, cujus uſum Septuaginta habuerunt. Hieronymus profeſſus eſt ſe transferre Hebræum quem ad manus habebat, non in omnibus, ſed in quibus ex-

lumine reperiri. Prætermitto laudare teſtimonia Fraſſeni, Calmetii, Simonii, Fagii, aliorumque Hebraizantium confitentium, Hebræum Textum hoc in loco eſſe mutilum, & decurtatum. Quoad illud Egrediebatur, & non revertebatur, *Hilarius Tract. in Pſal.* CXLVI. *Tom.* I. *p.* 638. *E.* Corvum . . . cum ex arca emiſſus non rediit, meminimus. *Cyrillus Alex. Lib.* IV. *in Gen. Tom.* I. *p.* 12. *col.* 2. *D.* Miſit enim corvum ex arca, ut videret ſi ceſſaverit aqua, qui non reverſus eſt, *& pag.* 10. *col.* 1. *A.* Et aperto oſtio arcæ mittit Noe corvum, qui videret ſi jam aquæ ceſſaſſent, qui cum non rediiſſet, mittit deinde columbam. *Ambroſius Lib. de Noe, & arca Cap.* XVI. *Tom.* I. *p.* 188. *E.* Denique egreſſus corvus non revertitur ad juſtum... Non reverſus eſt, ſed remanſit, donec ſiccaretur aqua. *Item Lib. de Initiandis Cap.* III. *Tom.* I. *p.* 345. *A.* Decedente diluvio (*Noe*) corvum dimiſit prius, qui non revertit. *Chryſoſtomus Homil.* V. *in Cap.* I. *Matth. Tom.* II. *p.* 42. *B.* Cum a Noe corvus ex arca eſſet emiſſus non eſt, inquit Scriptura, reverſus donec ſiccarentur aquæ. *Hieronymus Quæſt. Hebr. Tom.* III. *p.* 855. *H.* Poſt quadraginta dies aperuit Noe oſtium arcæ, quod fecit, & emiſit corvum, & egreſſus non rediit ad eum, donec ſiccaretur aqua de terra. *Hoc ipſum affirmat Epiſt.* LVIII. *adverſ. Luciferianos Cap.* VIII. *Tom.* II. *p.* 429. *A. & in Pſal.* CXLVI. *Tom.* VII. *p.* 182. *B. Auguſtinus Lib.* I. *Locutionum de Geneſi Tom.* III. *p.* 327. *D.* Quod ſcriptum eſt, dimiſit corvum videre ſi ceſſavit aqua, & exiens reverſus non eſt. Item *Cap.* I. *in Joan. Tract.* VI. *Tom.* III. *p.* 331. Merito de arca miſſus eſt corvus, & non eſt reverſus: miſſa eſt columba, & reverſa eſt. *Noſtræ tandem Vulgatæ legenti,* Nequaquam id fiet, *non autem hodierno Hebræo ſolatium præſtant Cyrillus Alexand. in ſecundo Lib. Geneſis. Tom.* I. *p.* 4. *col.* 2. *F. Ambroſius Lib.* II. *de Abel & Cain Cap.* IX. *Tom.* I. *p.* 161. *M. Chryſoſtomus Homil.* XIX. *in Geneſ. Tom.* I. *p.* 120. *B. Hieronym. Epiſt.* CXXV. *ad Damaſ. Tom.* III. *p.* 700. *G., ubi pariter laudat Septuaginta, Symmachum, & Theodotionem eodem modo Hebræo hodierno refragantes. Quibus addas, quod Hebræus adeo hiſce verbis opus habet, ut ſenſum imperfectum redoleat. Quibus adparet hodiernum Hebræum datis in locis eſſe depravatum, & corruptum: ſi enim Moſes ita in ejus autographo ſcripſiſſet, ac teſte Waltono in hodierno Hebræo legitur, ita plane tranſtuliſſent Septuaginta Seniores, & veteres Eccleſiæ proceres legiſſent; alioquin dicendum foret, Chriſtum & Apoſtolos depravatas Scripturas tradidiſſe Eccleſiæ, quod nonniſi ſtulti, & Religionis oſores id proferre non erubeſcent.*

expediens erat & neceſſarium: nuſpiam improbavit verſionem Septuaginta uti a Senioribus editam, ſed ut repræſentabatur apud codices vitiatos, & in iis tantummodo locis, in quibus diſcordabat ab Hebræo immaculato. Quemadmodum nuſpiam ab Hebræo puro diſceſſit, ubi codices Septuaginta peccabant; ita nuſpiam Hebræum corruptum ſecutus eſt, ubi codices Septuaginta puritatem redolebant. Waltonus itaque ejuſque patroni & ſequaces non ſine eruditorum riſu cantant extra chorum, quum ſtudio probandi Vulgatam hodiernam vitiis abundare, vel non eſſe ſolius Hieronymi, infinità propemodum loca proferunt in quibus oſtendunt, Vulgatam diſcriminari ab hodierno Hebræo. Addat noſtra Vulgata permulta quæ non ſunt in hodierno Hebræo, omittat pleraque alia quæ in iſto ſunt, multa alia aliter tranſponat, quid inde? ergone in hiſce locis Vulgata erit vitioſa? ergone in hiſce locis Vulgata non erit Hieronymi? O cæcutionem eiſdem indoctis intolerabilem! diſcant ſi ignorant: Hebræus Textus, qui in omnibus codicibus hactenus impreſſis hodie ſuppetit, ex publica confeſſione Anglorum (a) innumerabiles pene errores complectitur, & quidem gravioris momenti: diſcant quoque, quod Hieronymus curis habuit reddere Textum Latinum congruentem cum Hebræo immaculato, non autem cum corrupto, & potiſſimum hodierno a Rabbinis conſarcinato: pudeant tandem noſtros pſeudo-Criticos tot graviſſimorum hallucinationum, ac anilium ineptiarum.

673. Illa confutanda ſupereſt non minus famoſa cantilena qua dicitur: hodierna Editio non eſt ſolius Hieronymi, ex eo quia aliter habet ac Hieronymus in operibus ſuis vertendum cenſuit. Ex dictis num. 581. & ſeqq. Hieronymus aliud ſecutus eſt in ejus concinnanda Verſione, & aliud in ejus operibus, ſive criticis obſervationibus; in priori caſu ſummis curis ei fuit reſtituere priſtino

(a) *Apud Oxonienſe folium, de quo num.* 415. & 464.

ſtino nitori Textum Latinum, qui a veteribus conſecratus fuerat in publicis lectionibus, diſputationibus &c.; in ejus autem obſervationibus criticis habuit docere Lectorem, quot modis apud Hebræos una vox, vel unus verſiculus explanari poſſit, & reipſa a veteribus Interpretibus redditus fuerat. Erravit itaque Waltonus cum univerſo exercitu ſuorum Auctorum & aſſeclarum, qui præfata doctrina minime intellecta, vel oblivioni tradita, progreſſi ſunt ex quibuſdam lectionibus, quas Hieronymus laudat in ejus operibus, & aliter in hodierna Vulgata leguntur, ad argumentandum, Vulgatam ſæpiſſime aliter habere, quam Hieronymus in operibus vertendum cenſuit, ſicque eandem ſoli Hieronymo minime tribuendam (*a*). Quod certe tam manifeſtum peccatum ex eiſdem Hieronymianis locis, ad quæ in præſentia provocamur, lubet oſtendere, ac eiſdem etiam adverſariorum armis veritatem munire. Hieronymus itaque ſuper illud Vulgatæ, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas hæc habet* (*b*) *: Pro eo, quod in noſtris codicibus ſcriptum eſt* ferebatur, *in Hebræo habet* merahefeth, *quod nos appellare poſſumus*, incubabat, *ſive* confovebat, in *ſimilitudinem volucris ova calore animantis. Ex quo intelligimus, non de ſpiritu mundi dici, ut nonnulli arbitrantur, ſed de Spiritu Sancto, qui & ipſe vivificator omnium*

(a) *Ex hoc manifeſto præjudicio non diſtinguendi, vel non diligenter commendandi memoriæ diverſam agendi rationem, quam tenuit Hieronymus in concinnanda Verſione, atque in aliis ejus operibus, prodierunt tot impudentes gerræ & iniquæ ſtrophæ, quibus Eraſmus, Joannes Clericus, Riccardus Simonius, aliique naſuti homines calumniantur Hieronymum, quod nimirum non ex animi ſententia, ſed ut invidiam detractorum amoliretur, in ejus adornanda Verſione adhæſit Septuaginta, affirmans fuiſſe Spiritu Sancto repletos, quum in commentariis eoſdem Septuaginta reprehendat; quod ſibi paſſim contradicat adoptans in ejus Verſione, quod in commentariis diſerte reprobat; quod ubi in ejus Verſione ſtuduit placere Theologis rerum bonarum imperitis, in ejus commentariis multum tribuit Judæis, ac ſacræ criticæ; quod uſus fuerit ea dialectices regula: inter diſputandum aliter, & aliter loquendum; & alia id genus ſebricitantium deliria.*

(b) *In Quæſt. Hebr. Tom.* III. *p.* 853. C.

omnium a principio dicitur. Quibus diligenter conſideratis, quorſum Hieronymus cenſet vertendum fore *incubabat*, & non *ferebatur* ? quorſum eruitur in ejus Verſione poſuiſſe *incubabat* , & rejeciſſe *ferebatur* ab anterioribus , & poſterioribus eccleſiaſticis viris conſtanter lectum (*a*) ? ſi inquit, *in noſtris codicibus ſcriptum eſt* ferebatur , plane in ejus Verſione non *incubabat*, vel *confovebat* , ſed *ferebatur* exaravit : ſi tradit quod in Hebræo legatur *merahefeth* , quod hæc vox Hebraica interpretari poſſit *incubabat* , ſive *confovebat in ſimilitudinem volucris &c.* , quod ex hujuſmodi interpretatione intelligamus illam vocem *Spiritus* , referendam eſſe non ad Spiritum mundi , ſed ad Spiritum Sanctum, patenter adfulget , hæc animadvertiſſe non ad finem detrahendi voci *ferebatur* , ſed ut deſuper intellectum hujus vocis eruditum redderet Lectorem. Quoad ſecundum *Ad auram poſt meridiem* ita pergit (*b*): *In pleriſque codicibus Latinorum , pro eo quod hic poſuimus* ad veſperam poſt meridiem *habet : quia* τὸ διειλινὸν to dieilinon *Græcum ſermonem ad verbum transferre non poſſumus: pro quo in Hebræo ſcriptum eſt* larvah hajom , *quod Aquila interpretatus eſt* ἐν τῷ ἀνέμῳ τῆς ἡμέρας en to anemo tes hemeras : *ideſt* in vento diei. *Symmachus vero* διὰ πνεύματος ἡμέρας dia pneumatos hemeras : *ideſt* per ſpiritum diei. *Porro Theodotion manifeſtius* ἐν τῷ πνεύματι πρὸς κατάψυξιν τῆς ἡμέρας , en to pneumati pros Katapſixin tes hemeras , *ut meridiano calore tranſacto* , *refrigerium auræ ſpirantis oſtenderet*. Ex quibus propriis oculis intueris nullimode colligi id quod divinat Waltonus, nimirum, Hieronymus in ejus verſione *poſuit ad veſperam* , tum quia idem Hieronymus expreſſe notat id unice conſignaſſe in hoc ejus commentario : *hic*, inquit, *poſuimus ad veſperam* ; tum quia manifeſtiorem cenſet eſſe interpretatio-

(a) *Horum loca , & teſtimonia laudavimus num.* 356.
(b) *Loco nuper cit. litt. H.*

Digitized by Google

nem Theodotionis, quæ ſuffragatur non *ad veſperam*, ſed *ad auram poſt meridiem*, *ut meridiano*, ſubdit, *calore tranſacto*, *refrigerium auræ ſpirantis oſtenderet*; tum tertio, Veteres qui Hieronymiana uſi ſunt conſtanter legunt, ut eſt in hodierna Vulgata (*a*); nulli ergo dubium, quod lectio hodiernæ Vulgatæ profecta ſit ab eodem Hieronymo, & quod non alio ſcopo referat quid habeatur apud Hebræum, quid interpretatum fuerit ab Aquila, quid a Symmacho, quid a Theodotione, & quantum tandem difficilis ſit translatio Græci ſermonis ad verbum, niſi ut Lectorem inſtruat. Ad illud tandem, *Reſpexit Dominus ad Abel*, hæc Hieronymus habet (*b*): *Unde ſcire poteras Cain, quod fratris ejus munera ſuſcepiſſet Deus, & ſua repudiaſſet, niſi illa interpretatio vera eſſet quam Theodotion poſuit:* Et inflammavit Dominus ſuper Abel, & ſuper ſacrificium ejus, ſuper Cain vero, & ſuper ſacrificium ejus non inflammavit? *Ignem autem ad ſacrificium devorandum venire de cælo, & in dedicatione Templi ſub Salomone legimus, & quando Elias in monte Carmelo conſtruxit altare*. Hieronymus itaque totus incubuit intellectui illius vocis *Reſpexit*, quæ ſecundum Theodotionem complectitur ſignum, quo Cain novit Deum ſuſcepiſſe munera fratris ejus, & ſua repudiaſſe propter ignem cælitus miſſum, atque devorantem munera Abelis, & non ſua. Ea de re ſubdit (& quidem per augurium adverſus Lutherum & Calvinum amandantes hujuſmodi miraculum ad fabellas Judæorum) idipſum accidiſſe in dedicatione Templi ſub Salomone, & in monte Carmelo; ac per conſequens hoc pariter in loco Hieronymus unice tendit ad erudiendum Lectorem, non au-

tem

(a) Ad auram poſt meridiem *legunt S. Eucherius Comment. in Geneſ. num.* 27. *p.* 19. *S. Iſidorus in Geneſ. cap.* V. *p.* 418. *col.* 2. *G. Ven. Beda cap.* III. *in Gen. Tom.* IV. *col.* 35. *S. Bruno Aſtenſis in Pentateuc. p.* 7. *col.* 2. *Rupertus in Gen. Lib.* III. *Cap.* XIII. *p.* 41. *col.* 1.

(b) *Loco cit. p.* 854. *D.*

Digitized by Google

tem ad præferendam interpretationem Theodotionis *inflammavit*, interpretationi Septuaginta *reſpexit*: quam quidem vocem idem Hieronymus loco Textus Scripturæ ibidem laudat, omneſque Veteres, quibus Hieronymiana fuit in uſu, citant (*a*). Sicque ex eiſdem adverſariorum cavillis ſplendidius apparet, quantum aberrarint a ſcopo, quantumque eos fugerit id quod hoc in rerum themate eſt ſcitu neceſſarium.

674. Jam vero unde exivimus redeundo, niſi me omnia fallunt, arbitror, radicitus datam adſertionem ſolidaſſe ac eviciſſe primorum Novatorum profanitatem, extirpato nimirum eo commento quo dicitur: hodierna Vulgata editio non eſt ſolius Hieronymi, ſed repræſentat imaginem illius Editionis, quæ poſt tempora Gregorii Magni ex plurimis conflata fuit. Reor inquam benevolum Lectorem ſatis intellexiſſe, id non aliter a primis Novatoribus ingeſtum apud imperitos, quam artificio multorum mendaciorum, fabellarum, ac fallaciſſimarum conjecturarum; ſicque noſtra vulgata Editio juſſu Sixti V. correcta, ac auctoritate Clementis VIII. edita, eſt illa prorſus eadem quam Hieronymus in conſummatione adornavit.

675. *Dices*. Per calumniam primis Novatoribus adfigis quod etiam a permultis Romanenſibus Theologis, & quidem primi ſubſellii, agnitum eſt pro vero, ſuoque calculo comprobatum. Namque præter Sanctem Pagninum, & Paulum Epiſcopum Foroſempronianum, qui hodiernam Editionem abſolute abjudicant Hieronymo, Joannes Driedo Lib. II. de Eccleſ. Dogmat. cap. I. propoſit. I. & II., Sixtus Senenſis Lib. VIII. Biblioth. Sanctæ, Bellarminus

(a) *Vocem* reſpexit *adhibent Eucherius cit. nu.* 32. *p.* 23. *Gregorius Magn. Lib.* XXIII. *Moral. Cap.* VIII. *Tom.* II. *col.* 571. *F. Bruno Aſtenſis cit. p.* 9. *col.* 1. *Rupertus cit. Lib.* IV. *Cap.* II. *p.* 52. *col.* 1. *Hugo a S. Victore in Geneſ. Cap.* VII. *Tom.* I. *p.* 13. *col.* 1. *B. D. Bonaventura Lib.* II. *ſent. diſt.* XXIX. *art.* I. *q.* 2. *Tom.* IV. *p.* 363. *col.* 2.

Lib. II. de Verbo Dei cap. IX., Serarius Prolog. cap. XIX. quæſ. IV. Fortunatus Fanenſis Præfat. ad ejus Biblia, Claudius Fraſſenus Diſquiſit. Biblic. Lib. II. cap. VI. §. II. Natalis ab Alexand. Seculo IV. Hiſt. Eccleſ. Differt. XXXIX. att. IV., Gaſpar. Juenin diſſert. IV. de Loc. Theol. cap. VII. art. III. §. II., Bernardus Lamy in Appar. Bibl. Lib. II. cap. XI., Vincentius Gotti de Verit. Relig. Chriſt. Tom. II. cap. VII. §. I., omneſque ferme Recentiores pontificii communiter volunt, quod poſt obitum Hieronymi aduſque Gregorium magnum, tam vetus quam nova Editio fuerit in uſu, & hodiernam Editionem eſſe mixtam. Præ cæteris autem memorandus venit celeberrimus Baronius, qui ad an. Chriſti 231. n. 45. tradit, quod Hieronymiana fuit magno cum honore introducta, veteri tamen non exploſa; n. 46., quod D. Gregorius utraque uſus fuit; num. 47., quod poſt Gregorii tempora occaſione extirpandi diſſentiones ac contentiones exortas, divino afflante Numine proviſum fuit, ut una ex duabus conflaretur, inſignita nomine *Vulgata*, quam profecto habemus; tandem n. 48., facta mentione hujus controverſiæ ita concludit: *ſed illi mea ſententia ſcopum veritatis attigiſſe noſcuntur*, *qui* (Vulgatam hodiernam) *ex utraque* (nova & veteri) *mixtam eſſe dixerunt*. Huic igitur tam receptiſſimæ opinioni quum refragaris, inſultes neceſſum eſt, non tantum auctoribus Reformatæ Religionis, ſed etiam univerſitati Cl. Doctorum de Romana Eccleſia benemeritorum.

Contra. Id unum ſcio, quod ineunte quintodecimo ſeculo una cum aliis primorum Novatorum dicteriis, & hoc aliud ſuſcepiſſe exordium, tametſi paulatim non tantum a Sectariis, ſed a quibuſdam etiam Hebraiſtis catholicis receptum pervulgatumque: cæterum adverſus nudam veritatem mendacia quantumvis recepta, & graviori Doctorum obnoxiorum periculo errandi calculo comprobata, nullius penitus ſunt roboris, quinimmo fœdiora evadunt, ac ardentiori zelo reiicienda & damnanda ab iis, qui proprio & non alieno judicio

res

Digitized by Google

res profitentur penſitare: quum ergo primorum Novatorum aſſertionem de hodierna Editione mixta, ex his quæ cumulate protulimus, adpareat eſſe purum putumque commentum, nihil certe refert, quod præfati aliique DD. Catholici, licet abſimili conſilio, eodem confluxerint; & maxime quod ex eorundem ſcriptis liquet, ſummatim & quaſi obiter de hujuſmodi controverſia ipſos egiſſe, ut intueri eſt n. 548. & ſeq. *Præterea*, hoc intereſt diſcrimen inter veram Chriſti ſponſam & adulteram, ſive inter Eccleſiam Romanam & Acatholicam quoad auctoritatem ſuorum Doctorum, quod Romana omnes veritates ad fidem & mores proxime vel remote ſpectantes, vix inchoative & diſpoſitive repetit ex ſuis Doctoribus, complete tamen & perfecte ab eodem Chriſto, qui eſt auctor veritatis & fundamentum Eccleſiæ, cujus revelatio nobis innoteſcit mediante Concilio Œcumenico, vel Romano Paſtore ex Cathedra loquente. Acatholica autem Eccleſia ex quo receſſit ab obedientia Romani Paſtoris, ex tunc amiſit ducatum Chriſti, omnem fidem alligans ſuis Doctoribus, qui ei ſuaſerunt haud Romano Pontifici obtemperandum; ſicque quidquid de rebus pertinentibus ad fidem & mores iſta credit, vel tenet, adæquate & complete ex ſuis Doctoribus venatur. Ex quo fit, quod ſicut auctoritas Reformatæ Eccleſiæ alia non eſt, quam auctoritas ſuorum DD. aſtruentium falſam Chriſtianam libertatem, ita quidquid in rebus Religionis iſti ſentiendum propinant, id ea ſentire cenſetur. Et quoniam apud Eccleſiam Romanam auctoritas dijudicandi res proxime vel remote pertinentes ad fidem & mores, unice reſidet in Concilio Œcumenico vel in Romano Paſtore loquente ex Cathedra, idcirco quantumvis ejus DD. aliquid probent vel reprobent, niſi accedat auctoritas Concilii Œcumenici, vel Romani Paſtoris, vix probabilitatem pariunt, & aliis Doctoribus Catholicis (in quorum album abſit nomen meum inſcribam) lata manet via eundi in oppoſitam ſententiam: ſicque conſenſus præfatorum alio-

rum-

rumque Theologorum opinantium, Vulgatam hodiernam eſſe mixtam ex veteri Itala & Nova Hieronymi, negotium nullimode nobis faceſſit: & eo vel maxime, quod nuſpiam defuerunt alii non minus docti Theologi, qui ſolatio nobis ſunt, ut videre eſt num. *666.*

676. Inſtabis. At Romana Eccleſia ſatis ſuperque teſtatur, hodiernam Editionem eſſe mixtam: *Qui namque*, ita legitur in Præfatione juſſu Clementis VIII. præfixa Clementinis Bibliis, *in ea Libri continentur .... partim ex S. Hieronymi translatione, vel emendatione ſuſcepti; partim retenti ex antiquiſſima quadam editione Latina, quam S. Hieronymus communem & Vulgatam, S. Auguſtinus Italam, S. Gregorius veterem translationem appellat*.

Contra. Laudata Præfatio non modo teſtatur, quod Libri, qui in hodierna Editione continentur, partim ſuſcepti ſint ex translatione S. Hieronymi, & partim retenti ex veteri editione Latina, ſive Itala; ſed inſuper fert, quod ii qui nongentis antea annis in Eccleſia floruerunt, ita S.Hieronymi verſione uſi ſunt, ut cæteræ penitus obſoleverint: quæ duo, ut cuique viro docto perſpectum eſt, nulla alia lege verificari poſſunt, ſimulque ſtare, niſi dicendo, quod idem Hieronymus pleraque ex Hebræo & Græco noviter verterit, & multo plura ex veteri Editione retinuerit; quod quidem ex dictis veriſſimum eſt, & a majoribus quaſi per manus nobis traditum; ex quo poſtea putamus recte colligi, hodiernam Editionem totaliter & integre eſſe Hieronymi, vel qua Interpretis, vel qua Correctoris, vel qua Reviſoris: ſemel autem ſtatuto, quod hodierna Editio ſit imago illius quæ poſt Gregorii tempora conflata fuit ex veteri & nova, nullimode verificatur quod ii, qui floruerunt poſt præfatam mixtionem uſi ſint verſione Hieronymi, ſed potius Editione illius vel illorum Auctorum, qui præfatæ mixtioni incubuerunt. Ii itaque Catholici, quibus ſtudio eſt non pro more Hæreticorum iniquam navare operam emendicandis cavillis & contradictionibus in

ipſiſ-

ipſiſmet Spiritus S. oraculis, apud SS. Patrum opera, ac Eccleſiaſticas ſanctiones, ſed exemplo majorum ea quæ ſpecie tenus opponuntur ad invicem diligenter conciliare, opus eſt fateantur, laudatum teſtimonium Præfationis hoc modo intelligendum. Licet Libri, qui in hac noſtra Editione juſſu Sixti V. recognita &c. continentur, partim recepti ſint ex translatione Hieronymi, partim retenti ex veteri Itala, ipſe autem Hieronymus, de cujus eximia doctrina & ſanctitate multa extant veterum DD. egregia teſtimonia, in unum eoſdem Libros collegit; unde factum eſt, ut hujuſmodi Hieronymiana editio fuerit cæteris omnibus antepoſita, ab Eccleſiis Chriſtianis communiter recepta, & ii qui his undecim ſeculis floruerunt, ita hac editione S. Hieronymi fuerint uſi, ut cæteræ, quæ pene innumerabiles erant, quaſi lapſæ de manibus Theologorum obſoleverint.

677. Qui tandem abundabit otio intelligere poterit alias rationes, quibus Steuchus, Salmeron, Dominicus Gravina, aliique Theologi veritatem noſtræ aſſertionis commonſtrant, nimirum ex Præfationibus quas Hieronymus ejus Libris editis præfixit, quæque apud codicem hodiernæ Vulgatæ leguntur; ex innumerabilibus pene locis ab eodem Hieronymo ad fidem Hebræi vel Græci Textus correctis, & in hodierna Vulgata fideliter extantibus; ex veteribus Eccleſiaſticis viris a quibus quaſi per manus hodiernam Vulgatam accepimus, quique perpetuo teſtantur, eam fuiſſe a Hieronymo ordinatam; ex peculiari linguarum peritia, ex abundanti diſciplinarum copia, ex ſingulari cœleſti miſſione Scripturis reparandis, quibus Hieronymus cunctis veteribus antecellit, & ex conſimilibus, a quibus brevitati, quam ſpopondimus, ſtudentes abſtinemus.

§. III.

§. III.

Adverſariorum momenta ad trutinam revocantur.

678. *Objicies I.* Quod hodierna Editio ſit illa prorſus eadem quoad ſingulas ſententias & verba, quam Hieronymus in conſummatione edidit, ac Eccleſia Occidentalis adoptavit, magnum videtur eſſe paradoxum, intellectu difficile, ac penitus incredibile; quamvis fuerit correcta ad fidem vetuſtiſſimorum Latinorum codicum, atque ita maxima ex parte Hieronymianam editionem repræſentet, quis tamen adeo bonus qui ſibi facile ſuadeat, Romanos Correctores tam exacto judicio fultos, ut ex tot codicibus injuria temporum, Scribarum oſcitantia, & ingeniolorum temeritate depravatis, ſemper & infallibiliter ſelegerint eas ſententias & verba, quæ fuerunt a Hieronymo deſcripta, nuſpiam a ſcopo deviantes? nonne hoc erit aliud divinari miraculum ex æquo mirabile ac patratum in Eſdra, in Septuaginta Senioribus, ſive etiam in Hieronymo? quis unquam cogitavit, vel fando auſcultavit Romanis Correctoribus divinum Numen adſtitiſſe? Neque dicas, id accidiſſe ob exquiſitam collationem plurimorum codicum melioris notæ; quandoquidem miſſis aliis quæ proferri poſſent, id unum videtur decretorium, quod ſicut non repugnat, ut lectio aliqua adſcititia fuerit apud vetuſtos codices magis propagata, quam genuina, ita nulla eruitur repugnantia, qua Correctores interdum erraverint præ genuina deligentes adſcititiam. *Præterea*, quod Romani Correctores ſub Sixto V. reipſa errarint facto conſtat, quia poſt Sixti mortem vix elapſo biennio Clemens VIII. novam Editionem excudit, caſtigans errores in Sixtina deprehenſos, ſubdens in ejus Præfatione, alia menda ſupereſſe corrigenda: jam vero hujuſmodi ſententiæ atque verba Sixtinæ editionis, quæ reapſe ſub Clemente emendata fuerunt, & alia emendanda ſuperſunt, fuerunt ne genuini fœtus Romanorum Correctorum

rum ſive Sixti Pontificis, vel ipſius Hieronymi? ſi primum, ergo Romani Correctores reipſa aberrarunt in colligendis ſententiis, & vocibus a Hieronymo deſcriptis, & per conſequens hodierna Editio non eſt ea penitus, quam Hieronymus edidit: ſi ſecundum, ergo ejuſdem Romani Pontificis teſtimonio & facto eruitur, Hieronymum in ejus Verſione conſummative accepta reliquiſſe errores.

679. ***Reſpondetur***. Diſt. propoſitionem, magnum videtur eſſe paradoxum, intellectu difficile, ac penitus incredibile &c. ſpectatis nudis humanis præſidiis, & adminiculis ab Apoſtolica S. Sede, tanquam neceſſariis diſpoſitionibus in negotio correctionis adhibitis, *eſto*; ſpectata quoque ſuprema poteſtate, qua mediante eadem Apoſtolica S. Sedes fruitur peculiari Spiritus S. aſſiſtentia, ne erret in dignoſcendis ſcripturis germanis ab adſcititiis, *denegatur*. *Non eſt*, probe monuit S. Hilarius (*a*), *humano, aut ſeculi ſenſu in Dei rebus loquendum*, alioquin nihil certi habebimus de Chriſtiana Religione, quæ eſt divinitus revelata, ſupernaturali fundamento nixa, cujuſque cardines humanum captum ſuperant. Ea de re licet ſeculi ſenſu loquendo videatur intellectu difficile, ac prorſus incredibile, quod Romani Patres ab Apoſtolica S. Sede delecti valuerint vi humani criterii quantumvis exacti vitare omnem penitus humanum defectum & errorem in ſeligendis ſingulis ſententiis & verbis vulgatæ Hieronymi, rejectis e contrario omnibus locis vitiatis; quia tamen ex dicendis Demonſtratione ſequenti, Apoſtolica S. Sedes quoad dijudicandas Scripturas veras ab adſcititiis, peculiari Spiritus S. aſſiſtentia gaudet, idcirco apud eos ſolummodo, qui humano & ſeculi ſenſu loquuntur, hujuſmodi privilegio ejus refragantur, ac magnum eiſdem videtur paradoxum, inveriſimile, & incredibile, quod hodierna Clementina edi-

(a) *Lib. VIII. de Trinit. Tom. II. col. 223. B.*

Digitized by Google

tio quoad ſingulas ſententias & verba ſit illa prorſus eadem, quam Eccleſia a D. Hieronymo accepit. Secus autem qui recordantur eorum, quæ in ſuſceptione ſacroſancti Baptiſmatis credere ac tenere in faciem Eccleſiæ jurarunt, & captivant juxta documentum Apoſtolicum proprium intellectum in obſequium fidei. Hinc de aliis, quæ in priori argumento delibantur, opportunius edifferemus n. 755. & 756., ſicut cap. II. Demonſtr. tertiæ enudabimus falſas præconceptiones, quibus laborat ſecundum argumentum. Tribus Proteſtantibus Thomæ Jameſio, Sixtino Amamæ, Waltono, horumque aſſentatoribus ſive imperitia, ſive malitia arriſit tria perperam præſupponere: *primum*, quod errores ſive menda, quibus ſcatent Sixtina impreſſa an. 1590., non vitio præli, ſed ejuſdem Sixti Pontificis in ea irrepſerint; *ſecundum*, quod Papa Clemens reipſa agnoverit Sixtum V. in correctionis negotio erraſſe, & de conſequenti ſubſtituiſſe voces ſive ſententias diverſas ab iis, quas Sixtus delegerat; *tertium*, quod iſta verba Præfationis Bibliorum Clementis; *in hac tamen pervulgata Lectione, ſicut nonnulla conſulto mutata, ita etiam alia quæ mutanda videbantur, conſulto immutata relicta ſunt*, manifeſte teſtentur, in eadem Clementina Editione reipſa ſupereſſe menda corrigenda. Quum vero ex his quæ capite ſecundo ſequentis Demonſtrationis affatim reponentur, arbitremur, fore ut harum præſuppoſitionum falſitas, cuique partium ſtudiis non abrepto luce clarius illuceſcat, idcirco ad longitudinem vitandam hic ſatis habemus dicere: quod in hodierna Clementina Editione (demptis mendis mere typographicis) nullus penitus ſupereſt locus emendandus; *item*, ſententias & verba vitioſa, quæ habentur in Sixtinis Bibliis impreſſis irrepſiſſe vitio præli, & per conſequens ſi non ſunt fœtus Hieronymi, neque Sixti V., ſive R. R. Correctorum perperam infertur, vel quod Apoſtolica S. Sedes in ſeligendis ſententiis & vocibus a Hieronymo deſcriptis reipſa aberrarit, vel quod S. Sedis teſtimo-

monio & facto conſtet Hieronymum erraſſe.

680. *Objic. II.* Veteres communiter tradunt, Hieronymianam eſſe interpretationem ex Hebræo: *Presbyter*, ſcribit Auguſtinus Lib. XVIII. de Civit. Dei Cap. XLIII., *Hieronymus . . . ex Hebræo in Latinum divinas Scripturas convertit*. Et Lib. IV. de Doct. Chriſt. Cap. VII. Non alio nomine Hieronymianam indigitat, quam verſionem ex Hebræo. Ante Auguſtinum Ruffinus Aquilejenſis teſtatur Præfat. in Comment. Oſeæ, ſe prælegiſſe editionem Hieronymi, *quæ*, inquit, *ſecundum Hebræum appellatur*. Caſſiodorus de divinis Lection. Cap. XXI. fatetur, Hieronymum tam bene ſe præſtitiſſe in translatione Hebræi Textus, ut ad iſtum non egeamus accedere. Iſidorus Lib. VI. orig. Cap. III., quod Hieronymus tantummodo ſacras Scripturas ex Hebræo convertit. Gemina habent Gregorius Magnus, Vener. Beda, Rabanus Maurus, Hugo a S. Victore, ac univerſa ferme antiquitas; & per conſequens ſicut gratis obtruditur excogitata doctrina de Hieronymo Interprete, Correctore, & Reviſore, ita peſſum it aſſertio de omnimoda identitate hodiernæ Editionis cum Hieronymiana.

Reſp. Diſtinguo aſſumptum: Veteres communiter tradunt, Hieronymianam eſſe translationem ex Hebræo, in quantum præ cunctis aliis Latinis verſionibus, quæ antiquis temporibus circumferebantur, ea ſola ornata fuerit ad fidem Hebræi, *concedo;* in quantum complectatur omnes ſingulaſque ſententias & voces noviter a Hieronymo ex Hebræo interpretatas, *denegatur*. Jure merito a Veteribus Hieronymiana inſignita fuit nomine *verſio ex Hebræo*; quandoquidem ubi cunctæ aliæ editiones Latinæ, quæ tunc circumferebantur, digeſtæ fuerant ab Interpretibus vix peritis linguæ Latinæ & Græcæ, atque ita ineptis ad caſtigandos errores, qui irrepſerant in omnes ſinguloſque codices Græcos & Latinos; ſola Hieronymiana utpote appenſa etiam ad lancem Hebræi fontis, ideo nonnullis in locis ad fidem ejuſdem elucidata fuit, & caſtigata. Quod vero

Digitized by Google

non eo ſenſu Veteres appellarint Hieronymianam, Verſionem ex Hebræo, perinde quaſi Hieronymiana contineret ſingulas ſententias & voces noviter ex Hebræo a Hieronymo interpretatas, ex dictis abunde liquet, potiſſimum num. 126. & ſeqq. 664. 672. & alibi; ſicque ex nomenclatura, quam apud Veteres Hieronymiana obtinuit, perperam infertur, quod Hieronymus unice Interpretem egerit. *Addas*, quod hoc quoque pacto uſus invaluit inter Recentiores appellare Latina Biblia Xantis Pagnini, Munſteri, Tigurinorum, Caſtalionis, Ben.Ariæ Montani, Tremellii, Piſcatoris, Sebaſtiani Schmidii, aliorumque, Verſiones ex Hebræo, tametſi multo plura ex vetere Latina Editione, quam ex hodierno Hebræo noviter Latino ſermone reddita repræſentent; *item*, licet Auguſtinus (*a*), Hieronymianam editionem Novi Teſtam. appellet *interpretationem* ex Græco, eodem tamen Hieronymo teſte, Recentioribus communiter plaudentibus conſtat, potiori jure *emendationem* eſſe, & nuncupandam (*b*): nihil itaque mirum, ſi Hieronymiana dicta fuerit Verſio ex Hebræo, tametſi Hieronymus non ſemper egerit Interpretem ex libatis n. 664.

681. *Objic. III.* Sixtus V., & Clemens VIII. ſtuduerunt emendationi illius Vulgatæ, quam PP. Tridentini adprobarunt; atqui ex verbis decreti Concilii Tridentini nullimode eruitur vulgatam Hieronymi fuiſſe probatam: ſiquidem ibi vix ſermo fit de veteri vulgata Editione, nec facile intelligitur, cur nulla in præfato decreto facta fuerit mentio Hieronymi vel Hieronymianæ in hypotheſi, quod huic Patres cogitarint ſuffragari: atque ideo hodierna Editio non eſt ea quam Hieronymus edidit.

Reſpond. Concedendo major. & diſt. min. Nullimode eruitur expreſſe, *eſto*; implicite, *denegatur*. S. Synodus eam

(a) *Epiſt. LXXI. alias X. ad Hier. Tom. II. col. 161. C.*
(b) *Nulla penitus inter iſtos Hebraiſtas, & Hieronymum inſtituenda comparatio propter dicta num. 623.*

eam ſane veterem vulgatam Editionem adprobavit, de qua inquit: *quæ longo tot ſeculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus;* at ex nuper dictis conſtat, per undecim ſecula ante Concilium; Hieronymianam fuiſſe in Eccleſia probatam in publicis lectionibus &c.; conſectarium itaque eſt, quod Hieronymiana fuerit in Concilio conſecrata. *Item*, in Conſtitutione Sixti V., & in Præfatione Bibliorum Clementis VIII. non tantum proditur, ſcopum Apoſtolicæ S. Sedis collimaſſe ad reſtituendam priſtino nitori eam veterem Editionem, quam Concilium probarat, ſed inſuper magnis laudibus Hieronymus & Hieronymiana commendatur (*a*); at fruſtra, & præter rerum ordinem tot laudes in gratiam Hieronymi, & Hieronymianæ editionis ibi congeſtæ fuiſſent in hypotheſi, quod Editionem aliam a Hieronymiana vel Concilium probaſſet, vel Apoſtolica S. Sedes caſtigaſſet, & impreſſiſſet. *Item*, quis ſibi ſuadebit Auguſtinum Steuchum, qui pro aris & focis noſtram aſſertionem defenſavit, neglexiſſe in Concilio Tridentino cui interfuit veritatem exponere. *Item*, Alfonſus Salmeron, qui pariter in eodem Concilio magnum ſibi nomen peperit, hæc teſtatur (*b*): *Poſtremo acceſſit Concilii Tridentini approbatio; quod videns noſtri ſeculi Hæreticos palam contemnere Vulgatam, ſive veterem Hieronymi editionem, novaſque pro ſuo arbitratu quemque producere, tale condidit decretum:* Inſuper eadem S. Synodus &c. Et iterum (*c*): *Non potuit tantus error permitti in Eccleſia, ut ejus* (Hieronymi) *præfationes, alterius Editioni præponerentur*. Et tandem, in decreto ideo nulla fit expreſſa mentio Hieronymi & Hieronymianæ, in quantum

(a) *Hujuſmodi teſtimonia deſcripſimus num.* 595.
(b) *Proleg. III. p.* 24. *col.* 1.
(c) *Pag.* 27. *col.* 1.

Digitized by Google

tum ſcopus Concilii erat ſimpliciter proſpicere neceſſitati Eccleſiæ, quæ tot novis Editionibus agitabatur, ſicut etiam coercere profanitatem Hæreticorum ex dictis n.535. ſtrepentium: *Rejectis omnibus Editionibus quibus Eccleſia hactenus uſa eſt, novis Editionibus ut certioribus, ac fidelioribus utendum*, abſtinens idem Concilium verba facere de Hieronymo & Hieronymiana, ne tricis Novatorum ſine ulla neceſſitate majores ſcintillas & fomenta miniſtraret: habens pro æquo proferre illa verba, *quæ longo tot ſeculorum uſu &c.*, ex quibus unuſquiſque vir cordatus ſponte ſua intelligit, Hieronymianam, quam tot ſecula conſecrarunt, fuiſſe unice probatam. *Reſtauratur*, Hæretici ſub iniquo velamento, quod Hieronymus non ſemel in ejus Verſione erravit, & quod ejuſdem Verſio injuria temporum, aliiſque paribus cauſis varias interpolationes ac mixtiones ſubierat, ſeducebant Chriſti plebem dicentes: novis Editionibus utendum; jure ergo atque rectiſſimo conſilio S. Synodus flocci fecit mentionem habere de his aliiſque decipulis & prætextibus, ſatis habens ſub anathematis pœna graviter præcipere, veteri vulgatæ Editioni perpetuo ſtandum: & maxime quod hance ſuccinctam agendi rationem in aliis conficiendis decretis generatim tenuit, unice attendens ad ſummam rerum, non ad infringendas cavillationes argumentorum, quibus jurgia & contentiones multo magis foventur, nutriuntur, & propagantur.

682. *Objic. IV.* cum Waltono Proleg. X. §. 9. . *Certum eſt Pſalmorum librum in Vulgata non eſſe ex Hieronymi verſione ex Hebræo . . . ſed eſſe ex antiqua Verſione ſecundum Luciani Martyris emendationem . . . quia vero pſalmos ex quotidiano uſu, &c. quia in templis quotidie decantati . . . etiam vulgus memoriter tenebat, itaut mutatio ſine gravi offenſa populi fieri non poſſet, ideo pſalmi in vulgata ſecundum antiquam Editionem retenti:* ac per conſequens hodiernum Pſalterium non eſt Hieronymi.

Reſp. Licet Pſalterium hodiernæ Editionis non ſit illud,

lud, quod Hieronymus ad fidem Hebræi interpretatus fuit, perperam tamen infertur non eſſe Hieronymi, ſive eſſe illud quod ante Hieronymum in Eccleſia legebatur. Verum enim vero ipſe quoque Waltonus (a) præeunte Ven. Bellarmino fatetur: *Quater* (Hieronymus in Pſalterio) *laboravit. Primo, ex Hebræo in Latinum vertit, ut in Epiſt. ad Sophronium legimus: & hæc ejus Verſio inter opera ejus extat. Secundo, ex editione Græca, quæ in Exaplis erat ſincera, & incorrupta . . . . . Tertio, ex præfatione Pſalterii ad Paulam, & Euſtochium, & Epiſt. ad Sophronium conſtat ipſum bis emendaſſe* (Pſalterium) *ex editione Lucianea, quæ Vulgata, & communis dicta eſt.* Erravit igitur quum hoc in loco inquit, *Pſalmorum librum in Vulgata . . . eſſe ex antiqua Verſione ſecundum Luciani Martyris emendationem*, recedens a Bellarmino probe docente (b): *Pſalterium vulgatæ editionis Latinæ non eſt illud, quod D. Hieronymus tranſtulit ex Hebræo, neque illud quod tranſtulit ex verſione Græca ſeptuaginta Interpretum, ſed illud quod ipſe emendavit, translatum ab antiquo Interprete ex editione S. Luciani Martyris.* Pſalterium itaque hodiernæ Editionis non eſt purum Lucianeum, ſed ut a Hieronymo emendatum. Ad illud quod mutatio Pſalterii fieri non poterat ſine gravi offenſa populi, qui Pſalterium vetus quotidie canebat, ac memoriter tenebat: iſthæc ſane conjectatio alicujus ponderis eſſet, ſi factum non evinceret oppoſitum: inſipientis eſt emendicare rationes contra id, quod facto conſtat: porro quod Romana Eccleſia reipſa detulerit ad publicum uſum Pſalterium Lucianeum a Hieronymo emendatum, non eſt ut revocetur in dubium: *Pſalterium*, eſt teſtimonium ejuſdem Hieronymi (c), *quod cer-*

te

(a) *Loc. cit.* §. 5. *p.* 353. *col.* 2.
(b) *Lib. II. de verbo Dei Cap. IX. col.* 88. *C.*
(c) *Lib. II. adver. Ruffin. Cap. VIII. Tom. II. p.* 518. *F.*

Digitized by Google

re emendatiſſimum, juxta ſeptuaginta Interpretes noſtro labore dudum (a) Roma ſuſcepit. Waltonus itaque cum omnibus ejus ſequacibus quam periculoſiſſime mare iſtud enavigavit. Memini famoſum rumorem excitatum in quadam Eccleſia Africæ, ob immutationem vocis *cucurbitæ in hederam*; at diligenter obſerves velim, quod Roma recepit Pſalterium emendatum a Hieronymo circa an. Chriſti 383., quando nimirum Hieronymus communiter habebatur tanquam alter Paulus Apoſtolus Romam a Deo miſſus in adjutorium ſollicitudinis paſtoralis S. Damaſi, tenentis Petri ſedem: præfatus autem tumultus accidit circa an. 402. (*b*), quo tempore Satan pleroſque æmulos, obtrectatores, ac calumniatores adverſus Hieronymum, ac Hieronymianam excitarat: tametſi ex dictis eo glorioſius poſt aliquot annos evaſit nomen Hieronymi, & ejus Verſio majorem fidem ſibi conciliavit.

683. Pro clariori tamen captu Pſalterii a Hieronymo emendati ejuſdemque uſus notandum, quod B. Hieronymus quater reipſa elaboravit deſuper Pſalterio. *Primo*, Juvenis reddidit Latino ſermone Pſalterium Græcum, quod continebatur in Exaplis Origenis; *ſecundo*, Romæ poſitus emendavit Pſalterium verſionis Italæ ex Virali expreſſum, & ſe-

(a) *Hoc eſt ab eo tempore, quo Roma poſitus regnante S. Damaſo Papa, cui Hieronymus acceptiſſimus fuit, præfatam Pſalterii emendationem elucubravit:* Pſalterium, *ſic fatur Epiſt. ad Paulam, & Euſtochium, quæ eſt Præfatio ad noſtrum Pſalter.* Romæ dudum poſitus emendaram, & juxta ſeptuaginta Interpretes. *Ea de re Marianus Victorius, in vita B. Hieronymi præfixa Hieronymianis operibus hæc narrat:* Eo (*Hieronymo*) inſtante *Alleluja*, ut teſtatur D. Gregorius ſecundum Hieroſolymitanæ Eccleſiæ conſuetudinem, & ſecundum Antiochiæ uſum in fine omnium pſalmorum *Gloria Patri &c.*, Romæ cantari cœptum eſt, eo emendante Roma legendos, canendoſque in Eccleſia ſeptuaginta Interpretum pſalmos ſuſcepit.

(b) *Epiſtola in qua D. Auguſtinus mentionem facit præfati tumultus, quæque eſt LXXI. alias X. ad Hieronymum, juxta computum PP. Maurinorum ſcripta ab eodem an.* 403.

Digitized by Google

& ſecundum recognitionem S. Luciani Martyris, quod Romæ, & alibi canebatur; *tertio*, hoc idem Pſalterium Italæ paulo poſt iterum emendavit, non multum recedens a priori emendatione, & magis accedens ad Pſalterium Hebraicum; *poſtremo*, interpretatus fuit Pſalterium Hebraicum. *Prima* Pſalterii Hieronymiana editio, poſt aliquot annos evanuit. *Secunda* non tantum edita, ac ſtatim & eodem S. Damaſo annuente, ſive præcipiente cœpit Romæ cantari loco verſionis Italæ; propter quod hæc Editio communiter dicta Pſalterium Romanum, tum quia a Hieronymo ornata in gratiam Romanæ Eccleſiæ, tum etiam quia a temporibus Hieronymi uſque hodie perpetuo uſurpatur in venerabili Vaticana Baſilica in obſequium antiquitatis, quum raro, & in quibuſdam tantum minutis diſcrepet a Pſalterio veteris Italæ (*a*). *Tertiam* Hieronymus elucubravit in gratiam univerſæ Eccleſiæ, tametſi ex his, quæ traduntur a Walafrido Strabone, & in Regula Fratrum Minorum addita expoſitione D. Seraphici S. Bonaventuræ, & a Nicolao Lyrano, & apud vetuſtiſſimum MSS. Sorbonicum colligatur, tum quod rogatu Hieronymi S. Damaſus uſum hujus Pſalterii concesserit Eccleſiis Gallicanis, tum quod Eccleſiæ Gallicanæ reipſa primæ fuerint ad uſurpandum hujuſmodi Pſalterium loco veteris, tum quod conſtanti ſeculorum uſu uſque ad præſentem diem Baſilica S. Petri conſecrarit ſecundam Hieronymi Editionem, tum tandem quod hæc tertia Editio nomenclaturam obtinuerit, *Pſalterium Gallicanum* (*b*). *Quar-*

(a) *Hinc patet quantum aberrarint a ſcopo qui ſtudentes ſuppeditare nobis exemplar Pſalterii veteris Italæ, ſive illius quo Eccleſia Latina ante Hieronymum utebatur, prætermiſerunt conſulere Pſalterium Vaticanum, cui, utpote diſcordanti ab illo raro & in quibuſdam minutis, debuiſſent primas referre.*

(*b*) Pſalmos autem, *hæc produntur a Walafrido Strabone de Rebus Eccleſiaſt. Cap. XXV.*, quum ſecundum ſeptuaginta Interpretes Romani adhuc habeant; Galli ſecundum emendationem, quam Hieronymus Pater de Septuaginta editione compoſuit, Pſalterium cantant. *B.P. Franciſcus*

tam tandem Pſalterii editionem Hieronymus ornavit in gratiam Sophronii, non quidem eo conſilio, quo Sophronio licuiſſet obtrudere apud Chriſti Eccleſias legendum, ſed ne in futurum diſputans cum Judæis, & proferens quædam de Pſalmis pro Servatore noſtro Jeſu, illuderetur ab eiſdem ſic cavillantibus: *Non ita habetur in Hebræo, ut tu de ſeptuaginta Interpretibus nobis opponis*; ſubdens ob id Hieronymus (a), *quod aliud ſit in Eccleſiis Chriſto credentibus Pſalmos legere; aliud Judæis ſingula verba calumniantibus reſpondere* (b). *Prima* editio, ut

circa an. Chriſti 1210. *præſcribens Pſalterium ab ejus ſodalibus in officiis uſurpandum*, Clerici, *inquit Cap. III. Regulæ*, faciant divinum officium ſecundum ordinem S. Romanæ Eccleſiæ, excepto Pſalterio, ex quo habere poterunt Breviaria. *Super quæ Doctor Seraphicus S. Bonaventura Tom. VII. p.* 315. *col.* 1. C. Quia Eccleſia Romana utitur alia translatione Pſalterii, quam communiter habeatur, vel verius aliter emendata. *Lyranus Præfat. in poſtillam ſuper Pſalterium prope finem:* Ad majorem, *inquit*, autem evidentiam dicendorum, ſciendum, quod B. Hieronymus.. tranſtulit Pſalterium . . . ſecundum ſeptuaginta Interpretes; quod Pſalterium Romanum dicitur, eo quod Eccleſia B. Petri illo utitur . . . Fecit aliam translationem non multum diſtantem a prima, & tamen magis appropinquantem ad Hebraicam, & vocatur Pſalterium Gallicanum, eo quod Damaſus Papa ad rogatum Hieronymi illud fecit cantari in Eccleſiis Gallicanis: propter hoc dicitur in Regula Fratrum Minorum: *Clerici faciant &c.* quia Fratres utuntur Pſalterio Gallicano. *Triplex Manuſcriptum Sorbonicum num.* 2783. *laudatum a Martianæo Tom. I. Divinæ Biblioth. pag.* 1219. *hæc refert:* Hoc Pſalterium Damaſus Papa rogatu Hieronymi in Gallicanis Eccleſiis cantari inſtituit, & propter hoc Gallicanum vocatur: Romanis Pſalterium ſecundum Septuaginta retinentibus ſibi, ptopter quod Romanum vocatur.

(a) *Epiſt. CXXXIV. ad Sophron. Tom. III. p.* 745. *D.*

(b) *Sententia profecto Hieronymo digna, quæ omnium Theologorum, & Paſtorum Cathedris uncialibus litteris inſcribatur. Aliud enim eſt dare operam rebus Hebraicis ad hoc, ut valeamus præcludere ſubterfugia Judæorum nolentium intelligere Chriſtum in eorum Scripturis prophetatum; & aliud eſt tam magni facere Scripturas Hebræorum, ut præferantur receptiſſimis Scripturis Chriſtianorum. Tametſi vetus Eccleſia Chriſti præſentiſſimam occaſionem habuiſſet uſurpandi Latinum Pſalterium, taliter elaboratum ad fidem Hebraicæ veritatis, ut eodem Hieronymo Auctore, & teſte, nihil ab ea diſcrepabat:* Certe, *inquit loco cit.* confidenter dicam, & multos hujus operis teſtes citabo, me nihil duntaxat ſententiæ de Hebraica veritate mutaſſe; *quia tamen Eccleſia Spiritu S. edocta bene novit, ipſam teneri*

ut nuper diximus, evanuit; *ſecunda* continetur in Breviariis excuſis ad uſum Illuſt. Cleri vener. Baſilicæ Vaticanæ; *tertia* fruimur apud Biblia caſtigata a Sixto V., & a Clemente VIII. edita; *quarta* ſuppeditatur in operibus impreſſis S. Hieronymi.

684. *Objic. V.* Eſt omnium ferme doctiſſimorum Recentiorum ſententia, Librum Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum nos non habere in hodierna Vulgata ex verſione Hieronymi, ſed ex antiqua translatione, cujus Auctor ignoratur. Siquidem nullæ extant præfationes Hieronymi in hos libros, quum tamen in Epiſtola 89. ad Auguſtinum dicat, ſe ſingulis libris præfatiunculas præfixiſſe. *Præterea*, hos libros Hieronymus arbitrabatur apocryphos: *Hic*, fatur in Prologo Galeato aſſuto in calce Bibliorum Clementinorum, *Prologus Scripturarum, quaſi Galeatum principium omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum, convenire poteſt: ut ſcire valeamus quidquid extra hos eſt, inter apocrypha eſſe ponendum:* quod ſane de præfatis Libris verificatur, quum non recenſeat inter Libros, quos de Hebræo vertit. *Tertio*, multa citantur ex

 his

vi uti Scripturis ab eodem Chriſto, & Apoſtolis probatis & datis, hoc eſt, olim interpretatis a ſeptuaginta Senioribus, inde Apoſtolorum ævo a primo Latino interprete Latinitati donatis, & quæ paucis poſt elapſis ſeculis a viro doctiſſimo Hieronymo divinitus excitato emendatis; idcirco ubi jucunda voluntate adhæſit Pſalterio Romano, & Gallicano, raro, & in minutis diſcrepantibus a veteri Chriſtianorum Pſalterio; Pſalterium autem per omnia reſpondens Hebraicæ veritati, tametſi ab eodem percelebri Hieronymo Latino ſermone redditum, vix viris doctis cum Hebræis diſputantibus inſpiciendum reliquit: Reſpondeant modo Eruditi noſtræ ætatis, qui contendunt, omnia in Scripturis rimanda fore ad fidem hodierni Hebræi Maſſorethici, & adjumento Rabbinicæ linguæ? Niſi me omnia fallunt, vel nobis religioſe conſentiant oportebit, vel larvam deponant echo aſſonantes Sacramentariis, Anabaptiſtis, Servetanis, ac Lutheranis effutientibus, teſte Sixto Senenſi citato n. 535., Eccleſiam veterem caruiſſe veris ſincerisque Scripturis. Semel enim ſtatuto, quod Latinus Textus per omnia reſpondere debeat Hebraico, quomodo non erravit vetus Eccleſia præferens Pſalterium Gallicanum, & Romanum ei, quod idem Hieronymus ediderat per omnia ſecundum Hebraicam veritatem?

his Libris Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum a B. Cypriano, & aliis Patribus Hieronymo antiquioribus, eo modo prorſus, ut nos in noſtra vulgata Editione habemus; quod aliter certe eveniret ſi hos quoque libros Hieronymus vocaſſet in cenſum.

Reſpond. Nihil certe in dignoſcenda rerum antiquarum veritate periculoſius, quam indulgere incertis fallacibuſque conjecturis, & harum ope tanquam certum propalare id quod veteres latuit, vel latere deprehenditur, tametſi rebus geſtis præſentes vel viciniores fuerint. Auguſtinus enim, Gennadius, Caſſiodorus, Iſidorus, Rabanus, Patres Concilii Lemovicenſis, Hugo Victorinus, cæterique Veteres, qui mentionem faciunt de Scripturis a Hieronymo interpretatis, ſive emendatis, loquuntur de univerſis Scripturis generatim, nullum penitus Librum excipientes: falluntur itaque Recentiores, quum inſervientes propriis conjecturis ex mala rerum intelligentia ſubortis, communi voto definiunt, Libros Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum, qui in hodierna Vulgata habentur, nullimode Hieronymo tribuendos. Hinc ad *primam* conjecturam, miror quomodo ex præfata Epiſtola Hieronymi collegerint, Hieronymum ſingulis Scripturarum libris ſingulas præfationes præfixiſſe; tum quia facto conſtat, eum quandoque pluribus Libris unam præfationem appoſuiſſe, uti patet de quinque Libris Pentateuchi, de Libris Proverbiorum, Eccleſiaſtes, & Canticorum, de Libris Esdræ & Nehemiæ, & quod ſpectat quatuor Libros Regum, nullam peculiarem præfationem condidit, contentus illis quæ ſummatim dixerat in Prologo Galeato; tum etiam hæc & non alia in allegata Epiſtola Hieronymus habet (a): *Quod autem genus interpretationis in Scripturis ſanctis ſequendum ſit... omnes præfatiunculæ divinorum voluminum, quas editioni noſtræ præpoſuimus, explicant*. Quibus Hieronymus vix ſe remittit ad eas præfatiunculas quas confecerat, nullimode in-

(a) *Epiſt. LXXXIX. ad Auguſt. Tom. II. p. 637. A.*

indicans ſe ſingulis Scripturarum Libris præfationes præfixiſſe. *Item*, audiamus quid idem ſcribat Præfatione in Lib. Salomonis: *Fertur, & Panæretos Jeſu filii Sirach* (hoc eſt Eccleſiaſticus), *& aliud pſeudepigraphus* (a), *qui Sapientia Salomonis inſcribitur . . . . . . Sicuti ergo Judith, & Tobiæ, & Machabæorum libros legit quidem Eccleſia . . . ſic & hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis*. Non enim video, cur adverſarii iſta verba non receperint pro idonea præfatiuncula Librorum Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum.

685. *Ad ſecundam*. B. Hieronymus non ex propria ſententia arbitratur præfatos Libros eſſe apocryphos, ſed quid ſentirent Judæi curis habuit explicare. Quod quidem trifarie evincimus. *Primo*, ex integro contextu allegati Prologi, ubi diſerte loquitur de illis ſolis Libris Scripturarum, quos Hebræi habebant pro canonicis; ſicque quemadmodum Judæi Libros Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum non recipiebant in canone, ita ex Judæorum ſententia ſcripſit: *quidquid extra hos eſt, inter apocrypha ponendum*. *Secundo*, ſi Hieronymus ex propria ſententia pro apocryphis habuiſſet Libros Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum, idem quoque judicium tuliſſet de Libro Judith, & Tobiæ, de quibus pariter dicit eſſe apocryphos, ſive non eſſe in canone Judæorum; idipſum ſenſiſſet de Hiſtoria Suſannæ, de Hymno trium puerorum, de narrationibus Belis, & Draconis, quas fabulas interdum appellat; at ex eodem Hieronymo, cujus verba habes n. 27., conſtat hæc omnia protuliſſe ex ſententia Judæorum, in quantum hujuſmodi Scripturæ non habentur in Hebraico volumine; & inſuper adverſarii communi ſententia haud eaſdem Hieronymo abjudicant, ergo &c. *Tertio*, perſpectum eſt, canonicos Scriptores Novi Teſtam. plurima ex Libris Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum depromp-

pſiſſe

(a) *Utitur voce* pſeudepigraphus *ad denotandum, quod Liber Sapientiæ alium a Salomone Auctorem habeat*.

pſiſſe, quæque citantur in margine Bibliorum Latinorum. *Item*, quod Chriſti Eccleſia præfatos Libros Judith, Tobiæ, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum ante Hieronymi ætatem in auctoritatem receperit, ac private publiceque lectitarit, manifeſte eruitur tum ex veteribus Patribus Græcis & Latinis Hieronymo anterioribus, qui in eorum operibus pro data opportunitate non minus uſurpant teſtimonia horum Librorum, ac cæterorum, quos Judæi recipiebant in canone (*a*); tum ex eodem Hieronymo Præfat. in Judith hæc habente: *Quia hunc librum* (Judith) *Synodus Nicæna in numero Sanctarum Scripturarum legitur computaſſe, acquievi &c.*; tum ex Auguſtino, qui in deſcriptione ſanctorum Librorum contentorum in Canone Eccleſiæ Chriſti, memoratis præfatis libris Judith, Tobiæ, & Machabæorum ſic pergit (*b*): *Nam illi duo Libri unus qui Sapientia, & alius qui Eccleſiaſticus inſcribitur . . . . quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter propheticos numerandi ſunt*. Tantum igitur abeſt, ut Hieronymus pro apocryphis habuerit libros Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum; ac per conſequens ſi iſti Libri æque ac alii conſecrabantur, ac celebraturi erant in Dei Eccleſia, nulla equidem eſt aſſignabilis ratio, cur Hieronymus prætermiſerit ejus recentioni eoſdem ſubjicere, nec nimirum interpretando, nec caſtigando, nec revidendo. Suſpicabimur forte hujuſmodi Libros a corruptelis iviſſe immunes, quum cæteri omnes nullo excepto in illas inciderint? quum omnes alios utriuſque Teſtamenti ille perpolierit? quum, ut modo videbimus, pleraque aliter ante Hieronymum ac hodie in eiſdem legantur?

686. ***Ad tertiam***. Utique a B. Cypriano, aliiſque Veteribus Hieronymo anterioribus pleraque citantur de Libris Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum eo modo prorſus

(a) *Is cui libuerit propriis oculis rem intueri, adeat opera Tertulliani, Origenis, Gregorii Nanzianzeni, Cypriani, Baſilii, Athanaſii, aliorumque probatiſſimorum Eccleſiæ procerum*.

(b) *Lib. II. de Doctr. Chriſt. Cap. VIII. Tom. III. col. 23. G.*

Digitized by Google

ſus, ut nos in noſtra Vulgata habemus; ſed quam diſtorte ex hoc Recentiores inferant, præfatos Libros non ex Hieronymo, ſed ex antiqua Editione nos habere, ex eo claret, quia ex dictis ſtudium Hieronymi non fuit nova cudere, ſive a veteri Editione diſcedere, ſed ea ſolummodo mutare, quæ correctione indigebant. Ea de re pleraque alia a B.Cypriano, aliiſque veteribus Hieronymo anterioribus de eiſdem Libris citantur, quæ non congruunt cum Hieronymiana, ſive cum Editione hodierna, quorum nonnulla exempla ex eodem Cypriano proferam.

	Vulgata hodierna.	*Sanctus Cyprianus.*
Sapient.IV. v.I.	O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate.	Melius eſt eſſe ſine filiis cum claritate (*a*).
Eccl. I. v. 16.	Initium ſapientiæ timor Domini.	*In Sapientia Salomonis*: Initium Sapientiæ metuere Deum (*b*).
Cap.II. v.XI.	Reſpicite filii nationes hominum, & ſcitote quia nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt.	Quis enim ſperavit in mandatis ejus, & confuſus eſt? quis enim permanſit in mandatis ejus,& derelictus eſt (*c*)?
I.Mach.II.v.62.	Et a verbis viri peccatoris ne timueritis: quia gloria ejus ſtercus, & vermis eſt.	Et verba viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus in ſtercora erit, & in vermes (*d*).
II.Mach.VI.v.30.	Domine qui habes ſanctam ſcientiam manifeſte tu ſcis,quia cum	Domine qui ſanctam habes ſcientiam manifeſtum eſt, quia cum poſ-

(a) *De ſingularitate Clericorum p. 533. col. 1.*
(b) *Lib. cit. ad Quir. p. 378. col. 1.*
(c) *Apud indicem Scriptur. ex Eccleſiaſt.*
(d) *Epiſt. ad Cornelium p. 115. col. 1.*

cum a morte poſſem liberari, duros corporis ſuſtineo dolores.	poſſem a morte liberari, duriſſimos dolores corporis tolero, flagellis vapulans (*a*).

687. *Item*, ſi pleraque loca de Libris Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum citata a Cypriano, aliiſque Veteribus Hieronymo anterioribus eo prorſus modo, ut nos in noſtra Vulgata habemus, erunt in cauſſa, ut conjiciamus, præfatos Libros nos habere ex antiqua Editione, idipſum conjicere poterimus de cunctis aliis Libris noſtræ vulgatæ Editionis, quod communiter ab ipſiſmet adverſariis non admittitur. Verum enim vero B. Cyprianus aliique Veteres qui Hieronymo præivere, de cunctis aliis Libris pleraque citant eo prorſus modo, ac hodie legimus, ex quibus brevitatis ſtudio nonnulla loca Pentateuchi, & eodem Cypriano duce ſeligimus.

	Vulgata hodierna.	*Sanctus Cyprianus.*
Geneſ. I. v. 26.	Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.	Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram (*b*).
Exod. III. v. 5.	Locus enim in quo ſtas terra ſancta eſt.	Locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt (*c*).
Levit. XIX. v. 2.	Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum.	Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum (*d*).
Num. XXIV. v. 17.	Orietur ſtella ex Jacob.	Orietur ſtella ex Jacob (*e*).
Deut. VI. v. 16.	Non tentabis Dominum Deum tuum.	Non tentabis Dominum Deum tuum (*f*).

688.

(a) *De exhortatione Martyrii Cap. XI. p. 336. col. 1.*
(b) *De diſcipl. & habitu virginis p. 231. col. 2.*
(c) *Lib. II. adv. Judæos p. 359. col. 1.*
(d) *Epiſt. adv. Januarium p. 105. col. 2.*
(e) *Lib. II. adv. Judæ. p. 355. col. 2.*
(f) *Lib. de Jejunio & Tentation. Chriſti p. 460. col. 2.*

Digitized by Google

688. Perperam itaque adverſarii conjiciunt, Libros Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum nos non habere ex Hieronymo, ex eo quia B. Cyprianus aliique veteres Hieronymo anteriores ita pleraque citant de hiſce Libris, ac hodie in Vulgata legimus; quum & in Pentateucho aliiſque Scripturarum Libris par ferme convenientia comperiatur, abſque eo quod ab Adverſariis conjectetur, eoſdem abjudicandos Hieronymo. Ut autem Lector magis proficiat, ſponte confitemur id, quod nobis poſſet hic objectari, nimirum, loca citata a B. Cypriano de Libris Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum frequentius congruere cum noſtra Editione, ac loca accepta ex aliis Scripturarum Libris; verum id certe evenit, quia Judæi parvi fecerunt falſare eos Libros, quorum auctoritatem non agnoſcebant; atque ita, ſicut Hieronymus hoſce Libros minus depravatos invenit, ita minus caſtigare, & immutare habuit: tum etiam, quia Hieronymus Libros Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum minime recenſuit ad fidem Hebræi Textus, apud quem non invenit; & per conſequens eo tantum pacto interpretatus eſt, emendavit, aut revidit, quo eorumdem lectio ſat foret ad ædificationem plebis Chriſti, licet inſufficiens ad confirmanda Chriſtiana dogmata adverſus Judæos hoſce Libros haud pro canonicis habentes: quod quidem ſuboſcure innuit Præfat. in Libros Salomonis ſcribens: *Sicut ergo Judith, & Tobiæ, & Machabæorum Libros legit quidem Eccleſia; ſed eos inter canonicas Scripturas non recipit: ſic, & hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam*. Hoc eſt: Quum Eccleſia Chriſti probe intelligat, Libros Judith, Tobiæ, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum non recipi a Judæis inter canonicas Scripturas, idcirco & ipſa eoſdem non recipit inter eas canonicas Scripturas, quibus valeamus adverſus Judæos noſtra Chriſtiana dogmata confirmare; ſed unice legit ad ædificationem plebis, in quantum nimirum,

Digitized by Google

non minus ac alii canonici Scripturarum Libri inſerviunt ad informandam Chriſtianorum fidem, & mores.

689. Objicies VI. cum omnibus ferme Scriptoribus poſtremi ſeculi, Waltono præeunte Proleg. X. §. V. Novum Teſtamentum, quod in Vulgata legimus vix quoad Evangelia Auctorem, ſive Emendatorem habet Hieronymum, *primo*, quia ſolis Evangeliis præfationem præfixit; *ſecundo*, quia ex iſta præfatione colligitur in ſolis Evangeliis illum elaboraſſe; *tertio*, Auguſtinus Epiſt. 71. alias X. ad Hieronymum, vix Librum Evangeliorum a Hieronymo emendatum tradit: *Non paucas*, inquit, *Deo gratias agimus de opere tuo, quod EVANGELIUM ex Græco interpretatus es*; *quarto*, quæ ab antiquiſſimis Scriptoribus ex Novo Teſtamento proferuntur, cum Vulgata noſtra apprime congruunt: excepto itaque Evangelio, cæteri Libri Novi Teſtamenti quos habemus, ſicuti nullo modo ad Hieronymum pertinent, ita hodierna Vulgata non eſt illa penitus eadem, quam Hieronymus edidit.

Reſpond. Religioſiores hac in parte, nec non magis eruditi mihi fuiſſe videntur Eraſmus cæterique profanitatum Auctores, quam plerique Scriptores poſtremi ſeculi; quandoquidem ubi Eraſmus, teſte Serario (*a*), Wittakerus, & alii Novatores veriti ſunt abjudicare Hieronymo Interpreti, vel Emendatori integrum Novum Teſtamentum, quod in Vulgata editione habemus, ubi Waltonus non abſolute, ſed cum formidine de oppoſito ſcripſit (*b*): *Nec FORTASSE totum* (Novum Teſtamentum Hieronymus) *emendavit, ſed Evangelia tantum*; hac noſtra ætate non deſunt, qui abſolute ſtatuant: Novum Teſtamentum, quod in Vulgata legimus, vix quoad Evangelia Auctorem, ſive Emendatorem habet Hieronymum (*c*).

690.

(a) *Prolegom. XIX. quæſtiunc. IV. p.* 103. *col.* 2.

(b) *Proleg. X. §. V. p.* 354. *col.* 1.

(c) Nolite, *opportune Apoſtolus Gentium ad Epheſ. V. v.* 2., communicare operibus infructuoſis tenebrarum, *ut inter alia ſe habet præſens com-*

men-

690. *Ad primum*. Hieronymus, ut nuper expoſuimus, haud pro ſingulis Libris ſanctarum Scripturarum compoſuit præfationes. Præterea qui ſtudioſe librabit integram Epiſtolam Hieronymi, quam una cum quatuor emendatis Evangeliis miſit ad Damaſum ſponte ſua intelliget, eandem Epiſtolam eſſe præfationem non tantum Evangeliorum, ſed etiam totius Novi Teſtamenti. In priori enim parte teſtatur, ſe fuiſſe a Damaſo coactum ad ſuſcipiendum Novum opus, ſive novam Editionem ex veteri, ex tot variantibus Latinis lectionibus decernendo eam, quæ conſentiret cum Græca veritate: teſtatur pariter, tum temporis ita Latina exemplaria compugnare ad invicem, ut tot viderentur eſſe exemplaria quot codices; ſicque veritas non magis quærenda erat de codicibus Latinis, quin etiam ex originariis Græcis: tandem fatetur hæc, *De Novo loquor Teſtamento, quod Græcum eſſe non dubium eſt*. Jam vero, neminem reor virum æquum & doctum reperiri, qui vel ſuſpicetur, ſolos Latinos codices Evangeliorum, & non alios Libros Novi Teſtamenti variaſſe, ac per conſequens ſi omnes variabant, ſi omnes uno vel altero excepto ex Græ-

mentum in Dei Eccleſiam obtruſum, magis tamen redarguite. *Haud fratres patiamini Recentiorum Scriptorum judicio ſine diligenti examine accommodare conſenſum: Mementote illud ejuſdem Apoſtoli I. ad Theſſalon. V. v.* 21. Omnia probate, quod bonum eſt tenete. *Sint equidem ad manus veſtras Nova, & Vetera, tam nimirum opera Recentiorum, quam Veterum Eccleſiaſticorum, non tamen omnia indiſcriminatim probaturi, ſed adcurato ſcrutinio adhibito, quæ magis veritati, & Religioni conſentanea invenientur, electuri. Veſtri operis, ac ſtudii eſſe optarim, primum potiſſimumque ſcrutari ſcripta eorum Eccleſiaſticorum, qui floruerunt ante ortum Typographicæ artis, ac funeſtiſſimæ tragœdiæ quintidecimi ſeculi, utpote qui deſtituti facilitate cudendi multa ſine debito ſtudio, ac Novatorum præjudiciis omnino liberi*. Nolite conformari, *idem Doctor Gentium ad Rom. XII. v.*2., huic ſeculo, *per fucum paſſim apud Italos inſignito*, letterato, e di buon guſto: *utinam, & iſthæc ætas noſtra rebus grammaticis tota ferme incumbens, exactis probatiſque Theologis non careret. Omnes hodie promittimus majus lumen Chriſtianæ Religioni afferre, quum frequentius juventus innocens de tenebris in tenebras deducatur. Illuminare Domine*, illuminare his, qui in tenebris ſedent.

Digitized by Google

co duxerant originem, ſi de Novo Teſtamento conceptis verbis ſe loqui Hieronymus ibi teſtatur, incredibile certe videtur, & quod ad emendationem duntaxat Evangeliorum, & non etiam omnium Librorum Novi Teſtamenti coactus fuerit a Damaſo, & quod ſolummodo quatuor Evangelia reipſa emendarit, & quod in gratiam tantum Evangeliorum eam Epiſtolam tanquam præfationem confecerit. Bene intelligimus, Hieronymum expoſitis iſtis in anteceſſum ſic poſtea pergere: *Igitur hæc præſens præfatiuncula pollicetur quatuor tantum Evangelia &c.*; verum ſtantibus præfatis, unicuique fieri debet perſpectum, iſta verba referri non ad integram Epiſtolam, ſed ad ea ſolummodo quæ ſequuntur, & in quibus peculiari diligentia Hieronymus ediſſerit de pertinentibus unice ad quatuor Evangelia. Et eo vel maxime, quod præfatam Epiſtolam dedit Damaſo cum Evangeliis ſolummodo emendatis, ideſt, antequam ſe daret recenſioni aliorum Librorum Novi Teſtamenti; quibus ad invicem collatis eruitur, quod licet poſterior pars illius Epiſtolæ peculiariter reſpiciat quatuor Evangelia; quantum vero priorem partem ejuſdem ſpectat, eſt præfatio integri Novi Teſtamenti.

691. *Ad ſecundum*. Utique ex allegata præfatione colligitur, in ſolis Evangeliis Hieronymum pro eo tempore elaboraſſe, quia revera ſola Evangelia pro eo tempore emendarat; minime tamen ex eadem colligitur, alios Libros Novi Teſtamenti nuſpiam emendaturum, vel quod reipſa non emendarit, quemadmodum ocularibus ſpeciminibus V. Bellarminus evincit: *Eo*, inquit (a), *potiſſimum argumento probamus* (Novum Teſtamentum Latinæ editionis eſſe ex emendatione B. Hieronymi) *quod multa loca, quæ B. Hieronymus reprehendit in antiqua Verſione, nos in noſtra invenimus ita correcta, ut ipſe affirmat eſſe corrigenda. Ac ut aliqua loca conferamus . . . Lib. I. in Jovinian. reprehen-*

(a) *Lib. II. de verbo Dei Cap. IX. col. 87. D.*

Digitized by Google

bendit illud I. Corinth. 7. Diviſa eſt mulier, & virgo; *& vult legendum*, mulier innupta, & virgo &c. *In Epiſt. ad Marcell.*, *ad finem ſecundi Tomi reprehendit illud Roman.* 12. Tempori ſervientes; *& legi vult*, Domino ſervientes: *ibidem reprehendit illud I. ad Timot. I.* Humanus ſermo; *& docet legendum*, fidelis ſermo. *In comment. cap.* 2. *ad Galat. reprehendit illud*, quibus ad horam ceſſimus; *& reſtituit*, quibus neque ad horam ceſſimus. *Et in comment. cap.* 5. *reprehendit illud*, perſuaſio veſtra ex Deo eſt; *& vult legi*, non eſt ex Deo, qui vocat vos. *In comment. cap.* 1. *ad Epheſ. reprehendit illud*, qui eſt pignus hæreditatis in redemptionem adoptionis; *& vult legi*, in redemptionem acquiſitionis. *Hæc autem omnia*, *& alia id genus permulta ita nunc habemus in editione Vulgata*, *ut ipſe monet legi debuiſſe*. Hucuſque Bellarminus.

692. *Ad tertium*. Si noſtri Adverſarii in cunctis eorum criticis obſervationibus, ita ſe ſe gerent ac in præſenti negotio, ſummam certe produnt imprudentiam, ac præ nimio lumine ſuæ critices quo gloriantur, nihil recte intuentur. Siquidem cujus prudentiæ eſt magni facere unum verbum, ſi vere ex calamo Auguſtini lapſum fuerit, & ſpernere aliud verbum Hieronymi, cui tum ipſe Hieronymus non ſemel ſuffragatur, tum Veteres communiter adhærent? Hieronymus enim reſpondens ad citatam Auguſtini Epiſtolam: *Si*, inquit (a), *me uti dicis*, *in Novi Teſtamenti emendatione ſuſcipis &c.*, ubi vides Hieronymum appellare *Novum Teſtamentum* id, quod Auguſtinus appellarat *Evangelium*. *Item*, in Catalogo Scriptor. Eccleſ. ita ſcribit (b): *Novum Teſtamentum Græcæ fidei reddidi*. Et paulo ante citans opera quæ aduſque quartumdecimum Theodoſii annum ipſe ediderat, *hæc*, inquit, *ſcripſi* . . . *In Epiſtolam Pauli ad Galatas commentariorum Libros tres*, *in Epiſto-*

(a) *Epiſt. LXXXIX. Cap. VI. Tom. II. pag. 637. A.*
(b) *Num. 146. Tom. I. p. 323.*

ſtolam ad Titum Librum unum , *in Epiſtolam ad Philemonem Librum unum*. Cuine ſuadere poterimus, Hieronymum commentariis illuſtraſſe haſce Epiſtolas, quæ apud Latinos nimia varietate compugnabant, abſque eo quod ab hujuſmodi vitio eaſdem in primis vindicaret? *Item*, Eruditi ocalariter aſſignant loca a Hieronymo in Novo Teſtamento caſtigata, ut nuper ex Bellarmino. Hiſce accedunt Veteres, qui loquentes de Hieronymiana editione, qua Eccleſia eorum temporibus utebatur, generaliter loquuntur, nullum Librum neque Veteris, neque Novi Teſtamenti excipientes. *Item*, Concilium Lemovicenſe, & Thritemius conceptis verbis tradunt, Novum Teſtam. fuiſſe a Hieronymo ex Græco interpretatum (*a*). Quibus quidem de cauſſis conjectarim, teſtimonium Auguſtini circa τὸ *Evangelium* corruptelam codicum ſpirare, in quantum ſcilicet incuria alicujus exſcriptoris, vel Typographi, vel ſcioli temeritate irrepſerit in hodiernos Auguſtinianos codices, loco *Novum Teſtamentum*; & eo vel maxime, quod Hieronymus in nuper allegato teſtimonio fert, ab Auguſtino ſcriptum eſſe *Novum Teſtamentum*, non autem *Evangelium*: obſerves velim illa Hieronymi verba: *uti dicis*, *Novi Teſtamenti*.

693. *Objicies ultimo*. Hodierna Vulgata editio quoad Librum Pſalmorum nec raro nec leviter diſcordat a Pſalterio, quod ad fidem vetuſtiſſimorum MSS. viri doctiſſimi hactenus typis mandarunt apud opera ejuſdem Hieronymi. Gravior tamen diſcrepantia deprehenditur inter eandem Vulgatam editionem, & alios Libros Hieronymiani Canonis Hebraicæ veritatis, primum editos a PP. Maurinis, peculiari labore P. D. Joannis Martianæi, poſtmodum cum honore receptos, ac magis divulgatos per Veronenſem editionem S. Hieronymi, confluentibus ſtudiis Dominici Vallarſii, & Marchionis Scipionis Maffæi: cujus quidem apertiſſimæ diſcrepantiæ nonnulla ſpecimina ſuppeditantur.

Ho-

(a) *Teſtimonia huc ſpectantia protulimus num.* 594., & 595.

Digitized by Google

Hodierna vulgata Editio habet Num. viii. v. 2. *Cum poſueris ſeptem lucernas, candelabrum in auſtrali parte erigatur. Hoc igitur præcipe ut lucernæ contra boream e regione reſpiciant ad menſam panum propoſitionis, contra eam partem, quam candelabrum reſpicit, lucere debebunt*; Hieronymianus Canon vix habet: *Cum poſueris ſeptem lucernas contra eam partem, quam candelabrum reſpicit lucere debebunt*. Item hodierna Editio Num. xx. v. 6. *Clamaveruntque ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus audi clamorem hujus populi, & aperi eis theſaurum tuum fontem aquæ vivæ, ut ſatiati, ceſſet murmuratio eorum*. Joſue. xxi. v. 36. *De Tribu Ruben ultra Jordanem contra Jericho civitates refugii, Boſor in ſolitudine, Miſor, & Jaſer, & Jethſon, & Mephaath, civitates quatuor cum ſuburbanis ſuis*. I. Reg. v. v. 6. *Et ebullierunt villæ & agri in medio regionis illius, & nati ſunt mures, & facta eſt confuſio mortis magnæ in civitate*. Quarum quidem ſententiarum Hieronymianus Canon mentionem non facit: ſicque ad oculum conſtat, Hieronymum apud ejus edita correctiſſimaque opera loquentem, nullimode ſe auctorem cognoſcere harum aliarumque ſententiarum, quas in hodierna Vulgata legimus.

694. *Reſpond.* Omnes ſententiæ atque verba, in quibus tam Liber Pſalterii cuſus apud opera Hieronymi non congruit cum hodierno Pſalterio Gallicano, & Romano, quam cæteri Libri Hieronymiani Canonis Hebraicæ veritatis non reſpondent hodiernæ vulgatæ Editioni: omnes inquam hujuſmodi ſententiæ atque verba minime ſunt genuini fœtus Hieronymi, ſed ad vitium, vel detractionis, vel additionis, vel permutationis abſolute amandanda. Tametſi eruditis Editoribus operum D. Hieronymi non parvæ referendæ ſint gratiæ, quum in multis vindicarint immortalia monumenta tanti viri a vitiis veterum MSS., reſtituentes in ejus impreſſa opera, quæ non ſine labore collegerant ex multis MSS. codicibus ad invicem diligenrer

ter collatis, pariter illuſtrantes mediantibus notis ab eiſdem appoſitis quod obſcurum erat, & tam bene proſpexerunt Reipublicæ litterariæ, ut unuſquiſque Theologus valeat parvis ſumptibus ſibi comparare, & pro libitu audire Hieronymum docentem: nihilo tamen ſecius neminem hac noſtra ætate virum partium ſtudio liberum reperiri arbitror, qui audeat denegare, eoſdem Editores Hieronymi, quemadmodum magis vel minus adhæſerunt Eraſmianis præjudiciis pertinentibus ad peritiam linguarum orientalium, & ad authentiam hodiernorum fontium Hebræi veteris Teſtamenti Græcive Novi, ita magis vel minus ſuas præconceptiones interdum Hieronymo præfixiſſe, itaut in Hieronymo ab ipſis edito aliquoties oporteat Hieronymum quærere. Quorſumne Hieronymus ſomniavit vel unam litterulam Hebraicam in univerſis ejus operibus conſignare (a)? quorſum in Libro de Quæſtionibus Hebraicis paſſus fuit aſſerere, quod Hebræus Textus, quo ipſe utebatur, legebat Geneſ. III. v. 5. *ipſe* (b)? & tamen ſicui otium erit evolvere omnia exemplaria Hieronymi primum excuſa ab Eraſmo Roterodamo, ſecundo a Mariano Victorio, tertio ab Adamo Tribbechovio Francofurti ad Mænum, quarto a Joanne Martianæo, & tandem Veronæ, dubio procul deprehendet, in haſce omnes Editiones propagatam eſſe ſolemnem falſationem Eraſmi, tam quoad præfatam vocem *ipſe*, quam quoad commixtionem vocum Rabbinicarum; tametſi Martianæus ejuſque ſectatores Veronenſes circa ſecundum vitium caſtigatiores fuerint: nihil itaque mirum quod Hieronymianus Canon Hebraicæ veritatis in Pſalterium ſolummodo editus ab Eraſmo, a Victorio, & a Tribbechovio, inde a Martianæo auctus aliis Libris, diſcordet in plurimis a Vulgata hodierna, quæ revera in omnibus, ju-

(a) *Recole teſtimonia Waltoni, Joannis Clerici num.* 441., *quibus adjicies confeſſionem Martianæi, aliorumque Recentiorum.*

(b) *Hujuſmodi nodum ex inſtituto ſolvimus num.* 501., *& ſeqq.*

juxta dicta, Hieronymi eſt; quoniam ſicut Recentioribus arriſit edere pleroſque Contextus bibliacos paſſim reſpondentes non Vulgatæ, ſed hodierno Hebræo, hoc ipſum deprehenditur factitatum ab editoribus Hieronymi quoad editionem Hieronymiani Canonis. Cui quippe rei ſuadendæ, ac providendi credulitati ſimplicium tantiſper immoremur oportet. Aut enim ſermo erit de tribus prioribus editoribus Eraſmo, Victorio, & Tribbechovio, qui vix Librum Pſalterii proferunt; aut de Joanne Martianæo, cui arriſit addere alios Libros Hieronymiani Canonis Hebraicæ veritatis, cujuſque ſtudium ſecuti ſunt Veronenſes.

695. Quod ſpectat primos, ſciendum quod in eorum Editionibus duo Pſalteria Hieronymi deſcribunt, unum ſecundum Septuaginta, aliud ſecundum Hebraicam veritatem; taliter autem proferunt, ut neutrum exacte congruat vel cum Pſalterio Romano, vel cum Gallicano. Mirum certe eſſe non debet, quod cum iſtis non congruat eorum Pſalterium ſecundum Hebraicam veritatem, quum ab initio res ita fuerit: namque ex dictis num.683., Hieronymus tam in editione Romana, quam in Gallicana ſtuduit pro virili ſe coaptare veteri Pſalterio Chriſtianorum, ſolummodo a vitiis quæ irrepſerant illud emendando, in Editione autem Pſalterii ſecundum Hebraicam veritatem, unice curis habuit proſpicere neceſſitati Sophronii diſputantis cum Judæis, ac proinde eundem tali Pſalterio munire, quod in omnibus, & per omnia reſponderet Pſalterio Hebraico (a).

L l Quod

(a) *Nolumus hic quæſtionem excitare, utrum Latinum Pſalterium ſecundum Hebraicam veritatem fuerit ab Eraſmo, aliiſque Editoribus Hieronymi hauſtum ex vetuſtiſſimis Hieronymianis MSS., vel potius mutuo acceptum a Rabbinis, vel exſcriptum ex hodierno Hebræo Maſſorethico, & ope hodiernæ Hebraicæ Grammatices Latino ſermone redditum: quum pro explorato habeamus, hujuſmodi Pſalterium apud Chriſti Eccleſias nuſpiam fuiſſe receptum; ſicque veriſimile videtur, injuria temporum ſubiiſſe jacturam non minus, ac pleraque alia monumenta Hieronymiani ingenii, quibus hodie caremus. Addas ſolitum Eraſmi & Eraſmianorum artificium, quo ſub prætextu vetuſtiſſimorum MSS. ſua præjudicia palliant, ut non ſemel ocularibus ſpeciminibus evicimus.*

Quod autem præfatos Editores inexcuſabiles reddit illud eſt, quod excuderint Pſalterium Septuaginta in pleriſque difforme a Pſalterio Romano, & Gallicano: quare ſub Pſalmo nonageſimo quarto in ordine, deſcribunt illud *Venite exultemus*, quod duntaxat in tertio nocturno Epiphaniæ Domini canitur, tam in Baſilica Vaticana, quam in aliis Eccleſiis; illud autem *Venite exultemus*, quod quotidie recitamus in officio, & continetur in Bibliis Clementinis, & ſub initium tam Breviarii vaticani, quam Breviarii communis nullimode ſubodorantur. Quo fit præfatos Editores cudentes Pſalterium Septuaginta, duabus hallucinationibus dubio procul offendiſſe, tam nimirum quum prætermiſerunt illud *Venite exultemus*, quod ad Hieronymum emendatorem unice ſpectat, quam quum ſubſtituerunt illud *Venite exultemus* Hieronymo probabilius abjudicandum (*a*), & per conſequens Pſalterium Septuaginta excuſum apud opera Hieronymi, quemadmodum in pleriſque ſcatet præjudiciis, vel fallis Editorum, ita loca in quibus illud diſcordat a Pſalterio Gallicano & Romano, non ſunt tanti facienda ut revocentur in cenſum.

696. Veniam modo ad Martianæum, cui arriſit primum edere alios Libros Hieronymiani Canonis. Et principio ſi ei ſtudio fuit reſtituere priſtino nitori Canonem Hebraicæ veritatis, ac tanquam purum putumque Hieronymi fœtum primo Tomo operum Hieronymi collocare, conſequens erat,

(a) *Tantum abeſt ut dubitemus, primum* Venite exultemus *non pertinere ad Hieronymum emendatorem; quoniam teſtimonio omni exceptione majori nobis eſt univerſa Chriſti Eccleſia per totam Latinitatem diſperſa, quæ a temporibus Hieronymi uſque hodie ſingulis diebus illud in officio recitavit, ac proinde moraliter impoſſibile, quod fuerit in aliquo auctum, detractum, vel immutatum. Quod vero aliud* Venite exultemus *ab omnibus Editoribus Hieronymi excuſum, ſit probabilius abjudicandum Hieronymo, colligi poteſt ex eo, quod Eccleſia tam Vaticana quam univerſa ſemel in anno illud canit, in venerationem vetuſtatis, eo ferme pacto quo ut morem gereret antiquæ Italæ, ſemel in anno, puta in vigilia Nativitatis Domini, canit in Martyrologio humanam Chriſti Domini progeniem ſecundum veterem Italam, & non ſecundum novam Hieronymianam.*

Digitized by Google

rat, ut maximam operam poneret conſulendis, & ad invicem conferendis probatiſſimis MSS. Hieronymianis; quæ nimirum hujuſmodi canonem repræſentarent; at Martianæus teſtatur (a), vix habuiſſe ad manus MSS. Eccleſiæ Narbonenſis, Carchaſſonenſis, Monaſterii S. Germani a Pratis, Illuſtriſ. D. *de Meſmes*, Bibliothecæ Regiæ, & alia, nullimode explicans, num iſta ſint exemplaria operum Hieronymi, vel potius codices Bibliaci ſecundum ſe ſpectati; ergo nullimode nobis conſtat, quod Martianæus ediderit canonem Hebraicæ veritatis, ut olim fuerat a Hieronymo adornatus. Neque dicas, id nullimode officere maxime in noſtra ſententia, qua tuemur veterem Eccleſiam uſurpaſſe puram putamque Hieronymi verſionem, ſicque præfata MSS. nonniſi Hieronymianum canonem repræſentabunt: quia in primis Martianæus præſupponit Hieronymum nuſpiam diſceſſiſſe ab Hebræo Textu, nuſpiam ſe ſe coaptaſſe Septuaginta Senioribus, & Hebræum hodiernum reſpondere ei, quo Hieronymus uſus fuit: præſupponit quoque, facilius errores irrepſiſſe apud codices Bibliacos uſu tritos, & ex quibus potiſſimum habemus hodiernam Vulgatam editionem, quam in præfata MSS. ſi vere vetuſtiſſima ſunt, quæ quidem omnia ex dictis ſoliditate carent, ſicque noſtra hypotheſis nullum ſolatium Martianæo præſtat. *Præterea*, ſi Martianæo curis eſſet reſtituere priſtino nitori Canonem Hebraicæ veritatis ſecundum Hieronymum, plane quum in calce paginarum reddit rationem, qua nonnullas ſententias, & verba hodiernæ Editionis rejicit ab ejus Textu, abunde ſatisfeciſſet, ſi duntaxat Lectorem moneret, ſubnectens: *hæc non reperio apud probatiſſima MSS. Hieronymiani Canonis*: Verum Martianæus nuſpiam hanc rationem profert, ſed alias quibus univerſi Critici hoc in rerum themate abutuntur, ſecluſo omni peculiari reſpe-

(a) *In indice MSS. quem præfixit Hebraico Canoni Tom. I. Divinæ Biblioth.*

ctu ad Hieronymum (*a*) ; Martianæus itaque aſſuit operibus Hieronymi , non quidem purum Hieronymianum Canonem Hebraicæ veritatis, ſed turbatum, & mixtum præjudiciis Hebraizantium . Effingamus tandem quod probatiſſima MSS., quorum uſum habuit , omnia fuerint exemplaria Hieronymiani Canonis , quid tum ? Hic non agimus de re , quæ non aliter ſciri poſſit niſi ex operibus Hieronymi : ex dictis abunde conſtat , Eccleſiam ab eodem Hieronymo accepiſſe emendatum Canonem Hebraicæ veritatis, & a Hieronymiana ætate uſque hodie in diſputationibus, in officiis, in prædicationibus &c. eundem perpetuo celebraſſe : cui ergo viro æquo , & prudenti majorem fidem faciet Hieronymianus canon cuſus a Martianæo, & non uti repræſentatur in tot ferme innumerabilibus Bibliorum Latinis codicibus, quibus hactenus Dei Eccleſia uſa eſt? Teſtatur utique Martianæus, ſibi in edendo Canone, præſidio & adjumento fuiſſe probatiſſima MSS. ; ſed nullimode nobis certe conſtat, quod iſta revera fuerint vel vetuſtiſſima , & correctiſſima , vel ab eodem diligenter collata , & ſumma fide excuſa (*b*) ; e contrario temerarium

(a) *In calce pag.* 259. *Tom.* I. *Divinæ Bibliothecæ monet, verba iſta Nu.* VIII. *v.* 2. contra candelabrum &c. *fuiſſe notata obelo a Roberto Stephano, ac Theologis Lovanienſibus in eorum Editionibus ;* item , *eadem non reperiſſe in codicibus Regiis , Colbertinis , Corbejenſibus , & S. Germani a Pratis ; nec etiam haberi in Textu Hebraico , vel Samaritano ; nec denique apud Septuaginta , Chaldaicam , Syriacam , aut Arabicam . Hoc ipſum exequitur, in aliis locis in argumento prolatis , preſſe inhærens veſtigiis Hebraizantium , quibus longe minorem fidem præſtare debuiſſet , ſtantibus his , quæ ex eodem exſcripſimus n.* 437.

(b) *Eraſmo paria teſtanti minime credidit Marianus Victorius , & propriis oculis viſitatis viginti exemplaribus MSS. , tradit , Eraſmum in editione Hieronymi plus minus mille , & quingenta loca partim manu ſua maculaſſe , partim ex rerum imperitia non reſtituiſſe :* Reſtituimus , *inquit Orat. ad Pium IV. præfixa primo Tomo oper. Hieron. edit. Pariſ. an.* 1624. in hoc opere loca , ut ex ipſis junctis noſtris ſcholiis apparebit , plus minus mille , & quingenta , quæ Eraſmus partim ſua manu maculavit , partim tempore corrupta ex rerum imperitia reſtituere ipſe non potuit . . . . Quid plus ? adjuti autem ſumus hac in re exemplaribus MSS. viginti , & antea impreſſis aliquot . . . nec defuerunt etiam ii qui in locupletiſſima

rium eſt dubitare de illo Hieronymiano Canone, cujus uſum Catholica Dei Eccleſia perpetuo habuit, cujuſque codices omni ſeculo fuerunt per univerſam Latinitatem diſperſi, ac uſu triti. Tametſi alicujus exſcriptoris, vel Typographi oſcitantia, vel temeritate error irrepſerit in aliquos codices, minime tamen irrepere potuit in omnes; & per conſequens non tantum adparet, editores Hieronymi, quoad libros potiſſimum Hieronymiani Canonis in præjudicia Eraſmi interdum incidiſſe; ſed inſuper funditus cadit expoſitum argumentum petitum ex diſcrepantia ſententiarum & vocum Vulgatæ hodiernæ ab iis, quæ vel aliter, vel nullo modo habentur in Canone Hebraicæ veritatis, expoſito apud edita Hieronymi opera.

697. *Tandem*, Demonſtrationem abſoluturi, prætereundum non eſt, eadem profecto corollaria, quæ ex prima Demonſtratione fuſo calamo prodire oſtendimus, repeti poſſe etiam ex iſta a quovis ratione bene utente, quique rem totam diligenter aſſecutus fuerit. Si enim Vulgata hodierna eſt illa penitus eadem, quam Hieronymus peculiari Spiritus Sancti flatu adornavit, perpetuo ſeculorum fluxu S. Dei Eccleſia conſecravit, Concilium Tridentinum ſuo calculo probavit, & demum Apoſtolica S. Sedes priſtino nitori reſtituit, plane hodierni fontes Hebræi Veteris Teſtamenti Græcive Novi haud integri ſunt, & authentici; quum in multis, & interdum gravioris momenti ab illa diſtent: nec pariter eidem Vulgatæ præferendi ſunt, aut coæquandi, quum nemo vir æquus & prudens patietur

ſima... Vaticana Bibliotheca aſſervantur. *Hiſce non obſtantibus, adhuc Martianæus mentionem faciens de auctoritate MSS., ad quorum fidem Eraſmus & Victorius Hieronymum ediderunt*, id genus, *inquit Prolegom. II. in Tomum ſecundum Divinæ Biblioth.*; exemplaria corruptiſſima ſequutus Eraſmus, & poſt Eraſmum Marianus, ſordidum, ac depravatum ediderunt Hieronymum: *& infra*, Quum variantes lectiones Epiſtolarum Hieronymi ex Vaticana Bibliotheca ad me perveniſſent, conſentientes reperi codices Romanos cum Gallicanis..... prorſus autem diſcrepantes ab editione Mariani, æque atque ab Eraſmiana.

tur coæquare, & multo minus præferre Vulgatæ Hieronymi tot inſignibus decoratæ cænoſos fontes, quos nec Hieronymus reſtituit priſtino nitori, nec Eccleſia eorundem integritati, aut auctoritati uſpiam proſpexit: ad normam tamen hodiernæ Vulgatæ tam præfati fontes, quam cunctæ Bibliorum verſiones reformanda veniunt; quemadmodum a Sole, qui eſt luminare majus, cuncta aſtra lucem unice repetunt.

DE-

Digitized by Google

DEMONSTRATIO III.

698. HÆreticorum mos fuit non parcere molitionibus, ut facilius ſuos errores obtruderent : non itaque mirum, ſi Hæretici noſtræ tempeſtatis, quibus ſummis curis fuit diſpellere e cælo Chriſtiano Vulgatam veterem, ſubſtituentes peregrinas Editiones, ſuis profanitatibus protegendis unice natas, nullum ideo reliquerint immotum lapidem, ac tanquam infernales ſerpentes quærerent quem locum Theologicum, quantumvis traditione Veterum comprobatum, impudenter polluerent, ac lethifero veneno ſauciarent. Minime iidem contenti tot captioſis adinventionibus, quibus tentarunt ſuadere, *primo*, hodiernis fontibus Hebræi Græcive unice ſtandum; *ſecundo*, minime adhærendum in omnibus Hieronymianæ editioni multis gravibuſque peccatis ejuſdem Hieronymi refertæ, & longo ſeculorum fluxu multo amplius depravatæ; *tandem*, bene intellecto, hæc omnia tametſi impenſe commendata, inculcata, & recepta, irrita eſſe & inania, ſi admittatur, Romanam Eccleſiam frui privilegio deligendi & declarandi irrefragabiliter Scripturas genuinas, & canonicas, idcirco collectis animis, eo petulantiores devenerunt, quo ſacratiori veritatis & Religionis depoſito Rempublicam Chriſtianam expoliarent. Quibus dicteriis funditus evellendis, ac diſſipandis, quemadmodum duabus prioribus famoſis cantilenis ſtuduimus opponere duplicem Demonſtrationem, ita poſtremo piaculo hiſce conceptis verbis medelam facimus.

699. Romana Eccleſia privilegium habet haud errandi in deligendis, & declarandis Scripturis genuinis atque canonicis; ſed difficile probatu eſt, Romanam Eccleſiam non delegiſſe, vel non declaraſſe ſinceram, & canonicam quoad omnes, & ſingulas particulas Bibliam Sacram Vulgatæ editionis Sixti V. juſſu recognitam, & Clementis VIII. aucto-

ctoritate editam; ergo difficile probatu eſt, Bibliam Sacram Vulgatæ editionis Sixti V. &c. non eſſe ſinceram, & canonicam quoad omnes, & ſingulas quas complectitur particulas; atque ita nullum prorſus mendum continetur in ea correctione dignum. Duo ut vides præfata Demonſtratio illuſtranda petit; *primum*, quod Romana Eccleſia privilegium habeat haud errandi in deligendis, & declarandis Scripturis genuinis, & canonicis; *ſecundum*, quod difficile probatu ſit Romanam Eccleſiam non delegiſſe, vel non declaraſſe ſinceram, & canonicam quoad omnes, & ſingulas particulas Bibliam Sacram Vulgatæ editionis Sixti V. juſſu recognitam, & auctoritate Clementis VIII. editam; iſthæc ſane, quoad fieri poteſt, duobus ſequentibus Capitulis exequemur.

CAPUT I.

De Privilegio Romanæ Eccleſiæ haud errandi in deligendis, & declarandis Scripturis genuinis, atque canonicis.

700. Licet noſtri ſit oneris tueri privilegium Romanæ Eccleſiæ quoad eam partem, quæ ſpectat irreformabile ejuſdem judicium in dignoſcendis Scripturis veris a falſis; quum vero Novatores generaliter, & quoad omnia inficientur, ac impugnent Pontificiam inerrantiam, paulo altius ſermonem multiplici ex cauſſa ordiamur oportet: tum ſcilicet ne Lectorem dimittamus jejunum rerum potiſſimarum, quæ hujuſmodi negotium cum maxime faceſſunt; tum ne Hæretici de vitio falſæ præſuppoſitionis, ac verſutæ ſimulationis, quibus perpetuo ipſi laborant, nos criminentur; tum aliis prætermiſſis, ne penitus inſolutum relinquamus id, quod ab inextricabilibus ferme ambagibus in primis vindicandum refert; & eo vel maxime quod ex hujuſmodi ſcrutinio faciliori negotio ſuadetur, quid dicendum ſit de privilegio Romanæ Eccleſiæ in materia Scriptu-

ra-

rarum indefectibiliter ſeligendarum. Verum tamen eſt, quod in immenſum ſine dubio oratio excreſceret, ſi vel ſummariam notitiam articulorum ex omni latere cumulate confluentium animo occurreret retexere, cui quippe rei præſtandæ otium non ſuppetit, & ſuſceptum jure ſummo parcit. Quo quidem conſilio ducti, prius agemus de privilegio infallibilitatis in genere, tum redibimus ad id, quo ſpeciatim tenemur.

§. I.

Privilegium Romanæ Eccleſiæ in definiendis infallibiliter, & irreformabiliter cunctis rebus ſpectantibus ad fidem & mores, ſummatim vindicatur ab Hæreticorum oblocutionibus.

701. Sub nomine Eccleſiæ Romanæ, inhærentes veſtigiis noſtrorum procerum, ut paulo infra videre eſt, ex æquo intelligimus Apoſtolicam S. Sedem, ſive Petri Cathedram, ſive ipſum Romanum Pontificem, minime probantes eam diſtinctionem inter Romanum Pontificem & Eccleſiam Romanam, ſive inter Apoſtolicam S. Sedem & Papam ſedentem: ſponſi & ſponſæ unus thalamus, eademque jura; & quæ a majoribus noſtris communiter, & perpetuo fuerunt pro eodem uſurpata, nonniſi hæreticali ſpiritu, & pro more Theologorum Satanæ (de quibus n. *609.*) diſtinguuntur. E contra bene intelligimus atque agnoſcimus, aliter loquendum de auctoritate Romanæ Eccleſiæ, ſive Romani Paſtoris loquentis ex Cathedra in rebus fidei & morum, quo unice ſenſu quæſtionem excitamus, & aliter ſentiendum extra hujuſmodi caſus (*a*). Quibus ſtrictim præfatis,

(a) *Tunc R. Pontifex cenſetur loqui ex Cathedra, quum adhibito matura examine, conſilio, & conſenſu ſelectiſſimorum S. R. E. Cardinalium, & Theologorum, fuſis pariter ad Deum precibus, ut mittat Spiritum veritatis, ita ex ſacro Tribunali, ſive ſolemni ritu pronunciat ejus judicium circa fidem*

tis, animus non eſt, ut ex titulo innoteſcit, omnia ſingulaque Hæreticorum præjudicia huc ſpectantia referre, & refellere, quum eorum vel nuda recenſio in infinitum abiret. Summatim itaque.

702. Marcus Antonius de Dominis Archiepiſcopus Spalatenſis omnem conatum adhibuit, ut ſuaderet, Divo Petro minime fuiſſe a Chriſto collatum primatum Eccleſiæ, neque revera fuiſſe principem collegii Apoſtolici; unde ſubducebat, immerito Petri ſucceſſores hujuſmodi inſignia ſibi donant. Calvinus, Puritani, & Hugonottæ volunt, quod cœtus omnium ſimul Apoſtolorum, vel Epiſcoporum fuerit conſtitutus a Chriſto caput ſupremum Eccleſiæ. Brentius, Arminius, & Anglo-calviniſtæ accommodant gubernium ſpirituale Eccleſiæ unicuique Principi ſæculari, & Magiſtratui politico. Gulielmus de Sancto Amore, ejuſque diſcipulus Wiclef primo, quantum ſcio, negarunt Petrum fuiſſe Epiſcopum Romanum, addentes quod nec Romam is uſpiam vidit: quibus adſtipulati ſunt Udaricus, Valenus, Illyricus, aliique Lutherani. Calvinus parum ſol-

li-

dem aut mores, ut Eccleſia Romana, quæ a D. Petro uſque hodie fuit ſemper virgo in fide, & ad conſummationem uſque ſeculi mater erit, & magiſtra omnium Eccleſiarum, præfato Papali judicio religioſe obſequitur, & paret. P. Natalis ab Alexandro Sec. VII. Hiſt. Eccleſ. Diſſert. II. propoſ. II. Tom. XII. p. 161., ad judicium Pontificis ex Cathedra deſiderat quoque, ut diligenter attendatur ad Scripturam, & Traditionem, & inſuper præfato judicio Pontificis accedat conſenſus Eccleſiæ, non tantum Romanæ, ſed & aliarum. Verum quod hanc ſecundam ſpectat fuſiuſcule infra; prima autem minus apte meo videri apponitur, tum quia res fidei & morum, deſuper quibus ſolummodo verificatur privilegium Pontificiæ inerrantiæ, quum pertineant ad divinitus revelata, idcirco Pontifex ex ipſa rei materia conſtringitur ad perſcrutandas Scripturas, & Traditionem, utpote quorum præſidio, ac Pontificia poteſtate roboratur, & abſque errandi periculo aſcendit attingere aquas ſalutares ex ipſo fonte revelationis, nempe Chriſto; ſicque ea lege, qua R. Pontifex in rebus fidei & morum eſt falli neſcius, eadem lege præſupponi debet, ejus judicium certo reſpondere germanæ intelligentiæ Scripturarum, & Traditionis: tum etiam, quia præfata conditio imbibebatur in ipſa Pontificia poteſtate veteris Synagogæ, uti adnotabimus num. 737., haud itaque virum Chriſtianum decet, eandem a poteſtate Vicarii Chriſti abſtrahere.

licitus iſta negare ſolummodo noluit concedere, Petrum Romæ uſque ad mortem Epiſcopum fuiſſe. Alii Hæretici fingunt, quod Petro mortuo cum eodem extincta fuerit ſpiritualis Monarchia. Multo plures blaterones cum Græco-ſchiſmaticis licet agnoſcant Monarchiam ſpiritualem Petri in ejus ſucceſſores transfuſam, negant tamen hanc adnexam fuiſſe vel eſſe Epiſcopatui Romano: ea de re Wiclef & Hus divulgarunt, primatum Eccleſiæ tranſiiſſe ad Epiſcopos Romanos decreto Conſtantini Magni. Lutherus, ex diſpoſitione Conſtantini IV.; Magdeburgenſes, voluntate Phocæ; Calvinus, decreto Pippini & Caroli Magni; Nilus Theſſalonicenſis Epiſcopus addit, Romanum Epiſcopum ex Conciliorum decretis habuiſſe primatum quendam, ut videlicet primus Epiſcoporum eſſet, primus ſederet, primus ſententiam diceret, non tamen cæteris imperaret. Omnes Hæretici hujus temporis præeuntibus Nilo, Calvino, Luthero, Magdeburgenſibus, David Chytræo, Wolfgango, Muſculo, Beza, Bibliandro, multoque pluribus aſſerunt: licet Roma olim fuerit Eccleſiarum mater, verum ex quo Antichriſti ſedes fieri cœpit, deſiit eſſe id quod erat. Cum Luthero pariter, & Calvino eorum gregales ſentiunt, Romanum Pontificem etiamſi cum generali Concilio definiret aliquid, adhuc poſſe eſſe hæreticum in ſe, & docere alios hæreſim, & aliquando ita reipſa accidiſſe. Tandem Magdeburgenſes cum Nilo inſimulant pleroſque Romanos Pontifices erroris circa fidem, incipientes ab eodem Principe Apoſtolorum B. Petro, ac immediatis ejuſdem ſucceſſoribus, qui Apoſtolicam S. Sedem pro fide Chriſti proprio ſanguine purpurarunt, nimirum Linus, Anacletus, Theleſphorus, Victor, Zephyrinus, Urbanus &c. Hactenus Hæretici, quorum quidem commmenta non alio, ut vides, collimant, niſi ad evertendam & tollendam ſupremam auctoritatem & inerrantiam Romanæ Eccleſiæ, ſive Romani Pontificis.

703. Videamus itaque expedit, quomodo iſta congruant

Digitized by Google

cum doctrina & fide veterum Chriſtianorum, quorum legitimos hæredes ac ſucceſſores non magis Pontificii, quam Proteſtantes eſſe gloriantur. *Quid*, opportune Auctor Libri, cui titulus *De ſuprema Romani Pontificis auctoritate ex hodierna Eccleſiæ Gallicanæ doctrina*, quique uberrimam rei ſegetem ſuccinctim ſuppeditat (a), *de ſummorum Pontificum, de Sedis Apoſtolicæ auctoritate docuerint ipſi Romani Pontifices, quid omnia Concilia, quid unanimi ſenſu veteres Eccleſiæ Patres . . . . nuda & aperta illorum verba declarent ac teſtentur.*

Romanus Pontifex caput univerſalis Eccleſiæ (1), *Caput totius corporis* (2), *Organum Spiritus Sancti* (3), *Petra Fidei* (4), *Firma & immobilis Petra* (5), *Fundamentum Eccleſiæ* (6), *Cuſtos Fidei* (7), *A Chriſto conſtitutus fundamentum fixum & immobile, & columna Fidei* (8), *Adamas Fidei, cujus ſolida mens aggreſſionibus atque conflictibus alienæ a Fide opinionis non eſt vulnerabilis* (9), *Baſis Fidei immobilis* (10), *Caput totius Fidei* (11), *Fons vere illimis ac ſincerus veræ Fidei* (12), *Fundamentum dogmatum Fidei* (13), *Fundamentum ſuper quod columnæ Eccleſiæ confirmatæ ſunt* (14), *Portus ſecurus totius Eccleſiæ* (15), *Portus tu-*

(a) *In Præfat. p. XVIII., & ſeqq.*

(1) Paſchaſius S. Leonis Legatus in Concil. Chalced. Œcum.

(2) Ennodius in Apolog. pro Roman. Synodo.

(3) Concil. VIII. Œcum. Tom. VIII. Conc. p. 1127.

(4) Theodoret. Studit. Epiſt. ad Paſchal. I.

(5) S. Maxim. Mart. Epiſt. ad Abat. Thalaſſium.

(6) Sergius Metr. Cypr. Epiſt. lecta in Concil. Later. ſub Martin. I. ſect. 2.

(7) Concil. Chalced. Epiſt. Synod. ad Leon. Tom. IV. Concil. p. 823.

(8) Sergius cit.

(9) Concil. VI. Œcum. in proſphon. ad Conſtantin. Imp.

(10) Chryſoſt. Homil. in pſal. 50. & Hom. de Petro, & Elia.

(11) Philippus Legat. in Concil. Epheſ.

(12) Theodor. Studit. Epiſ. ad Paſchal. I. Lib. II. Epiſt. 13.

(13) Stephanus Dorenſis Epiſc. Epiſt. ad Synod. Lateran. ſub Martino I. conſult. 2.

(14) S. Athanaſ. cum Collegis ad Felicem Papam.

(15) Theodoret. Studit. loc. cit.

Digitized by Google

tutiſſimus totius Catholicæ communionis (16), *Propugnator firmus veritatis* (17), *Propugnator impenetrabilis ab omni errore* (18), *Medicus a Deo proviſus ſanandis Chriſti membris* (19), *Oculus totius corporis oſtendens rectam veritatis ſemitam* (20); *Ab omni Hæreticorum procella longe poſitus* (21), *Omnibus hæreſibus ſuperior* (22); *Petrus Fidei columna*, & *Fidei fundamentum ſemper in ſuis ſucceſſoribus vivit*, & *judicium exercet* (23). *In Romana Sede nullus unquam Hæreticus præfuiſſe dignoſcitur, nec unquam præficiendum, præſertim Domino promittente, confidimus; ait enim Dominus Jeſus:* Ego rogavi pro te, *Petre*, ut non deficiat Fides tua (24). *Apoſtolica ſedes nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt; ſed illibata ad finem uſque permanet ſecundum ipſius Domini pollicitationem:* Rogavi pro te, *Petre*, ut non deficiat Fides tua. *Conſideret itaque veſtra Clementia, quoniam Dominus, qui Fidem Petro non defecturam promiſit, confirmare eum fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper cunctis eſt cognitum* (25). *Hæc Chriſti oratio*, Rogavi pro te &c. *obtinuit, quod hactenus Petri Fides non defecit, nec defectura creditur in throno illius uſque in ſeculum ſeculi; ſed confirmabit corda fratrum, ſicut uſque nunc confirmare non ceſſat* (26). *Pro Petro Dominus ſe oraſſe fatetur, ex hoc innuens manifeſte quod ſucceſſores ipſius a Fide Catholica nullo unquam tempore deviarent* (27). *Cum pro Fide Petri, ne deficiat, a Domino ora-*

(16) Hieron. Epiſt. XVI.

(17) Conſtantin. Pogonat. Epiſt. Leon. PP.

(18) Concil. Chalced. Action. 29. in proſphon. ad Martianum Imper.

(19) S. Ignat. Patriarc. Conſtantinop. ad Nicolaum R. P.

(20) Tharaſius ad Adrian. PP.

(21) Theodoret. Stud. cit.

(22) Georgius Patriarch. Conſtantinop. in Apolog. ad Marcum Epheſinum.

(23) Concil. Epheſinum Œcum. Tom. III. Concilior. p. 626.

(24) Gregor. VII. Epiſt. ad Archiepiſc. Simand. Lib. VIII. Epiſt. I.

(25) Agatho S. P. Epiſt. ad Conſtantin. Imper., & Concil. VI. Œcumen., a quo ſummo cum applauſu ſuſcepta ac probata fuit illa Agathonis Epiſt. Tom. VI. Concil. p. 636.

(26) Leo IX. Epiſt. ad Petrum Antiochen.

(27) Innocent. III. Epiſt. XX. ad Patriarch. Conſtantinop.

Digitized by Google

oratum ſit, unius Romani Patriarchæ Fides, in qua fratres ſuos confirmet, nunquam deficiet (28). *Sedes Apoſtolica libera ſemper exiſtens, habens Domini auctoritatem dicentis*: Ego rogavi pro te, *Petre*, ut non deficiat Fides tua (29). *Eccleſia Romana mater omnium Eccleſiarum illibata Fide tenus manet, ſecundum ipſius Chriſti Domini pollicitationem dicentis*: Ego rogavi pro te, *Petre*, ut non deficiat Fides tua (30). *Secundum hanc Chriſti promiſſionem Eccleſia Apoſtolica Petri ab omni ſeductione, & hæretica circumventione manet immaculata* (31). *Prævidens Dominus, quod Eccleſia a Tyrannis conculcaretur, & ab Hæreticis laniaretur, & Schiſmaticis dixit:* Rogavi pro te &c. *Ex quo colligitur evidenter, quod ad Sedem Petri omnis quæſtio Fidei referenda ſit* (32). *Illa mater, & magiſtra Eccleſiarum omnium Eccleſia Romana, cui dictum eſt*: Ego rogavi pro te &c. (33). *Dominus ſciens alias Eccleſias hæretica impulſione nimium vexandas, & Eccleſiam Romanam, quam ſuper Petrum fundaverat nunquam in Fide debilitandam, dixit Petro*: ego rogavi pro te &c. (34). . . . *Eccleſia Petri in Fide firma ſemper fuit, & cum in aliis partibus vel nulla Fides ſit, vel ſit commixta multis erroribus, Eccleſia tamen Petri, & Fide viget, & ab erroribus munda eſt; nec mirum quia Dominus dixit Petro*: Ego pro te rogavi &c. (35) . . . . *Ad Petrum vicarium ſuum inquit Salvator:* Rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua: *defeciſſet Fides Petri ſi falſum eſſet Evangelium quod ſequimur, ſed manet Fides magni Paſtoris in Eccleſia Romana, quæ nunquam inventa eſt erraſ-*

(28) Anſelm. Epiſc. Lucenſ. in Opere adverſ. Guibert. pſeudo-Pontificem.

(29) Ioannes VIII. Epiſt. 73. ad Lambertinum Comitem.

(30) S. Lucius PP., & Martyr. Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & Galliæ.

(31) S. Cyrillus apud S. Thomam in catena Lucæ XXII.

(32) Gregorius IX. Epiſt. V. ad Germanum Conſtatinop. Patriarch.

(33) S. Petr. Damian. ſer. XXIII. de Nativitat. Joannis Bapt.

(34) Anſelm. Avelburg. in opere adverſ. Græcos de auctorit. Rom. Eccleſiæ.

(35) S. Thomaſ. in expoſitione Symboli.

raſſe, neque errabit in æternum (36). *Argumentum ex his verbis:* Ego rogavi pro te, *Petre*, ut non deficiat Fides tua, *eſt efficax pro ſede Petri, & ſucceſſore ejus, quod Fides ejus non finaliter deficiat* (37). *Romana Eccleſia poteſtatem accepit a Chriſto regendi, alias Eccleſias gubernandi, confirmandi, & corrigendi; non ut ipſa confirmetur ab aliis,* & tu, *inquit Salvator ad Petrum*, aliquando converſus confirma fratres tuos, *non dixit confirmari a fratribus tuis* (38). *In Sede Apoſtolica ſemper immaculata eſt Catholica reſervata Religio; & ſancta celebrata doctrina, idque juxta ipſius Chriſti ſententiam dicentis:* Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram &c. (39). *Petri Sedes eſt illa Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ* (40). *Petrus præſtans Sedi Romanæ, ut a portis inferi nunquam pro Domini promiſſione vincatur, omniumque ſit tutiſſimus portus* (41). *Non poteſt Domini Jeſu Chriſti prætermitti ſententia dicentis:* Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c. *Hæc quæ Petro dicta ſunt, vera probantur effectu; quia in Sede Apoſtolica inviolabilis ſemper cuſtoditur Religio* (42). *Coryphæa Sedes in qua Chriſtus poſuit Fidei claves, adverſus quam non prævaluerunt per omne ſeculum, nec prævalebunt uſque in finem ſeculi inferi portæ, ora videlicet Hæreticorum, ſicut promiſit ille qui non mentitur* (43). *Sancta Romanorum Eccleſia eſt fundamentum ſolidum, & maximum, contra quod portæ inferi nullo pacto prævalebunt, juxta ipſiuſmet Salvatoris promiſſionem* (44).

Ad-

(36) Pius II. in Epiſt. 396. ad Mahumetem Turcar. Principem.

(37) Albert. Magn. in cap. XXII. Lucæ.

(38) Ioſeph Epiſcopus Methon. Reſponſione ad Libellum Marci Epheſ. in Append. ad acta Concil. Florentin.

(39) Adrian. II. Libel. a Concil. VIII. Œcumen. ſuſcepto, & approbato.

(40) Auguſtin. in Pſalm. contra partes Donatiſtar.

(41) Gelaſius Papa Epiſt. XIV. cui concinit Leo IX. Epiſt. IX. ad Mich. Cerolar. cap. VII.

(42) Joannes Patriar. C. P. in Libel. ad Hormiſdam Papam.

(43) Theodoret. Stud. Epiſt. ad Neucratium, cujus initium eſt: *Non complebuntur*: & Gregor. Patriar. CP. Apolog. ad Marc. Epheſin.

(44) S. Maximus Martyr. Epiſt. ad Marinum diacon.

Digitized by Google

Adverſus eam (Sedem Apoſtolicam) *nunquam portæ inferi, hoc eſt, hæreſes prævaluere, imo ne attingunt quidem* (45). *A quo magis eſt nutantis Fidei ſtabilitas expectanda, quam ab ejus Sedis præſide cujus primus a Chriſto rector audivit*: tu es Petrus &c. (46) . . . *Apud Sedem Apoſtolicam indeficientem conſiſtere fontem, nullus ambigere poteſt* (47) . . . . *Ipſa* (Sedes Apoſtolica) *eſt ſacer vertex, in quo omnes Eccleſiæ vertuntur, ſuſtentantur, relevantur* (48) . *Nil errore, nil præſumptione, ſed pontificali totum deliberatione præcipitur* (49) . *In verbis Apoſtolicæ Sedis tam antiqua, atque fundata, certa ac clara eſt Catholica Fides, ut nefas ſit dubitare Catholicis Chriſtianis* (50) . *Obedienter attendendum eſt his, quæ a Beatiſſimo Papa Romanæ urbis præſcripta ſunt* (51) . *Quicumque non colligit cum Romano Pontifice, ſpargit* (52) . *Si quis dogmata vel decreta pro Catholica Fide, aut Eccleſiaſtica diſciplina a Sedis Apoſtolicæ præſule promulgata contempſerit, anathema ſit* (53) . *Sancta Romana Eccleſia, quæ ſemper immaculata manſit, & Domino providente, & B. Petro Apoſtolo opem ferente, in futuro manebit ſine ulla Hæreticorum inſultatione firma, & immobilis omni tempore perſiſtet* (54) . *Hæc Apoſtolica, & Mater omnium Eccleſiarum Chriſti Eccleſia illibata Fide tenus manet* (55) . . . *Romanorum Pontificum decreto cæterorum opuſcula tractatorum approbantur, itaut quod Sedes Apoſtolica approbavit, hodie teneatur acceptum; quod illa repulit ha-*

(45) In Concil. Florent. Œcum. ſeſſ. VII. Archiepiſcopus Rhodi.

(46) Poſſeſſor. Epiſc. African. ad Hormiſ. Summ. Pont.

(47) Epiſt. Synod. Epiſc. Africæ ad Theodor. P. Tom. VI. Concil. p. 128.

(48) Synod. Alexand. Præſide M. Athanaſio Epiſt. ad Felicem PP.

(49) Patres Tarraconenſ. Epiſt. ad Hilarium Pap. Leonis ſucceſ.

(50) S. Auguſtin. Epiſt. 157.

(51) S. Petrus Chryſol. Epiſt. ad Euthyc.

(52) S. Hieronym. Epiſt. 57. ad Damaſum R. P.

(53) Concil. Rom. ſub Nicolao II. cap. *Si quis* 25. quæſt. 2., & cap. *Ad abolenda* de Hæreticis.

(54) S. Hieronym. in cap. *Hæc eſt Fides* 24. quæſt. I.

(55) S. Lucius Pap. ad Epiſcop. Galliæ, & Hiſpan. cap. *A recta* 24. quæſt. I.

hactenus inefficax habeatur (56). *Ab omnibus quidquid ſtatuit R. Eccleſia, quidquid ordinat perpetuo irrefragabiliter obſervandum eſt* (57). *Sedes B. Petri Apoſtoli jus habet reſolvendi, utpote quæ de omni Eccleſia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio, ſi quid ad illam de qualibet mundi parte canones appellare voluerunt, ab illa autem nemini ſit appellare permiſſus* (58). *Quæ apud Romanum Pontificem acta ſunt, ne refricentur* (59).... *Romana Sedes a nemine, ne quidem a toto Clero judicari poteſt, ab ipſa vero judicari omnes* (60).... *Papæ judicium ultimum, & peremptorium eſt* (61)... *Patrum traditio Apoſtolicæ Sedi tantam auctoritatem tribuit, ut de ejus judicio diſceptare nemo auderet* (62).... *Ad hanc Sedem duntaxat declarare pertinet, quæ ſunt Fidei* (63). *Cauſæ Fidei congrua ſine dubio ſententia Romani Pontificis terminantur* (64)... *Si quæ de Fide ſubortæ fuerint quæſtiones, Romani Pontificis judicio debent definiri* (65).... *Qui autem primæ Sedis, imo totius orbis Præſuli reſiſtunt, Chriſti diſpoſitioni reſiſtunt* (66). *Ad illius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea quæ ſunt Fidei, ut ab omnibus inconcuſſa Fide teneantur* (67).

704. Hucuſque laudatus Auctor atque defenſor Pontificiæ inerrantiæ, qui licet tam cumulate rem expenderit, hæc alia penu noſtra exponenda duximus, utpote quæ ca-

(56) Nicolaus R. P. cap. *Si Romanor.* diſt. 19.

(57) Stephanus R. P. cap. *Enimvero* diſt. 19.

(58) Gelaſius I. Epiſt. 13. ad Epiſcop. Dardaniæ.

(59) Synodus Sardicenſis Œcum. ſub Julio I. Canone 3. & 4.

(60) Concil. Rom. ſub Sylveſt. P. can. ult. Idem ſub Symmacho R. P.

(61) Nicolaus R. P. ad Mich. Imperat. cap. *Patet* 9. quæſt. 3.

(62) Zoſimus R. P. Epiſt. ad Concil. Carthag.

(63) Concil. Viennenſe Œcum. in Clementina unic. *de Summa Trinit.*

(64) Gregor. Magn. Epiſt. 52. ad omnes Galliarum Epiſcop. Lib. IV.

(65) Orient. Eccleſiæ profeſſio fidei Concil. Lugdun. Œcum. accepta.

(66) Hugo Eterianus de Proceſſ. Spir. S. Lib. 3. cap. 10.

(67) S. Thomas Sec. Sec. quæſt. I. art. 10.

villationibus adverſariorum magis libera. S. Irenæus hocce matricium & originalium Orientis Eccleſiarum nobis affert teſtimonium (*a*)*: Maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ a glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam omnibus Fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum* (Romanorum) *pervenientem uſque ad nos, indicantes, confundimus eos, qui quoquo modo vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam ſcientiam, præter quam oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt, omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ ab Apoſtolis eſt, traditio*. Itaque ſecundum Irenæum traditio Apoſtolorum, & Fides omnibus annunciata pervenerunt uſque ad ejus ætatem per ſucceſſionem Romanorum Epiſcoporum; & quod ex doctrina Romanæ Eccleſiæ, quæ traditionem conſervat, ipſe Hæreticos confundebat. Quibus prolatis id probat exemplo S. Clementis Papæ, qui datis litteris Eccleſiæ Corinthiorum reparavit illius fidem variis interpretamentis turbatam, & diſciſſam. Tertullianus: *Habes*, inquit (*b*), *Romam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt . . . cui totam doctrinam Apoſtoli* (Petrus, & Paulus) *cum ſuo ſanguine profuderunt*. Origenes: *Manifeſtum eſt*, inquit (*c*), *& ſi non exprimatur, quod nec adverſus Petrum, nec adverſus Eccleſiam portæ prævalere poterunt inferorum; nam ſi prævalerent adverſus petram in qua Eccleſia fundata erat, contra Eccleſiam etiam prævalerent*. Cyprianus: *Navigare*, inquit (*d*), *audent ad Petri cathedram, & Eccleſiam principa-*

(a) *Lib. III. adv. Hæreſes cap. III. p. 232. B.*
(b) *Lib. de Præſcription. cap. XXXVI. Tom. III. p. 338. D.*
(c) *In cap. XVI. Matth. apud Bellarm. Lib. IV. de Rom. Pont. cap. III. col. 798. E.*
(d) *Epiſtol. LV. ad Cornel. Pontific. p. 119. col. I.*

Digitized by Google

palem . . . Nec cogitare eos eſſe Romanos , ad quos perfidia non poteſt habere acceſſum. Nanzianzenus (*a*) : *Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam Fidem , & ſemper eam retinet , ſicut decet Urbem , quæ toti orbi præſidet ſemper de Deo integram Fidem habere* . Ruffinus (*b*) : *In Eccleſia tamen urbis Romæ . . . . neque hæreſis ulla ſumpſit exordium : & mos ibi ſervatur antiquus*.

705. Hieronymus ut ab omni errandi periculo ſe ſe prudenter muniret , deſuper illa dirimenda quæſtione , utrum in Trinitate admittenda foret una hypoſtaſis , vel tres; quæ controverſia in tres factiones ſciſſam tunc tenebat orientalem Eccleſiam , quarum quilibet factioſus feſtinabat ad ſe trahere Hieronymum , & emendicato prætextu quod Romana Petri Cathedra ita , & non aliter ſentiebat : Hieronymus , inquam , tametſi juvenis ætate , doctrina autem, & moribus ſenex , pro explorato habens , Romanam Eccleſiam nullimode ac nuſpiam adhæſiſſe , vel adhæſuram contrariis dogmatibus, hiſce verbis conſulit Damaſum Papam (*c*) : *Mihi Cathedram Petri , & Fidem Apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam . . . Nunc in Occidente ſol juſtitiæ oritur ; in Oriente autem Lucifer ille qui ceciderat ſupra ſidera poſuit thronum ſuum . Vos eſtis lux mundi , vos ſal terræ , vos aurea vaſa , & argentea : hic teſtacea vaſa , vel lignea . . . Ego nullum primum , niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini Tuæ , ideſt Cathedræ Petri , communione conſocior: ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio . Quicunque extra hanc domum agnum comederit , profanus eſt . . . Non novi Vitalem , Meletium reſpuo , ignoro Paulinum* (*d*) . . . *Qui Tecum non colligit ſpargit . . . Diſcernite , ſi placet ,* ob-

(a) *In carmine vita ſuæ antè med. apud Bellar. cit. cap. IV. col. 802. A.*

(b) *In expoſ. Symb. Apoſt. ſub init. poſita in calce oper. D. Cypriani* p. 539.

(c) *Epiſt. LVII. ad Damaſum Papam Tom. II. p. 417.*

(d) *Iſti enim eodem tempore Antiochiæ erant Epiſcopi auctores , & promotores trium factionum.*

obſecro : tres hypoſtaſes dicere , ſi jubetis . . . Quamobrem obteſtor Beatitudinem Tuam per Crucifixum mundi ſalutem , par homouſion Trinitatem , ut mihi Epiſtolis tuis ſive tacendarum , ſive dicendarum hypoſtaſeon detur auctoritas . . . Hinc (*a*) *enim præſidiis fulta mundi ariana rabies fremit : hinc in tres partes ſciſſa Eccleſia ad ſe rapere me feſtinat . . . Ego interim clamito , ſi quis Cathedræ Petri jungitur , meus eſt . Meletius , Vitalis , atque Paulinus Tibi hærere ſe dicunt. Poſſem credere , ſi hoc unus aſſereret ; nunc aut duo mentiuntur , aut omnes . Idcirco obteſtor Beatitudinem Tuam per crucem Domini , per neceſſarium Fidei noſtræ decus , per paſſionem Chriſti , ut qui Apoſtolos bonore ſequeris* (*b*) *ſequaris , & merito : ita in ſolio cum duodecim judicaturus ſedeas* (*c*) *: Ita Te alius ſenem cum Petro cingat : ita municipatum Cæli cum Paulo conſequaris , ut mihi litteris tuis , apud quem in Syria debeam communicare , ſignifices . Noli deſpicere animam , pro qua Chriſtus mortuus eſt .*

S. Auguſtinus ſtatim ac intellexit , Sedem Apoſtolicam , ſive Innocentium I. reſcripto ſuo confirmaſſe damnationem errorum Pelagianorum. latam a pluribus ex Africa Epiſcopis in urbe Carthaginenſi , ac in Milevitana intrepide protulit , hujuſmodi cauſſam fuiſſe finitam , utpote quæ ab Apoſtolica S. Sede reſecta : *Jam enim* , inquit (*d*) , *de hac cauſſa duo Concilia* (Africana) *miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam , inde etiam reſcripta venerunt . Cauſſa finita eſt; utinam aliquando finiatur error .*

Tandem miſſis aliis doctiſſimis , ac probatiſſimis anti-

qui-

(a) *Hæc quæ ſequuntur habes apud Epiſt. LVIII. ejuſdem Hieron. ad Damaſ. ſuper eodem argumento pag.* 420. C.

(b) Audis , *ita Marianus Victor in hunc locum* , quam clare confiteatur (*Hieronymus*) Apoſtolorum honorem in Romanum Pontificem tranſlatum eſſe .

(c) *Hic Hieronymus comparat R. Pontificem Chriſto , qui Matth. XXI. v.* 28. *cum duodecim judicabit .*

(d) *Serm. CXXXI. alias II. de verbis Joannis cap. X. Tom. V. col.* 645. *D.*

quitatis jubaribus S. Bernardus : *Oportet* , inquit (*a*) , *ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque , & ſcandala emergentia in Regno Dei , ea præſertim quæ de Fide contingunt . Dignum namque arbitror , ibi potiſſimum reſarciri damna Fidei , ubi non poſſit Fides ſentire defectum . Hæc quippe hujus prærogativa Sedis . Cui enim altero aliquando dictum eſt : Ego pro te rogavi , ut non deficiat Fides tua ? ergo quod ſequitur Petri ſucceſſore exigitur : & Tu aliquando converſus confirma fratres tuos .*

706. Aſt Lectorem tædio forte devictum , & fractum mihi videor audire : quorſum iſta tam longo repetita principio? ut quid tot Veterum dicta eodem ferme tendentia Reponam , ut unuſquiſque parvo labore valeat propriis oculis rem intueri , atque ex ſe ſe penſare , utrum ea quæ ex ſententia Hæreticorum expoſuimus num. 702. reſpondeant , vel exorbitent a terminis quos Patres noſtri poſuerunt , ſumma religione adhærentes eidem excelſo culmini Chriſto Jeſu , ejuſdemque Apoſtolis immediate , vel quaſi immediate edoctis ; quod ut manifeſtius pateat unum ſubjiciam argumentum . Toties præfata Hæreticorum dicteria inevitabiliter convellentur , quoties ex proceribus noſtræ Religionis manifeſte conſtabit , nullum penitus Romanum Pontificem defeciſſe , vel defecturum in rebus Fidei dirimendis ; at qui res ita ſe habet , ergo &c. Major propoſitio probatione non indiget , quoniam ſicut Hæretici allegatis præjudiciis abrepti naturali conſecutione inferunt , Romanum Pontificem nullo frui inerrantiæ privilegio , & quod plerique eorundem reipſâ circa Fidem erraverint ; ita defenſores Pontificiæ inerrantiæ oppoſitis principiis probe perſuaſi (*b*)

op-

(a) *Epiſt. CXC. ad Innocentium II. De erroribus Petri Abailardi in Synodo Senonenſi damnatis Tom. IV. p. 111.*

(b) *Id eſt , quod ſoli Petro inter cunctos Apoſtolos fuerit a Chriſto collatus primatus auctoritatis , & juriſdictionis ; quod ex Chriſti oratione Petrus reipſa obtinuerit infallibilitatis privilegium circa fidem ; quod reipſa fuerit Romanus Epiſcopus ; quod non jure humano , ſed divina diſpoſitione ejus primatus annexus fuerit Epiſcopatui Romano ; & tandem quod omnes ſingulique Romani Paſtores ſuccedant in pontificiis Petri characteribus .*

oppoſitam conſecutionem inferunt, tam ſcilicet, quod Romanus Pontifex pro tempore exiſtens fruatur infallibilitatis privilegio, quam quod nullus penitus eorundem Pontificum in rebus Fidei dirimendis defecerit hactenus, vel in futurum deficiet. Ratio autem a priori eſt: quum de rebus ad Fidem ſpectantibus, Apoſtolo teſte (a), alia argumenta non ſuppetant humanis oculis quantumvis perſpicacibus ac improbo ſtudio tritis, niſi obſcura, adparentia, ac abſtruſis enigmatibus referta, idcirco, ſicut ex noſtris principiis ceu ex originalibus fontibus oritur inerrantia Romani Pontificis, ſive vi eorundem conſtituitur, & firmatur adæquata proportio inter oculos Romani Pontificis, & res divina Fide credendas; ita noſtris principiis rejectis, nihil manet in Romano Pontifice quo reddatur idoneus, & capax ad dirimendum vel quid unum ad Fidem pertinens ſine periculo errandi. Itaque hocce adſertum, nullus Romanus Pontifex in rebus Fidei dirimendis hactenus erravit, vel errabit in futurum, tantam plane connexionem habet cum noſtris principiis, ut ruente illorum uno, & iſtud ruat neceſſe ſit; vel ſi ſtabit iſtud, & illa vigeant oportebit.

707. Probatur itaque minor propoſitio dati argumenti, & tot quidem noſtrorum procerum teſtimoniis, quot ex Defenſore pontificiæ auctoritatis nuper exſcripſimus, & penu noſtra adjecimus, quæque ſi diligenter examinentur, & introſpiciantur, neminem fore arbitror etiam eorum qui bellum indixerunt pontificiæ inerrantiæ, & tot molitionibus non ſuccumbat, tot ponderibus non fatiſcat, tantis malleis non conquaſſetur. Omnibus quidem Veteribus perſuaſum fuiſſe adparet, quod Romanus Pontifex ſit lux mundi, ſal terræ, vas aureum & argenteum, organum Spiritus Sancti, firma & immobilis petra, fixum Eccle-
ſiæ

(a) *Ad Hebr. cap. XI. v.* 1. Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.

ſiæ fundamentum, baſis immobilis Fidei, firmus veritatis propugnator, impenetrabilis ab errore, omnibus hæreſibus ſuperior, ab omni Hæreticorum procella longe poſitus, ex Chriſti pollicitatione nunquam a via veritatis aberrans, ſuper ipſum Chriſti Eccleſia firmiter ædificata manens: adparet quoque, quod Fides Petri nec uſpiam defecit, nec defectura credatur in ejus throno uſque in ſeculum ſeculi; quod ſtante oratione Chriſti, Petri cathedra ab omni ſeductione immaculata conſiſtat; quod falſum eſſet evangelium cui adhæremus, ſi Fides Petri in Romano paſtore non manſiſſet, vel non manebit; quod ſi adverſus Romanum Pontificem portæ inferi prævalerent, prævalerent quoque contra ipſam Eccleſiam: quid plus? obedienter attendendum his, quæ a Romano Pontifice præſcribuntur, cauſſas Fidei Pontificis ſententia omnino finiri, ejus judicium eſſe ultimum ac peremptorium, nemini licere de ejus lato judicio dubitare, diſceptare, vel judicare, niſi velit ipſi Chriſto reſiſtere, non colligere cum Romano Pontifice perinde eſt, ac cum Hæreticis ſpargere. Hæc, miſſis aliis quæ poſſunt ex prolatis erui, fratres cariſſimi eſt Fides noſtrorum Patrum, a qua, ut bene videtis, quam longe aberrarunt præfati Hæretici. *Si quis*, hanc auream regulam, mille jam trecentis annis & amplius, propoſuit Cl. Vincentius Lirinenſis præ oculis habendam (*a*) *vult exurgentium Hæreticorum fraudes deprehendere, laqueoſque vitare, & in Fide ſana ſanus atque integer permanere, duplici modo munire Fidem ſuam Domino adjuvante, debet: primum ſcilicet divinæ Legis auctoritate, tum deinde Eccleſiæ Catholicæ traditione*. Porro in præfata Veterum deſcripta ſerie, ſpectante ad Pontificiam inerrantiam, habetis auctoritatem divinæ Legis laudatam illis verbis, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.*, *Rogavi pro te*, Petre, *ut non deficiat Fides tua &c.*; habetis Catholicæ Eccleſiæ tradi-

(a) *In Commonitorio num. II. p.* 317.

ditionem, omni inſigniori forma comprobatam; nemo igitur ſanus & integer in Fide permanebit, ſi Apoſtolicæ S. Sedi, ſive Pontifici ſedenti abjudicabit infallibilitatem in rebus Fidei dirimendis. *Hoc eſt enim*, perbelle idem Lirinenſis loc. cit., *vere proprieque Catholicum*, *quod ipſa vis nominis ratioque declarat* . . . *ſi ſequamur univerſalitatem*, *antiquitatem*, *conſenſionem*; at ex datis teſtimoniis manifeſtum eſt, venerabilem antiquitatem univerſaliter, & ſumma conſenſione celebraſſe inerrantiam Romani Pontificis, in quantum nullus Romanorum Pontificum hactenus circa Fidem erraverit, nec errare poſſit in futurum: curandum eſt igitur, ut pro Catholica Religione quam profitemur, ore pleno ac ſincero corde confiteamur inerrantiam Romani Pontificis.

708. Non ignoramus, teſtimoniis quoque divinæ Legis, & Traditionis præfatos Hæreticos præcolorare ſua dicteria: *Sed tanto magis*, animadvertit Lirinenſis (a), *cavendi*, & *pertimeſcendi ſunt*, *quanto occultius ſub divinæ Legis* (& Traditionis) *umbraculis latitant*. *Sciunt enim fætores ſuos nulli fere cito eſſe placituros*, *ſi nudi & ſimplices exhalentur; atque idcirco eos cæleſtis eloquii* (& Traditionis) *velut quodam aromate*, *aſpergunt*, *ut ille qui humanum facile deſpiceret errorem*, *divina non facile contemnat oracula*. Non itaque inficiamur quod Gulielmus a S. Amore, Wiclef, Lutherus, Calvinus, teſtimoniis nimirum divinæ Legis, & Traditionis indixerint bellum auctoritati, ac inerrantiæ pontificiæ, Magdeburgenſes infamarint S. Petrum quindecim horrendis lapſibus, inſimulantes quoque variarum hæreſum ſpectatiſſimos RR.PP. Linum, Anacletum, Theleſphorum, Victorem, Zephyrinum, Urbanum, Pontianum, & Marcellinum; alii debacchati fuerint in Liberium, in Felicem I., in Siricium, in Innocentium, Cæleſtinum, Leonem I., Gelaſium, Anaſtaſium II., Vigilium, magnum Gregorium, Bo-

(a) *Loc. cit. num. XXV. p. 356.*

Bonifacium II., Honorium I., Martinum I., Gregorium III., Nicolaum I., Stephanum VII., Sergium III., Joannem XIII., Silveſtrum II., Gregorium VII., uno verbo, nullum ferme R. Pontificem dimiſerint, cujus indeficientiam a Fide, prætextibus divina Lege & Traditione emendicatis, tanquam lupi ſub veſtitu ovium non proſciderint ac devorarint. Verum ut ſummatim intelligas, quod blaſphemarint potius nomen Domini, quum advocarunt in præſidium ſuorum errorum Legem Dei, & Eccleſiaſticam Traditionem, ſat evincunt tot teſtes & teſtimonia, quæ ab omnibus ſingulíſque RR. Pontificibus etiam periculum errandi in rebus Fidei vehementer eliminant. Quis enim ſibi ſuadere poterit, laudatos Veteres eximia ſanctitate, vel ſaltem doctrina & auctoritate excellentes latuiſſe, quod a rationibus nuper ſubortis obtruſum eſt, & evulgatum? Quis credet, D.Petrum quindecies contra Fidem reipſa peccaſſe, reipſa primævos RR. Pontifices in hæreſim incidiſſe, quum probatiſſimi viri, qui vel eadem vel viciniori ætate vixerunt, quibuſque ſine dubio veritas longe clarius innotuit, vel innoteſcere debuit, uno ore, unoque calamo, & conceptis verbis teſtantur, nullum ex RR. Pontificibus, qui aduſque eorum epocham Petri cathedram rexerunt, a recta Fidei ſemita deviaſſe? Quis heinc ſponte ſua non colliget, præfatas portas inferi pro more quorundam Cauſidicorum, qui ſuſcepto patrocinio alicujus deſperatæ cauſſæ, tam ingenti cavillorum prætextuumque colluvie rem adſpergunt, ut vel nullimode, vel non ſine improbo labore valeat æquus Judex veritatem venari; ita inquam filii Satanæ, idcirco non paucos, neque una ſpecie hæreſis infectos calumniati ſunt Chriſti Vicarios, ut ſcioli & minus cauti tot monſtris perterrefacti, pro re ardua, ac impoſſibili haberent, perpetuam S. Sedis inerrantiam? Et ſane, inter tot RR. Pontifices, quos ſub velamento divinæ Legis & Traditionis de crimine hæreſis accuſant, quinam eſt ille unus, ac nominatim definitus, de cujus lapſu concors

habeatur tam veterum quam recentiorum ſententia (*a*)? Nonne & hoc eſt illud omnino idem famoſum rete ab eiſdem jactum, de copioſis erroribus contentis in Vulgata vetere ſive Hieronymiana, quibus blateronibus plerique Hebraiſtæ hodie adſtipulati, plus quingenta menda in hodierno correcto Textu corrigenda ſtatuunt; tametſi ex his quæ deprompſimus §. ultimo cap. V. primæ Demonſtrat., nec illud unum vel per umbram ſubſiſtat, quod majori applauſu & faſtu divulgarunt reperiri Geneſ. III. v.15. *ipſa, conteret caput tuum*? Utinam & de tantis RR. Pontificibus, quos impudenter inculpant, unum individuum ſibi pro arbitrio ſeligerent, ac proferrent in medium, adjunctis monumentis divina Lege & Traditione acceptis, deſcriptis quoque minutis locis codicum ex quibus deligerent; quis non videt, quod breviori via hujuſmodi cauſſa finiretur? *Neminem vel unum*, præclare Jacobus Hyacinthus Serry D. Sorbonicus (*b*), *nobis* (adverſarii) *obtrudunt Pontificem Romanum, qui ſolemni quodam judicio, atque ex juris formulis pronunciato, fidem Catholicam violaverit; ſed errorum a RR. Pontificibus admiſſorum exempla proferunt unice, in quibus judicii ſolemniter & ex formula lati, ſpeciem quidem & umbram invenias*. Et conciſa oratione, memoratis factis quorundam RR. Pontificum, de quibus adverſarii cummaxime cauſſantur, *Itane*, ſic concludit, *iis in caſibus, aliiſque proferri ſolitis judicium ſolemne aliquod, quale modo deſcripſimus* (ex Cathedra, ſeu ex ſacro Tribunali ſolemni ritu pronunciatum) *tulere laudati Pontifices... convincantur?*

709. Bene intelligo, ſententiam abjudicantem Romano Pontifici irrefragabile judicium in rebus Fidei independenter

(a) *Quum ad noſtrum inſtitutum unice pertineat differere de Sixto V., quem etiam de errore in fide Proteſtantes, & Janſeniſtæ criminantur, jactitantes Sixtum V. erraſſe in negotio correctionis ſuorum Bibliorum, adeſis quæ exponemus ſequenti capite, & ex hoc uno ſpecimine conjicere poteris, quid ſentiendum ſit de aliis perperam infamatis RR. Pontificibus.*

(b) *Prælect. Theol. de R. Pontifice Diſp. II. Prælect. V. Tom. IV. p. 53.*

Digitized by Google

ter ab Eccleſiæ conſenſu, hac noſtra ætate non paucis Patronis etiam ex Catholicorum albo frui; aſt memento, apud judices emunctæ naris, parvæ auctoritatis eſſe illos textus, eaque teſtimonia, quæ adſpexerunt lucem poſt ſubortam litem. Ea de re Œcumenicum Concilium Florentinum in ſancienda concordia Eccleſiæ Græcæ, nullam habendam rationem decrevit Auctorum, qui poſt natum ſchiſma de articulis Græcos inter & Romanos eventilatis ſcripſerunt. Is ergo cui cordi erit ab ovo, & cautius rem introſpicere, ac diligenter ſegregare frumentum a paleis, ſummopere conſulat oportet eos teſtes, qui floruerunt ante rebellionem a poſtremis Hæreticis excitatam adverſus Apoſtolicam S. Sedem: neque fidem ſuam alliget paucis, & utcunque nominis, ſed juxta monitum Lirinenſis, ſectetur veſtigia univerſitatis, antiquitatis, & conſenſionis, cæteris præferens eos veteres, *Qui*, eodem Lirinenſi monente (*a*), *in Fide & communione catholica, ſancte, ſapienter, conſtanter viventes, docentes, & permanentes, vel mori in Chriſto fideliter, vel occidi pro Chriſto feliciter meruerunt*. Et eo vel maxime, quod hic non agitur de re pertinente ad grammaticam, ad philoſophiam, ad aſtrologiam, ad nauticam, ad muſicam, ad mechanicam, cæteraſque naturales diſciplinas, in quibus non magis Antiquis quam Recentioribus fidendum, & reipſa Recentiores in eiſdem multa peccata Veterum deprehendunt: agitur de Pontificis inerrantia ſpectante ad revelata Chriſtianæ Religionis, ac per conſequens non aliter rimanda & repetenda venit, quam ex recenſitis ſelectiſſimis Veteribus, & ex Scripturis, quæ cum earundem germano intellectu, Veterum beneficio ad nos pervenerunt (*b*). *Præterquamquod*, tametſi Launojo (*c*), Dupino (*d*), anony-

(a) *In Commonit. num. XXVIII. p. 362.*

(b) *Noli oblivíſci eorum, quæ expoſuimus adverſ. Joan. Clericum num. 596. & ſeqq.*

(c) *Par. IV. Epiſt. VI. ad Henricum Barillonium.*

(d) *De Antiquit. Eccleſ. Diſcipl. Diſſert. V. §. VII.*

nymo Doctori Lovanienſi (*a*), aliiſque recentibus politicis Theologis libuerit ſpargere in vulgus, ſuam ſententiam ab omnibus fere omnium nationum DD. propugnari, in eandem deſcendere quotquot ſunt terrarum ubique pietatis ac eruditionis laude commendabiles, & ab iis ſolum impugnari Theologis, qui vel nullius exiſtant ponderis, vel curiæ Romanæ ſtudiis ſerviliter mancipentur; verum hanc effrontem calumniam, quam in totum Orbem Catholicum jactant iſti novelli Dogmatiſtæ, ſatis ſuperque refutat Doctiſſimus Cardinalis de Biſsy: *Omnes*, inquit, *extraneæ nationes Pontificiam infallibilitatem conſtantiſſime agnoſcunt... In aliis omnibus Regnis ſicut & in Hiſpania Summi Pontificis infallibilitas ex profeſſo creditur*: & iterum, *Catholici Epiſcopi in aliis Regnis S. Pontificem in rebus Fidei infallibilem eſſe credunt* (*b*). Quod quidem non pro arbitrio, vel ſine gravi fundamento id profert: *Nudo*, ſubdit, *oculorum conjectu opus eſt, ut in impreſſis exterorum Epiſcoporum Epiſtolis* (*c*) *deprehendatur ipſis eſſe perſuaſum, Pontificias deciſiones omnibus fidelibus miſſas ad dirigendam ipſorum Fidem eſſe per ſe ipſas, & independenter ab Epiſcoporum tum examine, tum acceptatione infallibiles* (*d*). Quid plu-

(a) *De locis Theol. Tom. III. a pag. 210. uſq. ad 270.*

(b) Comment peut-on aprés cela conteſter, que la Bulle *Unigenitus* ne ſoit pas adoptée dans tous les Etats etrangers, oú l'infallibilité du Pape eſt conſtamment reconnue. *Biſsy in documento Paſtor. an.* 1722. *p.* 140. *Item p.* 117. Les Eveques de tous les autres Etats oú l' on fait profeſſion. de croire comme en Eſpagne l' infallibilité du Souverain Pontife: *Et pag.* 115. Les Eveques Catholiques dans les autres Etats (*hors de la France*) croyent le S. Pere infaillible dans les matiéres de la Foi.

(c) *In margine enim citat Librum, cui Gallice titulus eſt:* Temoignage de l'Egliſe univerſelle, *in quo collecta leguntur luculentiſſima ac apertiſſima omnium undique Epiſcoporum & Academiarum litteræ, ac monumenta comprobantia Pontificiam infallibilitatem.*

(d) Il n' y à qu' à jetter les yeux ſur les lettres imprimèe des Evêques des Pays ètrangers pour voir qu'ils ſont perſuades que les deciſions des Souverains Pontifes adreſsèes a tous les Fideles pour regler leur croyance ſont infaillibles par elles-memes, & independemment non ſeulement de l'examen, mais de l'acceptation des Eveques. *De Biſsy. ibidem.*

Digitized by Google

plura ? Ipſimet Queſnelliani , ut acceptationem Bullæ *Unigenitus* ab Eccleſia univerſali factam infirmarent, oſtendebant exteros omnes Epiſcopos Pontificiæ infallibilitatis patronos eſſe , proindeque illorum ſuffragium pro nihilo habendum , effutiebant (*a*); itaque ſi Queſnellianis teſtantibus omnes Epiſcopi Itali , Hiſpani , Luſitani , Germani , Hungari, Poloni , Dalmatici (*b*) agnoſcunt infallibilitatem Romani Pontificis, aliis pro merito damnare præfatam impoſturam Launoi , Dupini &c. dimittitur , id unum memorare ſatis habens: Agitur de univerſo Epiſcoporum ordine, cujus unanimi ſententiæ, ſive in Concilio latæ, ſive extra Concilium inverecundi Janſeniſtæ alias refragari non audent , quum nimirum omnes infallibiles Fidei deciſiones , vel ad Concilium generale Epiſcoporum , vel ad conſenſum Eccleſiæ, ſive Epiſcoporum ubique diffuſorum referendas ſtatuunt , ut modo edifferetur .

§. II.

Summatim exponitur germana ſententia Eccleſiæ Gallicanæ circa privilegium infallibilitatis , quo Romana Eccleſia in rebus Fidei dirimendis fruitur : ubi etiam de Gallorum Janſenianorum pravitate .

710. Non eo equidem ſcopo aliqualem huic provinciæ navamus operam , perinde quaſi ex ſolo judicio Gallicanæ Eccleſiæ lis pendeat , ſive ex eadem ſit unice veritas divinæ Fidei rimanda . Quorſumne apud Veteres vel fando auditum eſt , quod Gallicana Eccleſia ſit mater & magiſtra Chriſtianorum , vel quod eidem collatum ſit privilegium dignoſcendi ſine erroris periculo dogmata Religionis ab hæreſibus, aut ipſius ſententia cæteris Eccleſiis per uni-

(a) *Fertur ab Auctore de ſup. R. P. auct. cit. Lib. I. Cap. VIII. p.* 149.
(b) *De Epiſcopis Gallicanis diſſeremus infra n.* 728.

niverſum orbem diffuſis præferenda? Poſtquam (quod abſit) ea Eccleſia quid ſibi ſuiſque non credendum vel non faciendum proponat, cui cæteræ Chriſti Eccleſiæ, ut par eſt, adhærerent Apoſtolicæ S. Sedi docenti oppoſitum, dicas amabo te, hoc in caſu, error aut hæreſis quorum animis inſideret? Italorum ne, Hiſpanorum, Germanorum, Siculorum, aliarum illuſtrium gentium, an Gallorum, & non ſine gravi animarum ſuarum pernicie? Quod quidem dubium haud nos aliique exteri reſolvamus oportet: ipſimet nuperi Gallorum Scriptores, qui adſertæ libertatis illius Eccleſiæ magis zelotes videri volunt, præclarum ſpecimen nobis ſuppeditant, quum ſolemniori forma ſtabiliunt & teſtantur: ſoli Œcumenico Concilio aut conſenſui univerſæ Eccleſiæ extra Concilium ineſſe privilegium infallibilitatis in rebus Fidei & morum. Ubi vides, eoſdem haud dubie reſponſuros, non Italos, non Hiſpanos, non Germanos, non Siculos, ſed ſolam Eccleſiam Gallicanam fieri, & eſſe in tali caſu erroris matrem, magiſtram, imo ſervam & captivam; utpote quæ nullo ſuffragante Œcumenico Concilio, & refragante conſenſu aliarum Eccleſiarum, ejus privatæ libertati eam facultatem attribueret, quæ cum profeſſione Fidei orthodoxæ nullimode coire poteſt (*a*). Ea itaque conſilii ra-

(a) *Verum ſi res ita ſe habet, quorſum tendunt ea quibus Joannes Launojus, Elias Dupin, Natalis ab Alexandro, ementitus Boſſuetius, aliique id genus multi non contenti denegare Pontificiam inerrantiam, hanc eorundem privatam opinionem, magni faciunt præfigere univerſæ Gallicanæ Eccleſiæ, buccinantes, centieſque volentes teſtatum:* Hæc eſt Gallorum ſententia, hæc eſt doctrina Gallicanæ Eccleſiæ, ſic ſtatuit ſacra Facultas Pariſienſis, eſt aperta declaratio Cleri Gallicani ſolemniter ſancita, ſic avitam libertatem Galli vehementer cuſtodiunt? *Modeſtiæ erit hujus rei judicium viris æquis & doctis committere, quibuſque, antequam rem definiant, ſequentem relationem Gallicani Epiſcopi Siſtaricani Franciſci Lafiteau commendatam velim:* La Chieſa, *inquit init. Præfat. Mandati Paſtoral. ſermone Italo verſo, editoque Coloniæ an. 1756. ſumptibus Joan. Manfre p. VII.*, di Francia viene agitata miei cariſſimi Fratelli da una delle più violenti tempeſte, che abbia mai ſofferto. I difenſori del P. Quenel ſon così vivamente animati, e acerbamente inaſpriti contro la Bolla *Unigenitus*, i licenzioſi loro ſcritti ſono moltiplicati e ſparſi a tal ſegno, ed i progreſſi

ratione, omnes monitos eſſe velim, propoſito argumento nos incumbere, ut pro comperta tenuitate oſtendamus, quam perperam, quam oſcitanter, & perfunctorie nobis opponatur auctoritas illuſtriſſimæ Gallicanæ Eccleſiæ, utpote cui non ſine graviſſima ejuſdem injuria hac noſtra ætate communiter adſcribitur ſententia aſſerens: *In Fidei quoque quæſtionibus præcipuas Summi Pontificis eſſe partes, ejuſque decreta ad omnes, & ſingulas Eccleſias pertinere, nec tamen irreformabile eſſe judicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit*. Per Janſeniſtas & Janſeniſtarum fautores certe non ſtetit, quo minus hujuſmodi famoſum præjudicium evulgaretur apud exteras Nationes, uſqueadeo memetipſum etiam propemodum præoccuparit; quum vero animo occurrit rem penſiculatius percontari, conſulendo nimirum ac conferendo ad invicem nonnullos nuperos Gallicanos Scriptores, tam Janſeniana labe infectos vel ſuſpectos, quam omnino liberos, cælum novum mihi certe intueri viſum eſt, terramque novam. Et ſane, vidi Janſenianos tam pravo ſtudio hujuſmodi palæſtram exercuiſſe, ut minime dubitarint eiſdem penitus momentis ſuam nuper deſcriptam ſententiam ingerere mundo, ac Wiclef, Lutherus, Calvinus, cæterique hoſtes Romanæ Eccleſiæ, de quibus n. 702., petulanter invaſerant Romani Pontificis primatum in univerſa Eccleſia, ac inerrantiam in rebus Fidei. Vidi eoſdem tam magni facere recentiorum Hæreticorum dicteria, perinde quaſi eſſent oracula a Spiritu Sancto profecta, vel ſi nuſpiam Theologus hactenus extiterit, qui atram picem coxerit (*a*). Vidi tot cavillis, apertiſſimiſ-

greſſi del male ſi vanno talmente inoltrando, che tutto è da temerſi in Francia per la Religione, e per lo ſtato. Il Calviniſmo che Luigi il Grande eſtirpò, che Luigi il Giuſto potè appena raffrenare, che Errico IV. tolerò per neceſſità, non ebbe principj più pericoloſi, gli animi ſi diviſero, i cuori ſi diſſunirono, i partiti ſi formarono, e la diſcordia, che trovò diſpoſizioni alla rottura, portò il fervore, e il fuoco per tutte le noſtre Provincie. Tali ſono ancora oggidì gl'infortunj che ci minacciano le conteſe preſenti.

(a) *Potiora argumenta petita ex Scripturis, ex PP., & Hiſtoria adverſus Pontifi-*

miſque mendaciis percenſere nonnulla Gallorum facta ſpectantia ad obedientiam Apoſtolicarum conſtitutionum, ut unice ſuis probandis præjudiciis aſſumpſerint, atque deſcripſerint (*a*). Vidi, prætermiſſis aliis, adeo ſibi contradicere, & nutantibus cavillationibus hærere, ut vel tyrones Theologos puderet tam inconſtantes, vacillantes, & cavilloſos, ſe ſe prodere.

711. Licet Janſeniani minime adhæreant imperitioribus Hæreticis, qui etiam Eccleſiæ denegant facultatem dignoſcendi infallibiliter, quid pro conſequenda ſalute credendum ſit; quoniam ut bene obſervat Cl. Boſſuetius Meldenſium Epiſcopus (*b*), Carentoniana Proteſtantium Synodus celebrata an. 1644., graviſſimo decreto damnavit independentiam privatorum Spirituum ab Eccleſia in rebus eccleſiaſticis; nihilo tamen ſecius quum iidem Janſeniſtæ agunt de definiendo medio, quod Dei Eccleſiæ ſuppetit ad dirimendum abſque erroris periculo & irreformabiliter quæſtiones Fidei, non minus ac folia ventis agitata hinc inde imperitiſſime & impudenter ſe ſe vertunt: cui quippe rei oſtendendæ duo ſubjiciam ſpecimina, unum ex eorum ſyſtemate, aliud ex eorundem facto. In gratiam prioris auſcultemus Eliam Dupinum, qui inter omnes Janſeniſtas ejus ævi videri voluit doctior, ac eundem reipſa Janſeniſtæ hodierni tanquam maximum præceptorem ſedulo conſulunt, manibuſque terunt. Dupinus in ejus Libro inſcripto *Traitè de la Puiſſançe*, probaturus Concilium Generale eſſe ſupra Papam taliter ſe ſe gerit, ut probet etiam nihil in Dei Eccleſia abſque congregatione Conci-

lii

ficiam inerrantiam., quibus non ſine faſtu utuntur Launojus, Dupinus, Boſſuetius fictitius, cæterique ejuſdem farinæ, maxima ex parte olim Bellarminus, & nuperrime P. Mattheucci cum aliis propemodum innumerabilibus probatis Theologis ex inſtituto eventilantes, uno calamo ad Hæreticos referunt.

(a) *Quorum præcipua, nuda ſuffragante veritate, noſtris curis erit brevi ſermone paulo infra exponere.*

(b) *In Expoſitione Doctrinæ Eccleſ. Cath. cap. XX. p. 178.*

lii generalis definiri poſſe infallibiliter de rebus ad Fidem & Religionem ſpectantibus, niſi eadem univerſalis Eccleſia in Concilio generali congregetur. Hiſce enim momentis tendit ad ſcopum (a); *primo*, quia Concilium generale repræſentat Eccleſiam univerſalem, cui unanimi conſenſione Patrum præfata auctoritas a Chriſto in Petri perſona collata fuit; *ſecundo*, quia nonniſi Hæreticus audebit denegare infallibilitatem Concilio generali (b); & inſuper evidens eſt, legem latam ex conſenſu multorum Epiſcoporum, ex omnibus mundi partibus in Concilio, rem mature diſcutientium ac mutuo conferentium, majoris auctoritatis eſſe, ac illa quam unus Epiſcopus quantumvis dignitate ac præeminentia cæteris præſtans conderet (c); *ter-*

(a) *Prevues de la ſeconde Propoſition de l' Aſſemblée du Clergè p. 372. & ſeqq.*

(b) *Aliter loquendum de Concilio generali, in quo R. Pontifex per ſe, vel per ſuos Legatos præſidet, aliter de Concilio generali, in quo nec per ſe nec per Legatos Papa praeeſt. Utique nonniſi Hæreticus profevet, Concilium Œcumenicum primo modo acceptum, non frui infallibilitatis privilegio; at nonniſi Janſeniſta Concilio generali in poſteriori ſenſu accommodabit præſatum privilegium; quandoquidem Concilium ſine Papa vel ejus Legatis, non repræſentat integrum Eccleſiæ corpus, ſed corpus acephalum: porro non corpori Eccleſiæ acephalo, ſed plene integro Chriſtus contulit inerrantiæ privilegium. Ea propter ut paucis exſufflemus inertiam Dupini in colligendis ex Hæreticorum libris tot Veterum teſtimoniis, quam lubentiſſime obtemperamus SS. Patribus interdum aſſerentibus, Chriſtum in perſona Petri dediſſe claves Eccleſiæ; ſed ex hoc vix infertur, non tantum Petro ſeorſim accepto, ſed etiam Eccleſiæ humiliter adhærenti Petro Chriſtum communicaſſe poteſtatem dijudicandi res ad Religionem ſpectantes. Quod autem Dupinus eiſdem veteribus PP. inviiis ſubducat, Petrum nuſpiam accepiſſe a Chriſto plenam poteſtatem clavium independenter a Concilio, abundanter ex prolatis n. 703. & ſeqq., & ex proferendis n. 749.*

(c) *Quam longe a Chriſtiana veritate & Fide aberrarit Dupinus, qui ob defectum ſolemnioris ac exactioris ſcrutinii, quod adhiberi ſolet in Conciliis Œcumenicis, argumentatur, Pontificias conſtitutiones non eſſe ab ortu ſuo irrefragabilis auctoritatis, manifeſte colligitur ex eo falſiſſimo præjudicio, quo tota antiquitate reclamante, & ſolis Proteſtantibus ſuffragantibus arbitratur, Romanum Pontificem in rebus Fidei dirimendis non eſſe erroris expertem, & tantam videtur vim tribuere humano Theologorum ſcrutinio, perinde quaſi ſe habeat non ut mera diſpoſitio, ſed ut cauſſa phiſice influens in definitionis inerrantiam; nos autem quorum religio eſt, nec pro tantillo diſce-*

rio, exemplo Apoſtolorum, qui licet ob gratiam Spiritus Sancti qua ſinguli abundabant, non indigebant alieno conſilio; non aliter tamen voluerunt definiri, ſi oporteret circumcidi gentes, niſi mediante Concilio Hieroſolymis celebrato (*a*); *quarto*, miſſis aliis levioris momenti, ex perpetua conſuetudine Eccleſiæ, quæ ut dirimeret præcipuas controverſias Fidei & diſciplinæ, Concilia generalia indixit & coadunavit (*b*): nulli ergo dubium, ad voluntatem Dupini

ſcedere a ſemita noſtrorum Procerum, cum eiſdem firmiter credimus & tenemus, Spiritum Sanctum ex æquo aſſiſtere, & influere tam in Patres Concilii Œcumenici, quam in Romanum Paſtorem extra Concilium in rebus Fidei. Et quum humana ratio conatur ſcrupulum in mentem noſtram injicere, quod longe perfectius ſcrutinium adhiberi præſumitur in Concilio Œcumenico, quam a R. Pontifice extra Concilium, confeſtim recordamur illius celeberrimi ac ſacratiſſimi carminis : præſtet fides ſupplementum ſenſuum defectui*: hoc eſt, licet humana ratio dictet, eo controverſiam aliquam exactius dirimi, quo diligentius diſcutietur, ac plurium mutua collatione & conſenſu dirimetur; huic tamen defectui perfectioris ſcrutinii abunde ſupplet non tam illud graviſſimum ſtudium Romanæ congregationis ſelectiſſimorum Cardinalium, & Theologorum, quibus quidem ſummi Pontifices in rebus Fidei definiendis diligentiſſime utuntur, quam etiam, immo primum potiſſimumque ea religioſa fides, qua cum venerabili Antiquitate credimus, & tenemus, Chriſtum oraſſe pro Petro ejuſque ſucceſſoribus, ne in rebus Fidei diſcutiendis, & dirimendis vel per umbram deficiant.*

(a) *Si ex hoc facto Apoſtolorum recte inferetur, nihil de rebus Fidei definiri poſſe ſine Concilio Œcumenico, plane male ſe geſſit D. Petrus, quum abſque aliorum Apoſtolorum conſilio & conſenſu definivit, Epiſtolas Paullinas fuiſſe a Spiritu Sancto profectas, ut videre eſt nu. 739. Et quoniam ſinguli Apoſtoli, ob ſpeciale privilegium ipſis ſolummodo a Chriſto tributum, habuerunt poteſtatem condendi novos Fidei articulos, plane quotquot Fidei dogmata ediderunt ſine aliorum Apoſtolorum orali conſenſu, & diſcuſſione, omnia inquam non eſſent a primo edita cum prærequiſito ſigno inerrantiæ, quod per Dupinum eſt Concilium Generale : quas quidem pueriles ineptias recipiat qui poteſt, nos damnamus.*

(b) *Verum in præſentia non diſceptatur, utrum aliquando neceſſarium ſit ac expediens congregare Concilium Œcumenicum, quod libenter affirmamus; bene vero, num independenter a Concilio valeat Papa irrefragabiliter definire aliquam Fidei controverſiam, ad quod pariter concedendum ipſamet perpetua Eccleſiæ praxis quemlibet Chriſtianum rationis compotem adigit atque compellit. Nonne independenter a Concilio generali Innocentius I. damnavit pelagianam Hæreſim, Gelaſius ſegregavit Libros canonicos a non canonicis, Innocentius II. perſtrinxit errores Abailardi, Leo X. monſtra Lutheri, Pius V. deliria Michaelis Baii?*

Digitized by Google

pini requiri neceſſario Concilium generale, ad hoc ut in Eccleſia ſine erroris periculo dirimatur aliqua Fidei, vel Religionis controverſia. Tum pergit ad ſuadendum (*a*), judicium Romani Pontificis etiam in rebus Fidei tunc ſolummodo eſſe irreformabile, quum acceſſerit conſenſus Eccleſiæ. Tandem libere concedit (*b*), Apoſtolicam S. Sedem, ſive Eccleſiam Romanam frui infallibilitatis privilegio, tametſi in ea ſedentibus Romanis Epiſcopis id nullimode conveniat. Quibus libatis.

712. Diligenter velim intelligas, utrum iſta, quæ Dupino ejuſque aſſentatoribus ſolemnia ſunt, ſibi conſtent? Ad placitum itaque Dupini neceſſario flagitatur Concilium generale, ad hoc ut aliqua controverſia Fidei ſine erroris periculo in Dei Eccleſia definiri poſſit; ergo ſibi apertiſſime contradicit, quum concedit, eſſe irrefragabile Romani Pontificis judicium accedente Eccleſiæ conſenſu; quandoquidem per conſenſum Eccleſiæ ipſe non intelligit Eccleſiam conſentientem in Concilio, ſed ubique terrarum diſperſam: ſi igitur ad infallibilitatem Pontificii decreti ſat erit conſenſus Eccleſiæ diſperſæ, cadet profecto neceſſitas Concilii generalis; vel ſi Concilium generale neceſſario requiretur, nec conſenſus Eccleſiæ ubique terrarum diſperſæ valebit teſtari irreformabile eſſe Papæ judicium. Si dixeris, Janſeniſtarum ſcopum unice collimare ad rejiciendam Pontificiam inerrantiam, parum curantes, eandem alligare vel Eccleſiæ in Concilio generali coactæ, vel per totum orbem Catholicum diſperſæ, oppido falleris: quoniam allegata momenta, quibus Dupinus demonſtrat neceſſitatem Concilii generalis, ut cuique conſideranti patet, ſatis ſuperque excludunt conſenſum Eccleſiæ diſperſæ tanquam inſufficientem: aut itaque Janſeniani renuntient oportebit mo-

Pp 2

(a) *Prouve de la Quatrieme Propoſition p. 695. & ſeqq.*
(b) *Réponſes aux Objections pag. 760. 766. & alibi, cui diſertiſſime concinit ementitus Boſſuetius, cujus loca citabimus in nota n. 731.*

Digitized by Google

momentis probantibus neceſſitatem Concilii generalis ad inerrantiam definitionis, vel nec ſat eſſe fateantur conſenſum Eccleſiæ diſperſæ ad conſtabiliendum Romani Pontificis judicium. *Item*, ſi eodem Dupino teſte & judice, Apoſtolica S. Sedes ſive Eccleſia Romana fruitur inerrantiæ privilegio, quis vel cæcutiens ex ejuſdem ſententia non eruet, ſolum conſenſum Romanæ Eccleſiæ ſat eſſe ad irreformabilem Pontificii decreti auctoritatem, ſive judicium Pontificis eſſe irreformabile quum acceſſerit ſolius Romanæ Eccleſiæ conſenſus? Si ita, quorſum tendent tot momenta ex Proteſtantibus mutuo accepta, quibuſque conatur ſuadere ad infallibilitatem decreti expoſtulari conſenſum Eccleſiæ ſive in Concilio, ſive extra diffuſæ? Ita pariter, quis non mirabitur Janſeniſtas aſſerentes, Pontificem ſive S. Sedem eſſe infallibilis auctoritatis in quæſtionibus juris & non facti, quum interdum tueantur doctrinam Janſenii tanquam veram, & ab eodem D. Auguſtino olim traditam, tametſi ea fuerit ab Apoſtolica S. Sede damnata, & pertineat ad quæſtionem juris? quis non mirabitur eoſdem concedentes R. Eccleſiam eſſe falli neſciam, quum teneant pro veris permultas propoſitiones quæ in Bulla *Unigenitus* damnantur, quaſque R. Eccleſia pro falſiſſimis, & damnatis agnoſcit? quis non mirabitur Janſeniſtas adpellantes ad futurum Concilium, vel ad conſenſum Eccleſiæ diffuſæ, ad hoc ut irrefragabiliter definiatur, utrum quinque propoſitiones ſint reipſa Janſenii, & juxta ſcopum ab eodem intentum damnatæ? Vel Janſeniſtæ hæc dubia agnoſcunt pro quæſtionibus facti puri, vel facti dogmatici? ſi priori modo, ſtulte appellant ad Concilium & conſenſum Eccleſiæ, quoniam, ut in confeſſo eſt, non tantum R. Pontifex, ſed etiam Concilium Œcumenicum, & univerſa Eccleſia in hiſce quæſtionibus errare poſſunt; ſi habebunt pro factis dogmaticis, palam una manu auferunt ab Apoſtolica S. Sede, & ab Eccleſia Romana illud inerrantiæ privilegium in rebus Fidei, quod alia manu eidem offerunt: ſi enim credunt & te-

tenent, quod Fides Petri non ſolum in Eccleſia univerſali & Catholica, ſed etiam in Sede Apoſtolica, ſeu in peculiari R. Eccleſia a D. Petro fundata nunquam defectura ſit, jam in idem penitus ſolium definiendi infallibiliter, manifeſte collocant Concilium generale, Eccleſiam per Orbem Catholicum diffuſam, & Apoſtolicam S. Sedem, ſive ſolam Eccleſiam Romanam. Quod ſi vero res ita ſe habet, aliorum eſto judicium, utrum Janſeniani ſibi conſtent, dum a Conſtitutione *Unigenitus* appellant ad futurum Concilium, & generatim expectant conſenſum Eccleſiæ, ad hoc ut quodlibet judicium R. Pontificis in rebus Fidei, tametſi Romæ promulgatum & receptum, cenſeatur irrefragabile ac irreformabile. Hactenus tametſi ſtricto ſermone quantum ad fluctuoſum Janſenianorum ſyſtema.

713. Jam vero ad eorumdem famoſum factum pro modulo deſcribendum devenimus. Antequam Innocentius X. quinque propoſitiones Janſenii condemnaret, Janſeniſtæ minime dubitabant affirmare cum eorum anteſignano Epiſcopo Graſſenſi, Papam eſſe centrum unitatis, & pro more Eccleſiæ veteris, ab eodem ultimum judicium in quæſtionibus Fidei expectandum. Ea de re pro tuenda apud eundem Innocentium Janſenii cauſſa, Romam miſerunt DD. Brouſſe, La Lane inſignes Doctores, & Angran Licentiatum in Facultate Pariſienſi: tum in horum ſubſidium poſt aliquot menſes ibidem legarunt P. Deſmares Presbyterum Gallicani Oratorii, & D. Maneſſier, qui quippe Janſenianorum Legati una cum De S.Amour, ab initio anni 1651. in poſterum, non ſemel introducti ad audientiam viſibilis Chriſti Vicarii, pro virili tentarunt ſubdolis artificiis & prætextibus eundem R.Paſtorem compellere ad ſuas partes. Pontifex autem poſt diligentiſſimum ac ſeverum examen, maturamque diſcuſſionem habitam per duos integros annos in 36. publicis congregationibus ampliſſimorum Cardinalium, ac ſelectiſſimorum Theologorum Conſultorum, eodem Pontifice pluries aſſiſtente & præſidente, nulloque certe humano præſidio

ſidio veritati dignoſcendæ prætermiſſo, tandem indictis per omnes Urbis Eccleſias enixis orationibus, ab alto ſolemniter petita Spiritus Sancti aſſiſtentia, ejuſque Pontificiæ poteſtati qua fruebatur religioſiſſime conſiſus, die 31. Maji 1653. graviſſime damnavit quinque famoſas propoſitiones Janſenii. Quo facto unuſquiſque videt, quod, ſi Janſeniani eſſent homines tam cordati uti videri volebant, dubio procul deſponſatum errorem, utpote ab Apoſtolica S. Sede cui aduſque tempus illud plenam fidem habuerunt, detectum ſolemniterque reſciſſum, tanquam infernalem draconem repudiare debuiſſent, ac in obſequium Fidei perpetuo ſilentio devovere. Aſt proh dolor! Non error, ſed cauſſa tantummodo finivit, quandoquidem ad inſtar colubri, cujus caput quum attritum vel amputatum fuerit, in varios gyros atque tortuoſos flexus ſe ſe vertit, ita inquieti homines Janſeniani, ac pacis venerabilis Eccleſiæ Gallicanæ hoſtes infenſiſſimi, cœperunt dictis & ſcriptis infamare tum Conſultores Theologos, tamquam homines ineptos & ſtupidos, ac adverſæ partis propugnandæ ſtudio abreptos; tum formam ſervatam in præfatis 36. congregationibus, garrientes, quod ſelecti Patroni Janſenianæ doctrinæ non fuerint una cum ſuis adverſariis admiſſi ad ſolemnem concertationem; tum eundem præclariſſimum ac doctiſſimum Pontificem Innocentium X., utpote qui Theologiæ imperitus, & præ ſenectute multum provecta omnino impar ſuſtinendæ rei tam implicatiſſimæ (a), tot tandem calum-

(a) *Hæc ſane fuit graviſſima Janſeniſtarum hallucinatio, ita nimirum definitionem Innocentii referre ad humana præſidia adhibita a ſelectiſsimis Cardinalibus & Theologis, necnon ab eodem Papa, perinde quaſi in eandem nullimode influxerint Spiritus Chriſti dirigentis, flamen Spiritus Sancti peculiariter aſsiſtentis, ac auctoritas Principis Apoſtolorum per os Innocentii X. loquentis, quibus quippe cardinibus ceu lapidibus angularibus ſolidatur Pontificia infallibilitas. Licet utique & expedit pro bono Religionis (ad hoc nimirum ut Pontifex dignius diſponatur ad impetrandam horum cæleſtium præſidiorum opem) modeſte proferre & aperire, ſi qui vere occurrant defectus in examine alicujus controverſiæ circa Fidem dirimendæ: ſed poſtquam Pontifex plenariam tulit ac definitivam ſententiam, cave ne id*

lumniis, maledictis, & conviciis lacerarunt doctrinam & pietatem eorum virorum, qui vel directe vel indirecte, vel in Urbe Roma vel ex Galliis confluxerant in præfatam damnationem, ut dictu vel creditu prorſus difficile videatur: *Solemnis* experimento comperit Doctor Facultatis Pariſienſis, ac meritiſſimus Canonicus S. Capellæ Regii Palatii Pariſ. Honoratus Tournely (*a*) *iſte ſemper fuit mos Janſenianorum, ſuos plurimum deſpicere ac deprimere adverſarios. Si audiantur; nullibi eruditio, pietas, ingenium, amor purioris doctrinæ viget, quam apud ſuos.*

714. *Præterea*, tanquam idonei Miniſtri Satanæ, cujus potiſſimum ſtudium eſt affundere tenebras veritati, non ſine magna temeritate Janſeniani evulgarunt, *primo*, quinque damnatas ab Innocentio X. propoſitiones non eſſe Janſenii; *ſecundo*, damnatas eo ſenſu qui ad Janſenium nihil pertineat; *tertio*, haud confundendas quæſtiones juris cum quæſtionibus facti, in quibus poſtremis dirimendis Papa haud eſt falli neſcius, & reipſa Innocentius X. erravit in facto Janſenii; *quarto*, haud vi illius conſtitutionis, ſicut &

*id audeas, non dicam proferre, ſed nec ſuſpicari. Eapropter Clar. ſodalis noſter Lucas Waddingus, unus ex Conſultoribus Theologis ſub Innocentio, ac Janſenianæ doctrinæ ſtrenuus adſertor, in lucem edita Pontificia damnatione, hæc fatur in ſua brevi relatione de quinque propoſitionibus pag.*429. Si aliquis ante hanc definitionem aliter ſenſerit . . . ., nunc captivare debet intellectum in obſequium fidei, ſicut ſuadet Apoſtolus . . . . Illas (*quinque*) propoſitiones in omnibus & ſingulis ſenſibus, quibus eas condemnatas voluit SS. Innocentius X. condemno & anathematizo; quantumvis ante hanc definitionem, in aliquibus ſenſibus eas ſuſtineri poſſe judicaverim, ſicut in ſupraſcriptis meis votis explicavi. *Et ſane qui poſt latam a Pontifice ultimatam ſententiam, audet dubia & ſuſpiciones obtrudere opponendo defectus commiſſos deſuper præhabito rei definitæ ſcrutinio, ore ſuoque facto manifeſtiſſime prodit, ſe in materia Pontificiæ poteſtatis & infallibilitatis majorem fidem adhibere Hæreticis, & Hæreticorum deliriis ſummarie enarratis n.* 702., *quam Traditioni univerſali & perpetuæ venerabilis Antiquitatis ſtrictim quoque deſcriptæ n.*703. *& ſeqq.: prodit quoque, ſe novitatum ac profanarum doctrinarum eſſe illuſtriſſimum amatorem, fautorem, protectorem, & aſſertorem. Quid tum? reſponſum jam tenes antea num.*602.

(a) *Tract. de Grat. Chriſti p.* 186.

& cæterarum a Romanis Pontificibus editarum etiam in rebus Fidei, viros Catholicos alligari ad adhibendum conſenſum internum; ſed ſat eſſe obſequioſum ſilentium; *quinto*, quum Concilium ſit ſupra Papam, ideo coram Deo & hominibus bene ſtat appellatio a Pontificiis conſtitutionibus ad futurum Concilium; *ſexto*, duntaxat Apoſtolica S. Sedes, & Eccleſia Romana infallibilitatis privilegio fruitur, non autem Papa, ſive Epiſcopus Romæ; *ſeptimo*, Concilio generali & Eccleſiæ, non autem Petro ejuſque ſucceſſoribus, immediate promiſſa eſt Spiritus Sancti aſſiſtentia; *octavo*, requiritur Concilium generale, ad hoc ut ſine errandi periculo & irreformabiliter aliqua Fidei controverſia finiatur; & ne ſermo longius eat, tunc ſolummodo pro irrefragabili Janſeniſtæ agnoſcunt Romani Pontificis judicium in rebus Fidei, quum ei acceſſerit Eccleſiæ conſenſus. Edepol? ecquis adeo ſenſus amiſit, ut hoc facto cæteroquin innegabile non intelligat pravam Janſenianorum indolem, ac inconſtantem dicendi agendique rationem? Tamdiu docilem animum induerunt erga Pontificiam inerrantiam, quamdiu eiſdem non conſtitit ultimata cauſſæ Pontificia definitio; quum vero ſibi adverſam deprehenderunt definitivam Papæ ſententiam, omnem infallibilitatis ejuſdem exuerunt venerationem & obſequium, non dubitarunt in eandem inſanire & præfracte debacchari. Prompti equidem ad pleniſſimum obſequium, ſi Pontifex eorum votis annueret, vel ſcilicet abſtinendo a ferendo ſententiam, vel abſolvendo a cenſura opus Janſenii ab ortu ſuo damnatum ab Urbano VIII., totieſque convulſum & reprobatum a S. Facultate Pariſienſi, & Epiſcopis Gallicanis; quum vero res aliter accidit, minime erubuerunt confugere ad cavillos Proteſtantium, ad hoc ut traducerent eam Pontificiam infallibilitatem, quam nuper antea magnifaciebant, dictis factiſque religioſis proſequentes (*a*).

Va-

(a) *Hoc unum obiter proferatur velim: Prius nimirum quam ad Janſenii*

Valeant itaque homines tam verſipelles, tam inquieti, tam inverecundi, & quum propriam ſcabiem referre conantur ad integrum corpus Illuſtriſſimæ Gallicanæ Eccleſiæ, a tam fœda ſtudebimus vulgataque impoſtura eam pro modulo vindicare.

715. VETEREM Gallicanam Eccleſiam religioſiſſime obſequentem Pontificiæ inerrantiæ, tametſi ſuo modo prodat obſervantiſſima illa ac benefica pietas, qua ipſius inclyti Reges, Regni Primates, cum primoribus ſinguli ferme Cives non ſemel ſtrenue defenſarunt ab hoſtibus Romanos Pontifices, ac triumphali pompa illuſtriſſimæ munificentiæ cumularunt (*a*); propius tamen, clarius, atque

nii cauſſam Pontifex accederet, ſciebantne Janſeniani & habebant pro ratis nuper expoſita ſua principia & momenta, quibus impugnant Pontificiam inerrantiam, vel non? Si primum, eccur ab initio ea non oppoſuerunt, uno eodemque tempore provocantes ad futurum Concilium, aut ad conſenſum Eccleſiæ per orbem Catholicum diffuſæ? eccur ſelectiſſimos Legatos Summum Pontificem diſerte peroraturos Romam ſummis curis habuerunt mittere? eccur omnem moverunt lapidem, ut Innocentius X. vel a cenſuris jam latis abſolveret doctrinam Janſenii, vel ſaltem abſtineretur a ferendo Apoſtolicam damnationem quinque propoſitionum ejuſdem? Nonne iſta, ſigna ſunt tam clara & manifeſta, ut cujuſvis vel novitii Theologi cogant animum ad colligendum, Janſeniſtas ante definitionem cauſſæ erubuiſſe uti allegatis Proteſtantium jaculis, nec non veritos in quæſtionem revocare infallibilitatem R. Pontificis? Si autem neſciebant, vel pro ratis non habebant, qua quæſo Chriſtiana verecundia potuerunt expoſita principia & momenta ante vel penitus ignorata, vel habita pro falſis & ludibrioſis, poſtea confidenter adſerere, & propalare tanquam baſes inconcuſſas Theologiæ Catholicorum, & vi eorundem Pontificiæ inerrantiæ miſſo nuntio interponere quoque appellationem ad futurum Concilium generale, vel ad conſenſum Eccleſiæ diffuſæ? Quis ergo tam hebetis obtuſique cordis, ut allegata Janſenianorum principia non amandet ad puras putaſque fabellas, quæ ubique erumpant deliria Proteſtantium, ſive doctrinam novam, doctrinam profanam, quam præ cæteris Veteribus recentioribuſque celebratiſſimis viris Gallicanis, olim Vincentius Lirinenſis, noviſſime Benignus Boſſuetius Meldenſium Epiſcopus ſolemne habent in Hæreticos rejicere, illudere, & graviſſime condemnare?

(a) Replicentur *ſic graphice Auctor Libri* De Suprema Romani Pontificis auctoritate ex hodierna doctrina Gallicanæ Eccleſiæ *in Præfatione Tom. I. p. IV.*, veterum annalium paginæ, quanto agmine variis ſeculis occurrunt legenti Pontifices maximi, qui jurium ſuorum conſervationem, Pon-

conceptis verbis rem teſtantur præcipua Gallorum lumina SS. Irenæus & Bernardus (*a*), quibus choro pleno concinunt Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis, Avitus Viennenſis, Ivo Carnotenſis, Petrus Bleſenſis, Petrus Cluniacenſis, aliique doctiſſimi veteres Galliarum, qui ſententiis & interdum verbis in nullo pene ab aliis antiquorum Patrum teſtimoniis diſcordantibus, commendant inerrantiam Apoſtolicæ S. Sedis (*b*), nulla facta mentione Concilii, vel requiſiti conſenſus ſui vel aliarum Eccleſiarum: hoc unum referre contentus, *Firmiſſime tenemus*, ita declaravit Univerſitas Pariſienſis per Petrum de Alliaco anno 1387. (*c*), *& nullatenus dubitamus, quod S. Sedes Apoſtolica eſt illa Cathedra Petri, de qua in perſona Petri in ea ſedentis dictum*

Pontificiæ dignitatis incolumitatem, ſuæ etiam vitæ ſecuritatem uni acceptam Galliæ referant? Videas octavo ſeculo Stephanum III. Adrianum I. Leonem III. Nono, Joannem VIII. Undecimo, Urbanum II. Paſchalem II. Duodecimo, Gelaſium II. Calixtum II. Innocentium II. Alexandrum III. Gregorium VIII. Decimotertio, Innocentium IV. Urbanum IV. Bonifacium VIII. Quartodecimo, Joannem XXII. Decimoſexto, Clementem VII. Paulum IV. Decimo tandem ſeptimo, Clementem VIII. & Paulum V. Cernas, inquam, illos modo vindicatos ab hoſtium immani feritate, modo contra Pontificum non legitimorum artes, & arma protectos; hic a perduellium & rebellantium factionibus liberatos; illic Sedi ſuæ & priſtinæ dignitati reſtitutos . . . . *In primis jubemus*, inquit Carolus Magnus (*in ejus teſtamento*) *ut tres Filii mei ſuſcipiant una curam & defenſionem, ſive patrocinium Eccleſiæ S. Petri, quod fecit Carolus Avus, & Pippinus felicis memoriæ Pater meus, quorum veſtigiis inſtiti, ut Deo auxiliante eam adverſus omnes ejus hoſtes propugnare totis viribus contendant, ipſiuſque jura pro virili & quoad licebis tueri nitantur*. Dupleix in vita Caroli Magni Tom. I. p. 486. *Tum præfatus Auctor commemoratis ampliſſimis beneficentiæ pignoribus, quibus antiqui Gallorum Reges amplificarunt Apoſtolicæ S. Sedis opes, ſubdit:* Demum, quidquid in Italia Pontificiæ ditionis eſt, quidquid fuit olim, id Eccleſia Romana Francis maximam partem, vel Regibus, vel oriundis e Gallia Heroibus acceptum, amplificatum, conſervatum refert. *Hactenus citatus Auctor*.

(a) *Quorum inſignia teſtimonia laudavimus num.* 704. & 705.

(b) *Horum Gallorum veterum teſtimonia inſignia peti poſſunt apud præfatum Auctorem nuper cit. Præf. p. VIII. & ſeqq.*

(c) *Hiſtor. Univerſitatis Tom. IV. p.* 627.

ctum eſt : Petre rogavi pro te ut non deficiat Fides tua. Quibus adparet, veteres Gallos aduſque quartum decimum ſeculum tanti penitus feciſſe jura Pontificiæ inerrantiæ, ac tota ſuperior antiquitas Chriſtiana ubique gentium porrecta eadem venerata fuit. Præfati Galli venerabilis antiquitatis veſtigia prementes, firmiſſime profitebantur, Chriſtum rogaſſe pro indeficientia Petri, Romanam Sedem eſſe Petri Cathedram, in ea ſedentem gerere Petri perſonam, & tandem inviolabilem firmiſſimamque Petri Fidem in Romanum Pontificem pro tempore ſedentem omni procul dubietate transfundi: Ex hiſce enim principiis haud obſcure eruitur, prærequiſitum Eccleſiæ conſenſum ad inerrantiam R. Pontificis; non modo aduſque quartum decimum ſeculum inauditum, ſed ſub eiſdem principiis, quibus veteres Galli ſuum captivabant intellectum in obſequium Pontificiæ infallibilitatis nullimode ſubintellectum. Siquidem veteres Galli non ideo firmiſſime tenebant, & fatebantur inerrantiam S. Sedis ſive in ea ſedentis, quia decretis iſtius accedebat Eccleſiæ conſenſus; bene vero, quia nullatenus dubitabant de exaudita oratione Chriſti quoad indeficientiam Petri ejuſque Succeſſorum: tantum itaque abeſt, ut vetus Gallicana Eccleſia prærequiſierit ſui vel aliarum Eccleſiarum conſenſum, ad hoc ut irrefragabile cenſeatur judicium Romani Pontificis in rebus Fidei.

716. *Confirmatur*. Vetus Gallicana Eccleſia fuit pars nobiliſſima Catholicæ Chriſtianitatis, teſtante Honorio III. (*a*), *Eccleſia Gallicana tanquam lucerna ſuper candelabrum poſita lucet aliis per exemplum*: & Gregorius IX. (*b*), *Gallicana Eccleſia poſt Apoſtolicam Sedem eſt quoddam totius Chriſtianitatis ſpeculum, & immotum Fidei fundamentum*; at allegata propoſitio, *In Fidei quæſtionibus &c.* tam inſolubilem ſocietatem habet cum errore, ut nullimode ſubſiſtere queat

Qq 2 ſine

(a) *Decret. Tit. 24. cap. 2.*
(b) *Epiſt. ad Archiep. Remenſ. apud laudat. Auctor. Præfat. p. XI.*

Digitized by Google

ſine munimentis ex Hæreticorum caſtris acceptis, quod quidem ex factis eorundem, qui eam protegunt, manifeſtiſſime evincitur. Elias Dupin (idipſum ferme intelliges de Launojo, de Natali ab Alexandro, de ementito Boſſuet, aliiſque) non aliter probat (a), judicium Papæ indigere Eccleſiæ conſenſu ad hoc ut reddatur irreformabile, niſi utendo eiſdem penitus exoticis mendaciis, cavillis, calumniis, blaſphemiis, quibus Lutherani & Calviniſtæ indixerunt bellum Apoſtolicæ S. Sedi, ejuſdem jugum excutientes: eiſdem inquam conatibus fervidus Janſenianus intorquet Scripturas & veteres Patres conſtabilientes Pontificiam inerrantiam, deſcribit antiquam Eccleſiæ diſciplinam ſpectantem ad obedientiam Apoſtolicarum conſtitutionum, inſimulat pleroſque RR. Pontifices crimine hæreſis, proſcindit alios tanquam ſibi mutuo in rebus Fidei contradicentes, abutitur teſtimoniis tum eorundem RR. Pontificum, tum Conciliorum; nullum tandem videtur molimentum a Lutheranis & Calviniſtis adhibitum, ſtudio evertendi non modo Pontificiam inerrantiam, ſed Eccleſiæ Primatum, quo quoque Pſeudo-Theologus iſte non fuerit uſus ad ſtabiliendum prærequiſitum conſenſum, ad hoc ut judicium Papæ cenſeatur irrefragabile. Quis itaque tam injurius, tamque iniquus in veterem Gallicanam Eccleſiam, ut non vereatur ei tribuere opinionem adeo infeſtam & pernicioſam, ut cum erroribus Lutheranorum & Calviniſtarum coeat, & conſentiat?

717. Quod vero attinet ad recentiorem Gallicanam Eccleſiam dire a Janſenianis exagitatam, eo rem validius clariuſque evincere arbitror, quo ejuſdem ſincera obſervantia ac pietas erga decreta in cauſſa Janſenii a Romanis Pontificibus prolata factis conſtabit. Quum ab Urbano VIII. pridie nonas Martii 1641. data conſtitutione *Eminenti* fuerit prohibitus ac tenebris damnatus Liber, cui ti-

(a) Traité de La Puiſſance Quatrieme propoſition *a pag.* 700. *ad* 779.

Digitized by Google

tulus, *Auguſtinus*, a Janſenio elaboratus, utpote qui renovabat errores Michaelis Baji alias damnatos a S. Pio V. & a Gregorio XIII.; Iſaacus Habertus Doctor Sorbonicus, ac Theologus Cathedralis Pariſienſis, poſtea Epiſcopus Vabrenſis, anno 1642. duabus concionibus habitis in ea Baſilica, mirabili zelo ac eruditione confutavit Janſenii doctrinam; tametſi Urbanus eo tempore non in Gallia, ſed in Belgio promulgationem datæ Bullæ urgebat (a). *Item*, de mandato Pariſienſis Archiepiſcopi de Gondy die 11. Jan. 1644. fuit promulgatum decretum præſatæ conſtitutionis in publicis Parochiarum præconiis; & Facultas Pariſienſis quatuor poſtea diebus nimirum 15. Jan. omnibus ſevere injunxit, ne aliquam e damnatis a S. Pio V. & Gregorio XIII. propoſitionibus propugnarent (b).

718. Innocentius X. edita 31. Maji 1653. conſtitutione, *Cum occaſione*, in qua proſcribit quinque propoſitiones Janſenii variis cenſuræ notis affectas (c), *Rex Chriſtianiſſimus*, ita Tournely (d) *pro ſuo in tuenda Religione ſtudio ac indefeſ-*

ſa

(a) *Fertur a Tournely Prælect. de Gratia Quæſt. III. p.* 165.

(b) *Tournely cit. p.* 166.

(c) *Prima propoſitio*: Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant. *Secunda*: Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur. *Tertia*: Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione. *Quarta*: Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare. *Quinta*: Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe. *Primam Janſenii propoſitionem Innocentius declarat eſſe temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam, & uti talem damnat. Secundam, ut Hæreticam. Tertiam, pariter ut Hæreticam. Quartam, falſam, & Hæreticam. Quintam, falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declarat, & uti talem damnat.*

(d) *Tournely loc. cit. pag.* 184.

Digitized by Google

ſa vigilantia juſſit dictam Conſtitutionem in Regno ſuo promulgari, & ad Facultatem Theologicam Pariſienſem deferri: quam facultas eo quo par erat reverentiæ & obedientiæ ſenſu admiſit, decreta expulſionis a ſuo ordine pœna adverſus rebelles ac contumaces ſi qui forent. Epiſcopi Gallicani eodem anno congregati, Præſide Cardinale Mazarino ſolemniter, ac communi omnium plauſu Innocentii conſtitutionem exceperunt, datis ad Pontificem litteris die 15. *Julii:* Excitatæ, *inquiunt*, in Belgio contentiones flagrabant etiam in Galliis, & latiſſimum incendium per univerſas Eccleſiæ partes minabantur, ni peſti graſſanti, & certiſſimam perniciem allaturæ obſtitiſſet Beatitudinis veſtræ indefeſſum ſtudium, & ex alto petita poteſtas, quæ SOLA acerrimam illam animarum colliſionem compeſcere poterat . . . . . Quo in negotio illud obſervatione dignum accidit; ut quemadmodum ad Epiſcoporum Africæ relationem, Innocentius I. Pelagianam hæreſim damnavit olim, ſic ad Gallicanorum Epiſcoporum conſultationem hæreſim ex adverſo Pelagianæ oppoſitam Innocentius X. AUCTORITATE SUA proſcripſerit. Enimvero vetuſtæ illius ætatis Eccleſia Catholica SOLA Cathedræ Petri communione & auctoritate fulta, quæ in decretali Epiſtola Innocentii ad Africanos data elucebat, quamque dein Zoſimi altera ad univerſos Orbis Epiſcopos Epiſtola ſubſecuta eſt, Pelagianæ hæreſis damnationi abſque CUNCTATIONE ſubſcripſit. Perſpectum enim habebat, non ſolum ex Chriſti Domini noſtri pollicitatione Petro facta, ſed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematiſmis adverſus Apollinarium & Macedonium, NONDUM AB ULLA SYNODO ŒCUMENICA damnatos, a Damaſo paulo antea jactis, judicia pro ſancienda Regula Fidei a SS. Pontificibus lata, ſuper Epiſcoporum conſultatione (ſive ſuam in actis relationis ſententiam ponant, ſive omittant, prout illis collibuerit) DIVINA æque ac ſumma per univerſam Eccleſiam AUCTORITATE niti: cui Chriſtiani omnes ex officio

ficio, ipſius quoque mentis obſequium præſtare teneantur. Ea nos quoque ſententia ac Fide imbuti, Romanæ Eccleſiæ præſentem, quæ in Summo Pontifice Innocentio X. viget auctoritatem, debita obſervantia colentes, conſtitutionem DIVINI NUMINIS INSTINCTU a Beatitudine veſtra conditam, nobiſque traditam . . . . & promulgandam curabimus in Eccleſiis ac Diœceſibus noſtris, atque illius executionem apud fideles populos urgebimus. *Janſenii defenſores hac Innocentii conſtitutione velut fulmine percuſſos, hærere primum attonitos, tum collectis animis eam aut maligne laceſſere, aut eludere*. Hactenus Tournely cit., ex quo tam longum teſtimonium Cleri Gallicani exſcribere duxi, ut ejuſdem Cleri digna germanaque ſententia de privilegio Pontificiæ infallibilitatis cuique pateſiat.

719. E vivis ſublato Innocentio X. ſucceſſit die 7. Aprilis 1655. Cardinalis Chiſius dictus Alexander VII., qui ut intercluderet Janſenianorum effugia, quibus eludebant tam conſtitutionem Innocentii, quam cohærentem declarationem S. Facultatis, edidit conſtitutionem die 16. Octob. 1656., in qua verbatim exſcripta conſtitutione Innocentii ſic pergit: *Cum nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque propoſitiones vel in libro prædicto Cornelii Janſenii non reperiri, vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe aſſerere magno cum Chriſti fidelium ſcandalo non reformident. Nos . . . . . quinque illas propoſitiones ex Libro* (citato) *excerptas, ac in ſenſu ab eodem Cornelio intento damnatas fuiſſe declaramus, & definimus; & uti tales inuſta ſcilicet eadem ſingulis nota, quæ in prædicta declaratione, & definitione* (Innocentii) *unicuique illarum ſigillatim inuritur, iterum damnamus*. Hucuſque Alexander VII. Quibus *Summo* ſubdit Tournely (a) *plauſu conſtitutionem hanc excepit Clerus Gallicanus tum temporis in Comitiis Generalibus coactus*: Et Epiſcopus Siſtaricanus nuper lau-

(a) *Loc. cit. pag.* 195.

laudatus ſcribit: *Aleſſandro VII. pubblicò la conſtituzione, che rinovava e confermava quella d' Innocenzo X. . . . Fu ella preſentata all' Aſſemblea del Clero, che l' accettò. Item*, eodem Tournely referente pag. 200., Clerus Gallicanus in Comitiis Generalibus 1660. declaravit pro Hæreticis eos habendos eſſe, qui negarent quinque propoſitiones ex Libro Janſenii extractas, tanquam hæreticas damnatas fuiſſe, & quidem in eo ſenſu, quo eas Janſenius docuerat.

720. Idem Alexander VII. die 15. Febr. 1665. aliam conſtitutionem edidit, in qua continetur Formula illa Fidei ab omnibus Clericis ſive majoribus ſive minoribus ſubſcribendam, quæ ſic ſonat: *Ego N. conſtitutioni Apoſtolicæ Innocentii X. datæ die 31. Maji an. 1653., & conſtitutioni Alexandri VII. datæ die 16. Octob. an. 1656. ſummorum Pontificum me ſubjicio, & quinque propoſitiones ex Cornelii Janſenii Libro, cui nomen* Auguſtinus, *excerptas, & in ſenſu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo rejicio, ac damno, & ita juro: ſic me Deus adjuvet & hæc ſancta Dei Evangelia.* Cujus quidem Formulæ ſubſcriptio fuit in toto Gallicano dominio ſtatim executioni mandata. Non inficiamur, quatuor Epiſcopos Andegavenſem, Bellovacenſem, Apamienſem, & Alectenſem in eorum diœceſanis mandatis appoſuiſſe reſtrictionem, quod nimirum Formula obligabat ſubſcribentes quoad eam ſolummodo partem, quæ ſpectabat quæſtionem juris, non autem facti: hoc eſt, firmiter tenendum ac religioſe jurandum, quinque propoſitiones a S. Sede damnatas revera eſſe hæreticas, ſilentii duntaxat reverentiam exhibendam facto illi, quo ſcilicet præfatæ propoſitiones dicuntur excerptæ ex Libro Janſenii. Hoc profecto ſuadere tentarunt præfati Epiſcopi, ſed indubium pariter eſt, quod propter hujuſmodi audaciam, tunc ſolummodo meruerunt a moleſtiis redimi, ac frui priſtina benevolentia, & patrocinio Eccleſiæ Gallicanæ, ſive univerſi Cleri cum Rege Chriſtianiſſimo, quum manu pro-

pria

pria exararunt, ac ab eis Diœceſanis exegerunt ſubſcriptionem Formulæ abſque ulla reſtrictione, aut exceptione. Ea de re Clemens IX. dato Brevi ad Regem Chriſtianiſſimum die 28. Septemb. an. 1668. ait, ſe cum lætitia cognoviſſe in ſimplici, ac pura ſubſcriptione Formularii quatuor illorum Epiſcoporum obedientiam (a). *Et hæc*, teſtatur Tournely (b), *ipſa eſt Formula, quam etiamnum ſubſcribunt quotquot ad aliquem in S. Facultate Pariſienſi dignitatis gradum admittuntur*.

721. Quum Liber inſcriptus, *Auguſtiniana Eccleſiæ Romanæ doctrina*, pleriſque ſcateret novis Janſenianorum conatibus tendentibus ad ſpretum, & contemptum Apoſtolicarum conſtitutionum, quibus ceu fulminibus inquieti homines fuerunt attriti, Gallicana Eccleſia an. 1700. in Comitiis generalibus congregata, collectis ex præfato Libro procacioribus ſententiis, ac in quatuor propoſitiones adunatis, eaſdem damnavit tanquam falſas, temerarias, ſcandaloſas, contumelioſas in Clerum Gallicanum, in Summos Pontifices, & in univerſam Eccleſiam, ſchiſmaticas, & erroribus condemnatis faventes (c). *Item*, a Syndico ſacræ Facultatis Pariſienſis die 1. Sept. 1704. cum accuſati eſſent plerique Laureati Theologi Pariſienſes, eo quod faverent doctrinæ Antonii Arnaldi, & approbarent illum conſcientiæ caſum, de quo num. ſequenti; ſacra Facultas præfatis querelis miſſis in deliberationibus generalis Congregationis, cui adfuerunt pluſquam 150. Magiſtri, communi omnium voto ſic cenſuit. *Primo*, *dictam Propoſitionem* (ſufficit obſequioſum ſilentium deſuper conſtitutionibus Pontificiis circa factum Janſenii) *contentam in Libello, cui titulus*, Cas de conſcience, *adverſari cenſuræ S. Facultatis latæ die ult.*

(a) *Tournely cit. pag.* 218.

(b) *Pag.* 195., *qui aduſque an.* 1716. *omnium plauſu & laude ſorbonicum Doctoratum egit.*

(c) *Apud Tournely cit. pag.* 223., *ubi dictas quatuor propoſitiones cum annexa cenſura Cleri Gallicani profert.*

Januar. 1656.*in Epiſtolam Anton. Arnaldi*, & *decreto ejuſdem ſuper Formula Fidei dato die* 2. *Maji an.* 1661. *Secundo*, *inhærendo prædictæ cenſuræ adverſus Epiſtolam Anton. Arnaldi*, *præfatam propoſitionem damnandam eſſe ; ut* & *ipſam damnat*, *iiſdem notis*, *quibus in prædicta cenſura proſcripta eſt prima ejuſdem Antonii Arnaldi propoſitio*, *quæ dicitur facti* (*a*), *nempe ut temerariam*, *ſcandaloſam* &c. . . . . *Tertio*, *ſtare debere inconcuſſam*, *ſicut* & *reipſa apud ipſam* (Facultatem) *ſemper ſtetit*, & *ſtat*, *auctoritatem prædictæ cenſuræ adverſus Epiſtolam Anton. Arnaldi*, & *prædicti decreti ſuper formula Fidei adeo*, *ut quicunque Magiſter*, *aut candidatus adverſus utrunque*, *aut alterutrum*, *ut* & *adverſus præſentem concluſionem aliquid ſcripſiſſe*, *dixiſſe*, *aut prædicaſſe deprehenſus fuerit*, *eoipſo a Sac. Facultate pulſus habeatur* (*b*). *Quarto*, *duos Magiſtros pertinaces ipſo facto a Facultate excluſos habendos eſſe*, *niſi infra ſpatium unius menſis ſubſcriptionem ſuam dicti caſus conſcientiæ revocaverint* (*c*). *Denique*, *ut omnibus magis*, *ac magis* [illegible] *in-*

(a) *Anton. Arnald. in Libello inſcripto*, Seconde Lettere de M. Arnaud, *duas præ aliis propoſitiones protulit*; *unam facti*, *ideſt* ; Quinque propoſitiones nec eſſe in Janſenio, nec ejus ſenſu damnatas fuiſſe ; adeoque citca partem illam Apoſtolicæ conſtitutionis (*Innocentii X.*) ſufficere religioſum ſilentium ; *alteram juris*, veritatem eſſe tum ex Scripturis, tum ex SS. Patribus indubitatam, atque in perſona S. Petri manifeſtam, gratiam, ſcilicet ſine qua nihil poſſumus, juſto defuiſſe ea in occaſione, in qua dici non poteſt, quod non peccaverit. *Utramque hanc propoſitionem ſacra Facultas an.* 1656. *cenſura taxavit*, *priorem tanquam temerariam*, *ſcandaloſam*, *injurioſam S. Pontifici* & *Epiſcopis Galliæ*, *ac præbentem occaſionem revocandæ ex integro poſt damnationem Janſenii doctrinæ* ; *poſteriorem tanquam temerariam*, *impiam*, *blaſphemam*, *anathemate damnatam*, & *hæreticam*. *Quumque eundem Arnaldum in errorem deprehendiſſet pertinacem*, *ut ovem infectam e ſinu ſuo ejecit*, *expunctis pariter ex albo ſuorum Doctorum nonnullis aliis*, *qui eodem ferme Arnaldi contagio laborabant.*

(b) *Vi hujus declarationis quadraginta doctores Theologi Pariſienſes*, *quorum plerique a Janſenianis malis artibus ſeducti*, *ſubſcripſerunt reſponſionem inſertam ad propoſitum conſcientiæ caſum*, *nimirum*, *confeſſarium haud bene ſe geſſiſſe denegando Clerico pœnitenti Sacramentalem abſolutionem*, *paucis exceptis*, *revocata ſubſcriptione ſe ſe ſubjecerunt*.

(c) *Quorum unus ad communem tandem ſententiam reverſus*, *alter nimi-*
rum

Digitized by Google

innoteſcat, S. Facultatem in docenda ſana doctrina, & aſſerenda Eccleſiæ auctoritate, conſtare ſibi ſemper, typis mandanda eſſe Latino ac vernaculo Idiomate, cura D. Syndici, & publici juris facienda &c. (*a*).

722. Clemens XI. die 5. Junii an. 1705. emiſſa ſolemni conſtitutione *Vineam Domini Sabaoth*, in qua innovatis, ac roboratis Diplomatibus Innocentii X., & Alexandri VII., ac a captioſis Janſenianorum interpretamentis vindicatis quoque conſtitutionibus Clemen. IX., & Innoc. XII. damnavit etiam doctrinam expreſſam in famoſo conſcientiæ caſu (*b*), quo Janſeniani non ſine gravi injuria tot Apoſtolicarum conſtitutionum venditabant, ad obedientiam de-

rum Elias Dupinus pro ſua contumaci inobedientia e magiſterii gradu reipſa ſolemniter ejectus, nec amplius cooptatus, tametſi poſt aliquot annos ſolutus ab exilio oſtenderit ſe ad meliorem mentem reverſum, & enixe petierit in priſtinum reſtitui. Et jure quidem merito, quoniam in aliud longe pejus flagitium impius proruperat. Inito enim cum Anglicano Archiepiſcopo Cantuarienſi, necnon cum aliis ardentioribus Proteſtantibus ſecreto iniquoque fœdere, ac horum ſtudiis, conſiliis, & auxiliis ſtipatus tentarat obtrudere in Galliam Anglicanam Reformationem. Ea propter, teſte oculato Epiſcopo Siſtaricano cit. Lib. V. p. 168. & 199. impervius proruptuſque Dogmatiſta nonnulla ſcripta elucubrarat, in quibus illudebatur ſacer uſus Confeſſionis auricularis, concedebatur licentia ex æquo aſſerendi ſive realiter, ſive in figura contineri Corpus Chriſti in Sacramento Altaris, Monachos e medio eliminandos, ſicut & annihilanda Religioſorum vota, ac cælibatum apud Presbyteros, ſuperfluum eſſe antipaſchale jejunium & abſtinentiam a carnibus, uno verbo, per impudentiſſimum Dupinum non ſtetit quominus Gallia & Anglia in eandem penitus profanam Religionem coirent.

(a) *Hactenus S. Facultas Pariſienſis an.* 1704. *Apud Honorat. Tournely cit. pag.* 225.

(b) *Janſeniani tanquam mala ſoboles, quæ quantumvis eradicetur non deſinit ſuccreſcere, inter tot innumeros ferme Libellos, quibus toties proſtratos errores ſuos exeitare & fovere tentarunt, unum ediderunt an.* 1702. *inſcriptum*, Famoſus conſcientiæ caſus, *in quo inducitur neſcio quis Clericus, cui Sacramentalis abſolutio denegata fuerat, eo quod declaraſſet*, ſe revera quinque propoſitiones ſimpliciter & abſolute damnare, ac Formulæ fidei Alexandri VII. ſubſcripſiſſe quidem; nihilominus quantum ad quæſtionem facti, ſeu attributionem illarum quinque propoſitionum Libro Janſenii, exiſtimare ſe religioſum ſufficere ſilentium; *ſtudentes interea obtrudere, quod præfatus Confeſſarius male ſe geſſit denegando Sacramentalem abſolutionem Clerico, qui noluit ſe retractare.*

Digitized by Google

debitam præfatis conſtitutionibus non requiri, ut quis interius damnet tanquam hæreticum ſenſum Janſeniani Libri in quinque propoſitionibus damnatum. Quam Clementinam conſtitutionem Gallicana Eccleſia, ſive Clerus Gallicanus in Comitiis Generalibus eodem anno Pariſiis congregatus ſolemniter recepit, ac probavit, *Datis*, fert Tournely p. 228., *tum ad Pontificem gratulatoriis*, *tum ad cæteros Galliæ Epiſcopos encyclicis litteris die* 14. *Sept. ejuſdem anni . . . Rem ſumma religione executi fuere ſinguli in ſuis Diœceſibus Epiſcopi*.

723. Idem vigilantiſſimus Pontifex animadvertens doctrinam contentam in Libro inſcripto, *Le Nouveau Teſtament, avec des Reflexions Morales in Pariſ.* 1699.: aliter, *Abregè de la morale de l' Evangile &c. a Pariſ.* 1693. & 1694., quam alias generatim proſcripſerat, adhuc tanquam ab omni errore immunem a pluribus haberi, fidelium manibus paſſim obtrudi, nonnullorum opera & conſilio altius diſſeminari, & inſuper præfatum Librum Latino ſermone verſum pertranſire de gente in gentem; nihil propterea opportunius & ſalubrius præſtari poſſe exiſtimavit, quam die 8. Sept. 1713. edere eam celeberrimam conſtitutionem *Unigenitus Dei Filius*, in qua unam ſupra centum propoſitiones ex eodem Libro excerptas diſtinctius & apertius damnavit. Et Eccleſia Gallicana, ad cujus potiſſimum utilitatem & tranquillitatem Clemens proſpexit? Tametſi fautores & promotores præfati Libri contentiori voce inclamarint, debitam Sedis Apoſtolicæ decretis reverentiam pervicacius violantes; itaut erecto rebellionis ſigno, appellarint a Bulla *Unigenitus* ad futurum Concilium; quod vero Gallicana Eccleſia, quamvis a tot ſubortis in ejus caſto ſinu procellis exagitata & diſtracta, minime deflexerit a ſemita ejus Patrum erga Apoſtolicas Conſtitutiones, ſatis eruitur, *primo*, ex ejus Illuſtriſſimo ac doctiſſimo Clero in Comitiis Generalibus congregato 1714., ubi ſpectabiles aſſeſſores obſequentiſſime agnita auctoritate præfatæ

Bul-

Digitized by Google

Bullæ, in Epiſtola hac occaſione ſcripta ad Clementem XI. teſtantur, non modo ſe dogmaticis SS. Pontificum decretis omnimodam debere obedientiam, ſed etiam omnimodi illius obſequii vades ſe ac ſponſores pro tota Galliarum Eccleſia præſtituros: *Quod*, inquiunt (*a*), *olim unus ex Doctoribus, ac ſanctioribus Epiſcopis ad unum ex Illuſtriſſimis tuis Prædeceſſoribus ſcribebat, nempe pro OMNIMODA Gallicanæ Eccleſiæ in acceptandis Sedis Apoſtolicæ circa Fidem deciſionibus OBEDIENTIA prædem ſe fieri: hoc idem hodie Beatitudini tuæ ſcribimus, eadem venerationis ac obedientiæ teſtimonia lætanter renovantes*: & inſuper data alia Epiſtola ad univerſos Regni Epiſcopos: *Bono*, ſcribunt (*b*), *Religionis intereſt, ut totus Epiſcopatus contra hujuſmodi Queſnelli opus inſurgat*; graviſſime pariter memoriæ commendantes, omnes Epiſcopos ſe prompte jungendos Romano Paſtori, ſive primus decretum pronunciet, ſive decreta ab Epiſcopis propoſita ſuo papali calculo ille roboret.

724. *Secundo*, ex S. Facultate Pariſ., cujus doctiſſimi Socii Regio edicto congregati Kal. Martii 1714., ex majori ſuffragiorum numero ita confluxerunt ad ejuſdem Bullæ debitam obedientiam ſtatuendam, ut ex eo jam tempore tranſierit in rem judicatam, cui nemo ſine crimine refragari valeat. *Il primo*, fertur ab Epiſcopo Siſtaricano (*c*), *di Marzo 1714. ſi unì per ordine del Re* (Ludovic. XIV.) *la Facoltà di Teologia di Parigi per regiſtrare la Bolla* (Unigenitus) . . . *Raccolti tutt' i voti de' quali il maggior numero fu per l' accettazione, e pe 'l regiſtramento della Bolla . . . d' allora in poi queſta concluſione fu riguardata ſecondo le leggi e le ragole della Facoltà, come coſa giudicata, a cui non poteva più reſiſtere alcun Dottore ſenza delitto*. *Tertio*, ex PP. Concilii Provincialis Ebrodunenſis, qui die

20.

(a) *Apud cit. Opus de Sup. R. Pontific. Auct. Lib. I. Cap. VI. p. 99.*
(b) *Apud Opus cit. diſſert. prævia p. XLVIII.*
(c) *In cit. docum. Paſtor. Lib. II. p. 63.*

20. Sept. 1727., annuentibus & adprobantibus Papa recolendæ memoriæ Benedicto XIII., & florentiſſimo Galliarum Rege Ludovico XV.; pœna ſuſpenſionis a dignitate & ab exercitio ordinum multarunt Epiſcopum Sanitienſem, propter inſtructionem Paſtoralem, quam in detrimentum, & contemptum Bullæ *Unigenitus* præfracte ediderat (*a*).

725. *Quarto*, ex maxima illa multitudine Gallicanorum Antiſtitum, qui ad promovendam exactam ejuſdem Bullæ obedientiam, ſummum ſtudium applicuerunt, tum ſermonibus, tum tractatibus, tum paſtoralibus Documentis; & quod majus eſt, graviſſime aſſerentes, & comprobantes infallibilitatem R. Pontificis in rebus Fidei, alii petendo ab illis verbis: *Tu es Petrus*; alii ab iſtis: *Ego rogavi pro te*, Petre; alii a perpetua ac univerſali Patrum traditione; alii ex univerſali conſenſu omnium Nationum orthodoxarum: inter quos doctrina & pietate celebres commendandi profecto veniunt quinque Emin. Cardinales De Biſſy Epiſc. Meldenſis, De Tencin Archiep. Lugdunenſis, De Mailly Archiep. Remenſis, De Fleury Epiſc. Forojulienſis, & De Rohan Epiſc. Argentoratenſis. Neque in memoriam revocetur facinus Cardinalis De Noailles, qui ſuum interdum Refractariis Appellantibus ſuffragium præſtitit; quoniam eo illuſtrior illuxiſſet Refractariorum ſalutaris reſipiſcentia, ſi ſecuti Noallium errantem, eundem fuiſſent imitati pœnitentem. Facta enim ſuper Noallium manu Domini, veteres maculas cujuslibet contemptus antea commiſſi erga obedientiam & infallibilitatem R. Pontificis in rebus Fidei, occaſione præfatæ Bullæ rejiciendæ: die 19. Julii 1728., data ad Benedictum XIII. religioſiſſima Epiſtola, nova confeſſione ejuravit & abſterſit (*b*).

726.

(a) *Legeſis Siſtarican. cit. Lib. IV. p.* 198.

(b) Io vi atteſto alla preſenza di Gesù Criſto, che io mi ſottometto ſinceramente alla Bolla *Unigenitus*; che io condanno il Libro delle rifleſſioni morali e le 101. propoſizioni da quello eſtratte nella ſteſſa maniera che ſono condannate dalla ſuddetta Bolla, e che io rivoco la mia Inſtru-

726. Inter Archiepiſcopos autem, celebriores profecto ſe ſe præſtiterunt de S. Albin. Arch. Cameracenſis, De Languet Senonenſis, Fenelonius Cameracenſis, De Marca nominatus Archiepiſcopus Pariſienſis, De Villeroy Lugdunenſis. Quantum tandem adtinet ad Epiſcopos majoris nominis, Aptenſis De Colongue, Laudunenſis De la Fare, Maſſilienſis De Belſunce, Lucionenſis De Rabutin, Tutellenſis De Argentre, Vivarienſis De Rabaton, Lectorenſis, Tullenſis, Bajonenſis, Viverrnienſis, Graſſenſis, Vivienſis, Andegavenſis, Bononienſis, Bellovacenſis, Cenomanenſis, Engoliſmenſis (a), prolixius tandem eſſet, vel nominatim referre tot Gallicanos Antiſtites, qui ab anno 1714. horſum, in Refractarios conſtitutionis *Unigenitus* calamum ſtrinxere. *Eſt conſtans*, rei coronam imponat Eminentiſs. Cardin. de Biſsy, *Veritas, conſtitutionem* Unigenitus *dogmaticum eſſe ac ſolemne Sedis Apoſtolicæ judicium a corpore Paſtorum acceptatum* (b). Et tandem nonniſi imperitis aut vertiginoſis datum erit iſtud revocare in dubium, ſtante nuperrima conſtitutione Benedicti XIV., data 16. Octob. 1756. occaſione reſcribendi Epiſtolæ Cardinalium, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Cleri Gallicani editæ in Comitiis die 31. Octobris 1755., & die 19. ſequentis Decembris ab eodem Chriſtianiſ-

ſimo

ſtruzion paſtorale del 1719. con tutto ciò, che in mio nome è ſtato pubblicato contro eſſa Bolla. Io prometto alla Santità voſtra di far pubblicare più preſto, che mi ſarà poſſibile un mandamento per farla oſſervare nella mia Dioceſi. E quì io debbo confeſſare alla Santità voſtra, che dopo di aver preſa col divino ajuto tal riſoluzione, mi rieſcono i giorni più ſereni, e il mio animo gode una pace e tranquillità da me non guſtata da molto tempo. *Apud Siſtariçanum cit. Lib. V. p.* 202.

(a) *Tot doctiſſimorum Gallorum Præſulum ſplendida monumenta abunde ſuppeditantur apud Opus de Sup. R. Pontificis auctoritate ex doctr. hodiernæ Gallic. Eccleſiæ per totum; in quo pariter non ſemel mittitur Lector ad verſandam collectionem documentorum Paſtoralium, ſparſim editorum a pleriſque Gallicanis Epiſcopis occaſione Bullæ* Unigenitus.

(b) C'eſt une vèritè conſtante &c. ... Enfin, il n'eſt pas moin certain, que la Bulle *Unigenitus* a ètè reçue par le corps des Eveques. *Biſsy in ejus Docum. Paſtor. occaſione Bullæ* Unigenitus *edito an.* 1722. *p.* 39. *&* 40. *apud cit. Opus Diſſ. præv. §. III. p. LV.*

ſimo & florentiſſimo Rege Ludovico XV. ad Pontificem tranſmiſſæ: in qua quidem Conſtitutione ſive Reſcripto Pontifex in primis gratulatur deſuper firmitate, conſtantia, atque perfecta conſenſione præfati Cleri in cuſtodiendo veræ ſanæque doctrinæ depoſito, ac in retinenda avita obſervantia & veneratione erga Apoſtolicam S. Sedem; tum fatur, in lectione acceptæ epiſtolæ comperiſſe, ſciſſuras illius Cleri non eſſe circa regulas Canonicas, ſed in deligendis ſtatuendiſque mediis, quibus utendum neceſſario eſt, ut eadem communia principia in uſum deducantur. Quibus præfatis, pergit hiſce verbis commendare auctoritatem Bullæ *Unigenitus*: *Tanta eſt profecto in Eccleſia Dei auctoritas Apoſtolicæ conſtitutionis, quæ incipit* Unigenitus, *eademque ſibi tam ſinceram venerationem obſequium, & obedientiam ubique vindicat, ut nemo fidelium poſſit abſque ſalutis æternæ diſcrimine, a debita erga ipſam ſubjectione ſe ſe ſubducere, aut eidem ullo modo refragari*. Et miſſis aliis, proſpicit demum ſciſſuris ſubortis apud præfatum Clerum, circa adminiſtrationem ſanctiſſimi viatici Corporis Chriſti, ſtatuendo, & præcipiendo, haud ad participationem Euchariſticæ communionis admittendos eos, qui publice & notorie ſunt Refractarii prædictæ Conſtitutionis *Unigenitus*, tametſi dictam Communionem ipſi requirant ſive publice, ſive private. Hactenus doctiſſimus Pontifex Benedictus XIV. in conſtitutione incip.: *Ex omnibus Chriſtiani orbis &c.* Quibus cuique innoteſcit, quid reſpondendum ſit tot impoſturis, quæ hodie venditantur extra Galliam, relate ad Eccleſiam Gallicanam ſpectantem Bullam *Unigenitus*.

727. QUAMVIS itaque Scriptores Janſeniani, eorumque fautores nihil hactenus artificii, aut apertæ falſitatis prætermiſerint, quin imperitos inducerent ad credendum, Recentiorem Eccleſiam Gallicanam circumſcribere quibuſdam finibus judicium Apoſtolicæ S. Sedis; ex iis tamen factis, quæ ſtrictiori calamo hactenus, ac veluti velitando diſcuſſimus jure concludamus oportet, præfatos homines

prius

prius frontem ſibi perfricent, quam ſua commenta oculatis, & rerum gnaris ſuadeant. Verum enim vero, ubi ipſi venditant, Eccleſiam Gallicanam pro infallibili non agnoſcere judicium Romani Pontificis donec accedat univerſæ Eccleſiæ conſenſus; nunc vidiſti conſtitutiones Pontificis ſtatim, vel fere ſtatim in lucem editas, antequàm nimirum innoteſceret conſenſus aliarum Eccleſiarum per Orbem orthodoxum diffuſarum, a Gallicana Eccleſia pro avita pietate, quæ ſemper aliis Eccleſiis luxit per exemplum, non modo fuiſſe religioſe receptas, & pro ſua virili earundem auctoritatem & obſervantiam ejus filiis commendatas; ſed inſuper eaſdem agnoviſſe profectas ex poteſtate ab alto petita, ex poteſtate quæ ſola valet errores & diſſentiones compeſcere, ex poteſtate quæ fulcitur pollicitatione Chriſti Petro facta, ex poteſtate quæ per univerſam Eccleſiam nititur auctoritate divina, ſive ab Epiſcopis apponatur, ſive omittatur ſua ſententia: uno verbo, Pontificias conſtitutiones in rebus Fidei, nonniſi divini Numinis inſtinctu ab Apoſtolica S. Sede Gallicana Eccleſia prodiiſſe novit (a). *Præterea*, ubi iidem Architecti ex ſententia Gallicanæ Eccleſiæ aſſeverant, veteres Patres tantummodo Apoſtolicæ S. Sedi, non autem in ea ſedentibus tribuiſſe privilegium inerrantiæ; *item*, Concilium generale Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans a Chriſto poteſtatem immediate habere, cui etiam Papa obedire teneatur; *item*, in quæſtionibus duntaxat juris non autem facti dogmatici ſe extendere judicium Romani Pontificis, jam factis comperiſti, iſtas & conſimiles Janſenianorum ſtrophas per calumniam affigi Gallicanæ Eccleſiæ; quandoquidem omnimoda obedientia, ea adhæſit præfatis conſtitutionibus, tametſi iſtæ reſpiciant quæſtionem etiam facti dogmatici, ac editæ extra Concilium

(a) *Licet occaſione reſcribendi ad Innocentium X. Eccleſia Gallicana præfatos ſenſus protulerit apud nos percenſitos num. 713, in paribus autem caſibus, ut omnibus ſolemne eſt, eadem currit paritatis ratio.*

generale a ſedentibus Romanis Pontificibus. Non enim dimicamus impoſturis & fallacibus conjecturis, ſed factis liquatis, quibus nonniſi amentes refragari queant.

728. Si objectaveris, Eccleſiam Gallicanam acquieviſſe præfatis conſtitutionibus, quia Romani Pontifices non motu proprio, ſed ab eiſdem Gallicanis præſulibus, & interdum ab eodem Rege Chriſtianiſſimo excitati & rogati eas ediderunt; ſicque accedente vel etiam præeunte Gallorum conſenſu illæ fuerunt in Galliis pro irreformabilibus agnitæ. *In primis*, id non eſt univerſaliter verum, quum pleriſque aliis Apoſtolicis decretis, & interdum Romæ duntaxat promulgatis Gallicana Eccleſia obnixe paruit, tametſi nulla ipſius intercesſerit petitio, ſive conſenſus antecedens (*a*). *Secundo*, præfatæ petitiones & preces, quas interdum Gallicana Eccleſia porrexit ad Romanos Pontifices, inſerviunt potius ad noſtram reſtaurandam ſententiam; ſiquidem non alio ſcopo ad Sedem Apoſtolicam retulit controverſias, prius ab ipſamet mature examinatas & diſcuſſas, niſi ex firma & ſibi explorata animi ſententia, qua perpetuo credidit nihil in controverſiis Fidei pro rato habendum, niſi judicium ultimum proficiſcatur a Romano Pontifice, ſive in Concilio, ſive extra. Quod quidem cuique adfulget, tum ex Epiſtola 85. vel 88. Gallorum Epiſcoporum ad Innocentium X. anno 1650. (*b*); tum ex Epiſtola Cleri Gallicani

(a) *Qua profecto lege ea morem geſſit nuper citatis conſtitutionibus S. Pii V., Gregorii XIII.*: item, *anno* 1614. *obſecuta fuit decreto Romæ lato an.* 1613., *adverſus Librum Becani circa Regum auctoritatem: an.* 1641. *damnavit tres Libros Patris Bauny antea a S. Sede proſcriptos: an.* 1655., *ſe conformavit cenſuræ Romanæ adverſus Librum P. Rabardeau: an.* 1615. *approbavit cenſuram Romæ promulgatam paucis antea menſibus adverſus pleroſque Libellos Janſenianos. Legeſis Tournely. cit. pag.* 142. *& ſeqq.*

(b) Majores, *inquiebant apud Tournely cit. p.* 167., cauſſas ad Sedem Apoſtolicam referre ſolemnis Eccleſiæ mos eſt, quem Fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro jure ſuo poſtulat. Æquiſſime huic legi obſequentes de graviſſimo circa Religionem negotio Sanctitati tuæ ſcribendum eſſe cenſuimus. Decennium eſt, ex quo vehementiſſimis turbis Gallia magno noſtro mœrore commovetur, ob Librum poſthumum & doctrinam

Re-

ni an. 1653., cujus fragmentum dedimus n. 718.; tum ex Illuſtriſs. ac doctiſſimis Præſulibus nuper laudatis De Fenelon, De Biſsy, De Colongue, De Megrigni, De S. Albin, De la Fare, De Belſunce, De Mailly, De Tencin, De Marca, De Abelly (a), aliiſque bene multis; adeo ut Archiepiſc. Senonenſis de Languet (*Cui*, teſte Epiſcopo Maſſilienſi (*b*), *æternam in Eccleſia Dei memoriam doctiſſima ipſius opera ardentiſſimi zeli, & maxima eruditionis monumenta pepererunt*) ſcribere habuit (*c*): *Hic ipſam Cleri totius Gallicani cauſſam* (de Romana inerrantia) *propugno, Cleri inquam illius, qui veneratione quam dignus eſt, tam parum a vobis* (*d*) *colitur*. Et Engoliſmenſis Epiſco-

Reverendiſſimi Cornelii Janſenii . . . Tales quidem motus ſedari oportebat tum Concilii Tridentini auctoritate, tum Bullæ illius, qua Urbanus VIII. fel. mem. adverſus Janſenii dogmata pronunciavit, & decreta S. Pii V., ac Gregorii XIII. in Bajum edita confirmavit. Atque hujus quidem Bullæ veritatem ac robur novo diplomate vindicaſti: ſed quia nulli ſigillatim propoſitioni certa cenſuræ nota inuſta fuit, locus etiamnum aliquis quorundam cavillis & effugio relictus eſt. Intercludendum autem penitus ſperamus, ſi, ut precamur, Sanctitas tua quid hac in re ſentiendum ſit clare diſtincteque definiat. Obteſtamur ergo, ut has præſertim propoſitiones (*Janſenii*) de quibus diſceptatio periculoſior, ac contentio ardentior eſt, Sanctitas veſtra expendat, & perſpicuam, ac certam de unaquaque ſententiam ferat.

(a) *Adi ſi otium ſuppetat Opus cit. de Sup. R. Pont. auctor. Lib. I. Cap. VII. p. 115. & ſeqq.*

(b) *In I. Epiſt. ad Epiſc. Montis-Peſſul ſuo Clero communicata pag. 6.*

(c) *In Monito 2. part. 2. p. 11. apud Opus nunc cit.*

(d) *Nonnullis Sæcularibus potiſſimum Cauſidicis Pariſienſibus, qui teſtante Auctore operis cit. Lib. I. Cap. IV. p. 65.*, Sub prætextu Gallicanarum, quas ipſi pro nutu fingunt, libertatum genuinas ac venerandas illius Eccleſiæ libertates peſſumdare non ceſſant: de privilegiis vix aliud ſcire videntur, quam Sacra Apoſtolicæ Sedis privilegia neſcire, ac irato calamo proſcindere: *qui exitiali libertati Chriſtianæ, cujus palliō impius Lutherus fidem Chriſti in tota ferme Germania labefactavit, videntur echo libertatum Gallicanarum aſſonare, proſcindentes hac lege unitatem Fidei orthodoxæ: qui tandem in ſcripto cui Gallice titulus*, Conſultation de Meſſieurs les Avocats de Parlament de Paris &c. *contendebant, Bullam Clementis XII. (percenſentis, B. Vincentium a Paulo pro finita habuiſſe cauſſam quinque propoſitionum Janſenii, quum audivit reſcriptum Innocentii X.) eſſe contrariam libertatibus Gallicanis, atque ita a præfata Bulla Canoniza-*

tio-

ſcopus palam aſſeruit, *Suos Collegas* (Gallicanos Epiſcopos) *infallibilitatis Pontificiæ doctrinam auctoritate ſua confirmaſſe* (a). Nuper laudatus Epiſcopus Cameracenſis hujuſmodi effatum, *Cauſſas Fidei omnino finiri per Reſcripta Romanorum Pontificum*, taliter refert ad ſententiam Gallicanæ Eccleſiæ, ut teſtetur: *Centies eodem modo locuti ſunt Franci Præſules, quoties nempe cum Janſenii diſcipulis manus conſuerunt*: Cauſa finita eſt, *aiebant inter cæteros Epiſcopi* (Gallicani) *anno* 1656. *congregati*: tum profert teſtimonium Cleri Gallicani in Comitiis 1653., in quibus ejuſdem adagii memores abſque cunctatione receperunt conſtitutionem Innocentii X. tanquam a Spiritu Sancto profectam: & tandem ita concludit. *Poſteriores Cleri Gallicani Conventus CENTIES ita locuti ſunt. Annon igitur mirum, quod iſti Cauſidici contra hujuſmodi elocutiones arrogantes inſurgant, atque has loquendi formulas Gallicis auribus peregrinas inveniant. Quum omnibus notum ſit; hunc loquendi modum in celebrioribus Cleri Gallicani cœtibus eſſe conſuetum, quin & ab ipſo Boſſuetio approbatum tanquam communi ſeculorum omnium Traditioni conſentaneum, atque Epiſcopos, qui iſtis elocutionibus tam frequenter uſi ſunt, eas nonniſi ex Auguſtino, ac purioris antiquitatis fontibus deprompſiſſe?* Memento Lector optime, quod hic non modo proferimus teſtimonia quorundam Gallorum Antiſtitum confitentium & propugnantium Pontificiam inerrantiam, ſed etiam monumenta, quibus iidem doctiſſimi Præſules tradunt, eandem ſemper fuiſſe ſententiam totius Cleri Gallicani: ſicque a veritate longe aberrant, quibus evulgare arriſit, vix paucos Gallicanos Epiſcopos interdum iviſſe ad Pontificiam infallibilitatem. Dicam plus: ſi nolueris fidem

adhi-

tionis B. Vincentii legitime appellandum; adverſus quos virili eruditione ac zelo irruit Archiepiſcopus Cameracenſis in ejus documento Paſtorali Pariſiis evulgato 17. *Januar.* 1739., *eoſdem increpans tum ignorantiæ, tum mirabilis arrogantiæ.*

(a) *Nos Confreres ont autoriſé la Doctrine de l'infallibilité du Pape* Mandat *Paſt.* 19. *Novemb.* 1718.

adhibere Præſulibus tam doctis, tanta fide digniſſimis, crede ſaltem ipſiſmet Janſeniſtis, qui ediderunt Libellum cui Gallice titulus, *Conſiderations ſur l' inſtruction Paſtorale de la derniere aſſemblèe du Clergè*; alium Libellum vernacule inſcriptum, *Denonçiation de l'inſt. Paſtor. de M. le Cardinal de Biſſy, addreſsèe a tous les Archevêques, & Evêques &c.*, & alium inſcriptum, *Renverſement des libertès Gallicanes &c.*, & alios paſſim, in quibus volentes nolentes concedunt, Gallicanos Antiſtites pro inerrantia Pontificia militare. Faceſſite ergo qui Romanam inerrantiam in rebus Fidei, ipſam eſſe recentioris Gallicanæ Eccleſiæ doctrinam ambigitis. Illuſtriſſima ac venerabilis Gallicana Eccleſia, quæ, eiſdem Janſeniſtis conteſtantibus, quoad Fidei articulos credendos & cuſtodiendos repræſentatur apud illuſtriſſimum Gallorum Epiſcoporum corpus, non vi conſenſus Eccleſiæ antecedentis, vel concomitantis, vel ſubſequentis obſequentiſſime & cum plauſu Pontificiis conſtitutionibus adhæſit, bene vero ex ea explorata animi ſententia qua ſemper divina Fide credidit, firmiterque tenuit, Romanum Paſtorem in rebus Fidei dirimendis ex ſpeciali privilegio eſſe falli neſcium. Conſiderate Fratres quibus creditis, quoſque cavetis: haud vos miſere decipiant, quibus non aliud in deliciis eſt, quam diligere vanitatem & quærere mendacium, ſuoſque innocentes Lectores a ſemita veritatis & Chriſtianæ Religionis abducendo.

729. *Tandem*, libenter conceſſo, quod ideo Eccleſia Gallicana acquieverit Pontificiis Conſtitutionibus, in quantum ejus proprio ſpontaneoque conſenſu vel antecedente, vel concomitante, vel ſubſequente eas acceptavit, & ad praxim deduxit, quid per hoc? ſedulo velim animadvertas, quod nobis quæſtio non eſt, utrum ad hoc ut conſtitutio Pontificia acceptetur ab Eccleſiis, & ad praxim deducatur indigeat earundem Eccleſiarum conſenſu? Vix enim apud imperitos inſulſoſque homines hujuſmodi dubium habebit locum, quum nulla penitus detur lex divina, aut hu-

humana, quæ acceptetur, & ad praxim deducatur ſine conſenſu eorum qui reipſa acceptant, & ad praxim referunt; & per conſequens nonniſi ſtultus audebit denegare, ideo Eccleſiam Gallicanam religioſe paruiſſe Pontificiis conſtitutionibus, quia ab eadem fuerunt libere recepta. Tota itaque altercatio verſatur deſuper vi & valore hujus acceptationis, ſive conſenſus: utrum ſcilicet ingrediatur ſubſtantiam Pontificiæ infallibilitatis? ſive per hujuſmodi acceptationem & conſenſum conſtitutio Pontificia evadat infallibilis auctoritatis, & tunc ſolummodo ſub gravi obliget fideles ad exactam obſervantiam, itaut niſi muniatur præfato conſenſu & acceptatione, nec ſit infallibilis auctoritatis, nec fideles teneantur eam habere pro irreformabili, neque ſub gravi ejuſdem obſervantiæ obſtringantur? Quocirca Eccleſia Gallicana tam ſplendide, multipliciter, & crebro ſuam teſtatam voluit ſanam digniſſimamque ſententiam, ac Cœlum varietate & multitudine ſyderum pulchritudinem faciei ejus, etiam noctis tempore obtutui noſtro repræſentat.

730. Adverſus iſta oſores Pontificiæ inerrantiæ magni faciunt famoſam Conventus Gallicani 19. Martii 1682. Declarationem, habentem propoſitione II. Immota conſiſtere Decreta Concilii Conſtantienſis de auctoritate Conciliorum generalium (a), & propoſitione IV., In Fidei quæſtionibus non eſſe irreformabile Pontificis judicium niſi acceſſerit Eccleſiæ conſenſus, cujus concepta verba dedimus num. 710. Verum ut ſummatim videas, eoſdem incaſſum

ac

(a) *Synod. Conſtant. Seſſ. I. ſtatuit*, Concilium generale Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem a Chriſto immediate habet, cui quilibet cujuſcunque ſtatus vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat obedire tenetur in his quæ pertinent ad Fidem, & extirpationem Schiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris. *Hoc ipſum iterum decrevit Seſſ. V., adjiciens, quod quicunque cujuſcunque conditionis etiamſi Papalis exiſtat mandatis illius Synodi, vel alterius Concilii Œcumenici contempſerit contumaciter obedire, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur, & debite puniatur.*

Digitized by Google

ac in nihilo penitus lætari, ſciendum ex Eminentiſs. Sfondrate (*a*), & ex Antonio Charlas (*b*). *Totum*, quod in iis Comitiis agitabatur, *vindictæ & odio* datum fuiſſe; & Emin. Aguirre, *Non a Concilio*, inquit (*c*), *aut maturâ conſultatione prolatæ* (illæ quatuor propoſitiones); *ſed ſubita quadam animi commotione . . . occaſione gravis diſſidii inter Innocentium XI. & Regem Chriſtianiſſimum*. Ea de re iidem Epiſcopi data eodem anno ad præfatum Pontificem Epiſtola, *Quam*, inquiunt (*d*), *conſecrandi fecimus Apoſtolicæ Sedi canonicæ obedientiæ profeſſionem, ea nos impellit quæ Pariſiis juſſu Regio congregati geſſimus ad Apoſtolatum veſtrum referamus, graveſque METUS noſtros paternum in ſinum effundamus*; quibus Innocentius XI. hac gravi ſimul dulci amantiſſimaque admonitione reſpondit (*e*): *Quod metu ſuaſore nunquam Sacerdotes Dei eſſe ſolent in ardua & excelſa pro Religione & Eccleſiaſtica libertate, vel aggrediendo fortes, vel perficiendo conſtantes*. Et iterum ad Innocentium XII. omni depoſito timore, ac ardentiori ſincera pœnitentia ducti iidem digniſſimi Præſules *Ad pedes*, conſcripſerunt (*f*), *Beatitudinis veſtræ provoluti profitemur & declaramus, nos vehementer quidem & ſupra id quod dici poteſt, ex corde dolere de rebus geſtis in Comitiis prædictis* (an. 1682.) *quæ Sanctitati veſtræ ejuſque prædeceſſoribus ſummopere diſplicuerunt, ac proinde quidquid in eiſdem Comitiis circa Eccleſiaſticam poteſtatem & Pontificiam auctoritatem decretum cenſeri potuit, pro NON DECRETO habemus, & habendum eſſe declaramus*. Porro tutum in jure (g): Quæ vi metuve fiunt debere *in irritum revocari*,

&

(a) *In Gallia vindicata. Diſſert. 21. §. I. in fine.*
(b) *Tract. de libertatibus Eccleſiæ Gallic. Cap. XIII.*
(c) *In Defenſ. Cathedræ S. Petri Diſput. 1. Tract. 1. Sect. 2. n. 12. & 13.*
(d) *Apud Laudat. Defenſ. Pontificiæ auctor. Lib. IV. Cap. III. p. 118.*
(e) *Apud Sfondrat. cit. Diſſer. I. §. VIII. Docum. 59.*
(f) *Hanc Epiſtolam ex integro refert Sfondrat. Regali Sacerdotio Lib. IV. §. V. num. 4.*
(g) *Cap. Abbas 2. & Ad audientiam* De his quæ vi metu &c.

Digitized by Google

& carere robore firmitatis. Hiſce addas religioſas obteſtationes ejuſdem Regis Chriſtianiſſimi in Epiſtola data 24. Septem. 1693. ad Innocentium XII.: *Godo*, inquit (*a*), *di far ſapere alla Santità voſtra, che io ho dati gli ordini neceſſarj, affinchè le coſe contenute nel mio editto delli* 2. *Marzo* 1682.; *toccante la dichiarazione fatta in quel tempo dal Clero di Francia*, *NON SIANO PUNTO OSSERVATE*. Quibus dicamus oportet ortum eſſe, quod teſte anonymo Defenſore Pontificiæ auctoritatis (*b*), nec acta MSS. illorum Comitiorum hodie inveniantur, nec illorum exemplar reperiatur deſcriptum in actis nomine & auctoritate Cleri Gallicani excuſis, & vix typis extraneis encyclica Epiſtola illius Conventus ad Regni Archiepiſcopos & Epiſcopos anno 1730. publicam lucem adſpexerit, quæque legitur initio operis cui titulus *Defenſio Declarationis Cleri Gallicani*. Ipſe quoque obſervaram, quod Liber inſcriptus, *Traitè de la Puiſſance Eccleſiaſtique & Temporelle*, impreſſus an. 1717., communiter tributus auctori Eliæ Dupin, & in quo ex profeſſo defenditur ejuſdem Gallicani Conventus declaratio, nec locum pariter in quo cuſus fuit indigitat, nec impreſſorem, ſive editorem. Unde iſta? niſi quia Gallicana Eccleſia præfatam declarationem e ſuis faſtis exulem penitus voluerit, ac æternæ oblivioni ſepultam? Valeant itaque qui genuinam Eccleſiæ Gallicanæ ſententiam de inerrantia R. Pontificis ad legem iſtius famoſæ declarationis an. 1682. æſtimari & dignoſci volunt.

731. *Item*, declaratio hujus Gallicani Conventus maniſeſte opponitur pleriſque aliis decretis & declarationibus tum Cleri Gallicani, tum Chriſtianiſſimi Regis, tum S. Facultatis Pariſienſis, editis tam ante quam poſt annum 1682., ut ex nuper indicatis cuique attente legenti datum

(a) *Apud Dominicum Berninum Secul. XVII. Hiſtor. Hæreſ. Tom. IV. p.* 739.
(b) *Lib. IV. Cap. III. Tom. II. p.* 121.

tum eſt eruere : a quo forte ſolemni turpique contradictionis peccato Emin. Cardinalis Biſsy (*a*) & Archiepiſcopus Senonenſis (*b*), ut vindicarent honorem & auctoritatem ſuæ Gallicanæ Eccleſiæ , teſtantur , Clerum in Comitiis an. 1682. hæc protuliſſe : *Decretum ſummi Pontificis eſt irreformabile QUANDO ipſi acceſſit Eccleſiæ conſenſus*, quæ propoſitio longe diſtat ab hac alia, *Judicium Pontificis non eſt irreformabile , niſi acceſſerit Eccleſiæ conſenſus*. In iſta , ut ipſe vides, conſenſus Eccleſiæ requiritur tanquam conditio ſine qua non, ſive ingreditur ſubſtantiam & valorem infallibilitatis; in illa confluit tanquam extrinſeca ſolemnitas, quam quævis lex ad ſui obſervantiam imbibit. Quid plura ? Laudatus Defenſor Pontificiæ auctoritatis animadvertit (*c*) , eos Præſules fuiſſe locutos, *primo*, non de judicio Romani Pontificis ſolemni & publico , ſed de privato & particulari, in quo certe judicio ferendo communis ſententia eſt , Papam ſubeſſe errandi periculo, quia agit ut Doctor privatus , nullaque interpoſita Apoſtolicæ Sedis auctoritate : *ſecundo*, locutos non de conſenſu Eccleſiæ univerſalis , ſed ſolius Romanæ Eccleſiæ , quum teſte Turnellio Regio in Sorbona profeſſore (*d*), tametſi Gilbertus de Choyſevil du Pleſſis-Pralin expoſtulaverit , ut adderetur particula *univerſalis*, haud fieri meruit voti compos (*e*).

(a) *In Document. paſtorali edito an. 1722. , quod non modo cæteri Epiſcopi Gallicani encomiis proſecuti ſunt , ſed etiam amabilis Ludovicus XV. regio munivit edicto.*

(b) *Apud cit. Defenſorem Pontif. auctorit. p. 123.*

(c) *Lib. IV. Cap. III. Tom. II. p. 129.*

(d) *De Eccleſia Tom. II. quæſt. V. art. 3. p. 165.*

(e) *Hæc interpretatio cæteris veriſimilior videtur , immo aptior ad revincendos eos adverſarios, qui profitentur clauſis oculis adhærere doctrinæ Epiſcopi Meldenſis Jacobi Benigni Boſſuetii . In ſermone enim quem hic doctiſſimus Præſul habuit ad Clerum illorum Comitiorum ; & juſſu ejuſdem Cleri publici juris facto Pariſiis apud Leonardum ordinarium Regis Typographum eodem anno 1682., conceptis verbis fatur pag.16., quod Romæ ſtabilita ac conſtituta fuit Cathedra æterna, & quod Romana Eccleſia a Petro ejuſque ſucceſſoribus edocta hæreſim non agnoſcit :* Fût ètablie & fixèe à Ro-

tertio, locutos non de conſenſu, cujus acceſſio pendeat a libertate Eccleſiarum, ſed quem neceſſario & indiſpenſabiliter cunctæ Eccleſiæ orthodoxæ exhibere tenentur, uti alias obſervatum alteri recentiori Doctori Sorbonico (*a*). Male igitur ea famoſa declaratione urgetur ad deformandam ampliſſimi ordinis Gallorum Antiſtitum, ac totius Eccleſiæ Gallicanæ de Pontificia inerrantia ſententiam, quum potius ex perverſo Janſenianorum intellectu, quam ex nuda rei veritate tantis dicendi facibus eadem declaratio oſtentetur.

732. Clamoſi novitatum buccinatores, ad ſua placita confirmanda, nobis tandem opponent auctoritatem percelebris Jacobi Benigni Boſſuetii Meldenſium olim Antiſtitis, qui præfatis Comitiis 1682. inter cæteros honoratior adfuit illuxitque, quique, dicunt, ſpeciali juſſu Magni Ludovici XIV. elucubravit opus defenſorium illius declarationis inſcriptum, *Defenſio declarationis Cleri Gallicani an.* 1682. *&c.*, & in quo ex inſtituto noſtra ſententia confoditur: Verum is, cui curis vel oblectamento erit penſiculatius edoceri de germanitate hujus evulgati operis, adeat Anonymum defenſorem Pontificiæ auctoritatis, utpote qui Lib. IV. Cap. V. rem ab ovo expendens, gravibus liquatiſque momentis oſtendit, haud pro germano Boſſuetii fœtu illud ha-

Rome la Chaire èternelle. C' eſt cette Egliſe Romaine, qui enſeignèe par ſaint Pierre & ſes Succeſſeurs ne connoit point d' hereſies. *Item, quod Eccleſia Romana ſemper eſt virgo, & quod fides Romana totius Eccleſiæ ſemper fides exiſtat:* L'egliſe Romaine eſt tujours vierge; la foi Romaine eſt toujours la foi de l' Egliſe. *Quam quidem ſententiam nec Pſeudo-Boſſuetius, de quo modo ediſſeremus, auſus fuit removere ab inclyto Meldenſi, ut videre eſt in titulo Capitis IV. Lib. XV. Tom. II. p.* 333. *col.* 1. *in titulo Cap. VI. p.* 335. *col.* 2. *verſus finem. Cap. VII. p.* 338. *col.* 2. *Cap. VIII. p.* 339. *col.* 2. *&* 340. *col.* 2. *Cap. X. p.* 342. *col.* 2. *& p.* 343. *col.* 2. *Cap. XV. p.* 349. *col.* 2. *in quibus aliiſque locis perpetuo ex laudato Meldenſi aſſeritur, quod fides Petri non ſolum in Eccleſia univerſali & Catholica, ſed etiam in Sede Apoſtolica, ſeu peculiari Eccleſia Romana a Petro fundata nunquam defectura ſit.*

(a) *Apud Librum cui titulus*, Memoire ſur la maniere dont le Eveques doivent recevoir la Conſtitution Unigenitus *edit. an.* 1714. *p.* 16.

habendum; quorum certe bene multorum cardinum pro noſtro inſtituto, ſequentia ſummatim attingemus. *Primo*, quia non conſtat, ad cujus manuſcripti fidem fuerit impreſſum, num ſcilicet illius Apographi, quem Illuſtriſs. Boſſuetius Antiſtes Trecenſium, & nepos Boſſuetii Meldenſis teſtatum voluit, ſe anno 1709. conſignaſſe in manibus Ludovici Magni; vel alterius primigenii ſive Autographi, qui apud eundem Epiſcopum Trecenſium dicebatur extare. *Secundo*, quia Editor præfati operis, qui teſtatur præ manibus habuiſſe Autographum, eſt vir ignotus, & nonniſi ſex fere luſtris ab obitu præclari Meldenſis illud primo publicæ luci donavit, & inſuper non in Galliis ſed typis Luxemburgi & Baſileæ an. 1730. edidit: qui fieri potuit, ut opus a tanto viro juſſu Regio elucubratum deſuper re, cujus maxime tunc intererat, & oſoribus Pontificis diſerte favens, tam tarde innotuerit orbi Chriſtiano, & inſuper tam ſuſpectis clauſulis impreſſum? Neque dicas, Boſſuetium præmatura morte peremptum, non valuiſſe operi vulgando incumbere; quoniam teſte eodem Boſſuetio Anonymi (a), hujuſmodi opus fuit abſolutum ante obitum Innocentii XI., qui contigit an. 1688., annis ſcilicet ſexdecim ante 1704., in quo Boſſuetius Meldenſis fatis ceſſit; verbis fortaſſe ludimus? *Tertio*, aliæ quoque plures Boſſuetio poſthumæ tributæ ſunt ac ſub ejus nomine editæ lucubrationes, e.g. Mandatum illud Galliceque inſcriptum: *Juſtification des Rèflexions Morales du P. Queſnel*, *ideſt defenſio conſiderationum Moralium P. Queſnelii*, quas perperam vero Boſſuetio affictas nemo cordatus dubitet. *Quarto*, Boſſuetius editus ab Anonymo in Præfat. p. 3. ſe ſe prædicat non modo Epiſcopum doctrinæ ac eloquentiæ laude conſpicuum, ſed inſuper hujus doctrinæ & eloquentiæ laudem præ cæteris Epiſcopis illius Conventus Gallicani 1682., ſibi & Epiſcopo Tornacenſi in primis adſcribendam te-

(a) *In Corollario aſſuto in calce Tom. II. p.* 417.

Digitized by Google

teſtatur? quæ quidem a modeſtia Cl. Boſſuetii quam longiſſime abſunt. *Quinto*, Boſſuetius Anonymi (*a*) taliter verſatur in exponenda ac extollenda ſententia Boſſuetii veri, ut vel Tyronibus affulgeat, Anonymum editorem potius pravam voluntatem, quam artem fallendi habuiſſe, quum prorſus inveriſimile videatur ea fuiſſe a vero Boſſuetio deſcripta. *Sexto*, permulta ſunt placita Boſſuetii Anonymi ex diametro contraria iis, quæ a vero Boſſuetio in vivis agente edita ſunt, ac publicæ utilitati conſecrata.

733. Unum ſpecimen exhibeam, quum pleraque alia proferantur a Defenſore Pontif. auctoritatis, & etiam ab Eminentiſ. Auguſtino Orſi in ejus opere *De irreformabili R. Pontificis judicio*. Boſſuetius verus (*b*) affirmat, quod Petrus fuit a Chriſto conſtitutus immotum Eccleſiæ fundamentum, quod Petrus vivat in ejus Succeſſoribus, & quod in ejus Cathedra ſemper loquatur: proferens quoque teſtimonium VI. Synodi, nimirum quod Petrus per Papam Agatonem locutus fuerat (*c*). Quæ quum ita ſint, plane ex ſententia laudati Meldenſis luce clarius eruetur, nullum penitus R. Pontificem a fide hactenus deviaſſe, vel defecturum; quandoquidem ſi ad voluntatem ipſius Petrus immobiliter poſitus fuit pro Eccleſiæ fundamento, itaut Petrus in ſuis Succeſſoribus vivat, & ore ſuorum Succeſſorum loquatur, ex ejuſdem Meldenſis ſententia dicamus oportet, nullum talem Succeſſorem in errorem circa fidem impegiſſe; alioquin Petrus, in eo Pontifice qui erravit, nec vixiſſet, nec per eundem locutus fuiſſet, quibus Cl. Boſſuetius haud ſuum impartitur ſuffragium, quinimmo eadem ad-

(a) *Cap. XII. Partis I. Lib. III. pag.* 84.

(b) *Serm. nuper cit. p.* 13.

(c) Pierre par cette haute predication de la Foi: *Vous êtes le Chriſt, Fils du Dieu vivant Matth.* 16. s' attire l' inviolable promeſſe qui le fait le fondament de l' Egliſe . . . . Pierre vivra dans ſes Succeſſeurs; Pierre parlera toujours dans ſa Chaire. *Pag.* 16. Le Concile VI. ne s'eſt pas ècriè avec moins de force: *Pierre a parlè par Agathon*.

adverſantur immobili promiſſioni Chriſti, quam Boſſuetio teſte Petrus ſibi promeruit, quaque conſtitutus fuit perpetuum Eccleſiæ fundamentum. *Item*, Boſſuetius verus (*a*) rationem aſſignans, cur Eccleſia Romana hæreſim non agnoſcat, non alio rem deducit, niſi quia edocetur ab ipſo Petro ejuſque Succeſſoribus (*b*): poſito igitur quod vel unus Petri Succeſſor docuerit hæreſim, quomodo non corruet Meldenſis ſententia? nimirum, *Roma hæreſim non agnoſcit*, vel ut alibi dixit, *Romana Eccleſia ſemper eſt virgo*, *Romana Eccleſia nuſpiam a Fide defectura*? Si Romana Eccleſia ideo per Boſſuetium Meldenſium nuſpiam hæreſim agnovit, quia edocetur a Petro ejuſque ſucceſſoribus; ergo præſupponit in iſtis infallibilitatis privilegium, quo nimirum nuſpiam hæreſim eam Eccleſiam docuerunt, vel docebunt: hæc ex præclaro Boſſuetio Meldenſium. Inſpiciamus modo, quid nobis proferat Boſſuetius Anonymi. Inſulſus hic editor (*c*) ſuum orditur Catalogum Pontificum, qui in Fidei cauſſis lapſi ſunt, incipiens a Liberio Papa, pergenſque criminatur Zoſimum, Hormiſdam, Joannem VII., Honorium, Gregorium II., Stephanum II., Sergium III., Gregorium VII., Bonifacium VIII., Paſchalem II., Alexandrum III., Innocentium III. Inde progreditur ad inſimulandos alios Pontifices tanquam peſſimos Conſiliarios in rebus Religionis, citatque ad ſuum Tribunal Innocentium III., Celeſtinum III., Nicolaum III., aliosque: tanta tandem impudentia inter haſce pariles que Hæreticorum putridas latrinas ſe ſe volvit, ut in nihilo ferme eiſdem habeat æmulari. Quibus aliiſque de cauſſis jure meritoque Eminentiſ. De Tencin, Illuſtriſ. De Saleon Epiſc. Ruthenenſis, De Belſunce Epiſc. Maſſilienſis, Archiepiſc. Lugdunenſis olim Ebredunenſis, aliique doctiſſimi Gallorum Præſules (*d*) ſcri-

ptis

(a) *Eodem loco p. 16.*

(b) C' eſt cette Egliſe Romaine, qui enſeignée par Saint Pierre, & ſes Succeſſeurs ne connoit point d'éréſies.

(c) *Tom. II. evulgati operis Lib. XIV. Cap. XXXIII. p. 297.*

(d) *Apud Defenſor. Pontific. auctor. loc. cit.*

ptis publicis conqueruntur, quod Novatores freti teſtimonio præfati vulgati Operis Pſeudo-Boſſuetii, infament doctrinam, auctoritatem, & zelum Boſſuetii veri. Pudeant itaque doctos noſtræ ætatis magni facere vel commendare hujuſmodi prætenſum Boſſuetium, ne apud Tyrones quos hæc non fugient pro ignorantiſſimis, ac ſtupida credulitate irretitis habeantur.

734. Rem tandem abſoluturus haud zelotem Lectorem mihi ſuccenſuiſſe, aut prolixitatis vitio vertiſſe reor, quum in deſcribendo germanam ſententiam Gallicanæ Eccleſiæ deſuper infallibilitate R. Pontificis, plus æquo ſermonem protraxerim. Agebatur enim de eo infirmando famoſo præjudicio, quod hac noſtra ætate nedum ſciolos, ſed eos quoque, qui vel reipſa docti ſunt, vel tales videri volunt, graviter præoccupat atque tenet. Agebatur de eventilando populari præjudicio, cui primo potiſſimumque hodie confidunt oſores Pontificiæ infallibilitatis. Agebatur de iis liquandis juribus, ex quorum intelligentia cummaxime pendet notitia longi latique diſcriminis inter Theologiam Proteſtantium, Janſenianorum, & Romanorum Theologorum quoad Pontificiam auctoritatem. Negari non poteſt ipſis lapidibus e pariete clamantibus, tot nimirum operibus ſive ex profeſſo ſive obiter ediſſerentibus de inerrantia Romani Pontificis hoc noſtro ſeculo editis a pleriſque viris Catholicis, in quæ, ſalva bonorum debita reverentia, nonnulla ex Proteſtantium, & Janſenianorum ſubdolis prætextibus, neſcio quo fato obtruſa conſpiciantur: ut e. g. agnoſcere aliquem ex veteribus RR. Pontificibus in publicam hæreſim prolapſum, vel ex hiſce verbis, *Tu es Petrus &c.*, *Ego rogavi pro te*, Petre *&c.*: non ſatis colligi inerrantiam R. Pontificis, vel haud ſatis conſtare Papam in dirimendis quæſtionibus facti dogmatici eſſe falli neſcium, vel Pontificias conſtitutiones in rebus fidei indigere Eccleſiæ conſenſu, ad hoc ut cenſeantur irreformabiles & in conſcientia obligent, aliaque his paria, quæ unitatem catholicæ Fidei haud leviter

ter lædunt, & inſuper validiora arma Proteſtantibus & Janſeniſtis ſuppeditant. De eo tandem agebatur, cujus tractationi ſumma neceſſitate innititur firmitas tertiæ Demonſtrationis, & qua prætermiſſa tum ſuſcepto oneri, tum promeritæ expectationi Lectorum graviter detrahere putaverim. Hinc licet a ſuſcepto inſtituto paulisper excurriſſe fateamur, quod vero de magnitudine argumenti, cujus notitia permagni intererat, paucis ſummatimque diſcuſſum fuerit, res ipſa teſtatur.

ASSERTIO.

Romana Eccleſia privilegium habet haud errandi in deligendis, & declarandis Scripturis genuinis atque canonicis.

§. III.

Triplici via aſſertio ſuadetur.

735. PRIMO monumentis ex Scriptura petitis. In Libro Exodi (*a*) fertur, quod ad Moſen veniebat populus tanquam ad ſummum Sacerdotem quærens Dei ſententiam, & ab eodem Moſe oſtendebantur *præcepta Dei, & Leges ejus*. In Deuteronomio (*b*) præcipitur, ut futurus Rex Iſraël ſibi deſcriberet *Legem* in volumine, accipiens exemplar a ſummis Sacerdotibus Leviticæ tribus, qui ſibi mutuo in Pontificatu ſuccedebant. Hac pari lege Dominus inquit per os Aggæi (*c*): *Interroga Sacerdotes Legem*. Et iterum per Malachiam (*d*): Legem requirendam ex ore Sacerdotis, *quia Angelus Domini exercituum eſt*. Decretorium tandem videtur illud Joſaphat Regis optimi, ita ad Sacerdotes loquen-

(a) *Cap. XVIII. v.* 15.
(b) *Cap. XVII. v.* 18.
(c) *Cap. II. v.* 12.
(d) *Cap. II. v.* 7.

quentis (a): *Ubicunque quæſtio eſt de Lege . . . . Amarias autem Sacerdos, & Pontifex veſter . . . præſidebit*. Quibus colligitur potiori jure ſummis Sacerdotibus novæ Legis ineſſe privilegium inerrantiæ, quoad dignoſcendas Scripturas Canonicas, quæ profecto complectuntur divinam Legem: *Si hæc*, jure optimo ita argumentatur V. Bellarminus (b), *dicuntur de Sacerdote veteris Teſtamenti, quantomagis dici poſſunt de Sacerdote Teſtamenti novi, qui longe majores promiſſiones a Deo accepit?* Quivis itaque Chriſtianus niſi rebellis ſit & transfuga fateatur oportebit, Romanam Eccleſiam, ſive ſummum Chriſtianorum Sacerdotem, qui in ea ſedet, frui inerrantiæ privilegio quoad deligendas & declarandas Scripturas canonicas; adeout ipſi competat eas oſtendere, ab ipſo quivis Chriſtianus teneatur accipere authenticum Bibliorum exemplar, ipſe ſit hoc in negotio conſulendus, ex ore ipſius attendenda irreformabilis ſententia; uno verbo, ſi qua quæſtio ſuboriatur deſuper germanitate & canonicitate alicujus libri, vel capituli, vel verſiculi, aut voculæ Bibliorum, quæ juſſu Sixti V. fuerunt recognita, Romani Pontificis eſt præſidere, ac ſine erroris periculo auctoritative rem definire. Haud itaque Chriſtianos decet privilegium inerrantiæ denegare Vicario Chriſti, quod in gratiam ejuſdem fuit ſymbolice & in figura conceſſum ſummis Sacerdotibus Synagogæ, teſtante Apoſtolo (c). *Omnia in figura contingebant illis*.

736. *Dices* Aaron proprie & non Moſes geſſit figuram Romani Pontificis; quandoquidem ſicut Moſes fuit dux Populi, ita Aaron ſummus Pontifex; ſicque primum momentum ad rem non facit. *Præterea*, præcipitur Regi Iſrael ſibi deſcripturo volumen Legis juxta exemplar, quod acciperet non quidem a ſummo tantum Sacerdote, ſed a Sacer-

(a) *II. Paralip. Cap. XIX. v.* 10.
(b) *De verbo Dei Lib. III. Cap. IV. col.* 140. *D.*
(c) *I. Corinth. X. v.* 11.

Digitized by Google

cerdotibus pluraliter: *Deſcribet*, ſic legitur, *ſibi Deuteronomium Legis hujus accipiens exemplar a Sacerdotibus Leviticæ tribus:* & huc pariter collimat allegatum teſtimonium Aggæi, unde fit, facultatem Scripturarum auctoritative deligendarum, exemplo veteris Synagogæ haud reſidere in ſolo Romano Pontifice, ſed penes Dei Eccleſiam, ſive Œcumenicam Synodum Sacerdotum univerſam Eccleſiam Dei repræſentantium, tametſi primæ partes ad Papam deferendæ ſint: quemadmodum jure optimo ſtatuit Rex Joſaphat inquiens: *Amarias autem Sacerdos & Pontifex veſter præſidebit*.

Contra ad primum. Licet Aaron fuerit ſummus Sacerdos ordinarius, utpote cui jure ſucceſſerunt olim ſummi Sacerdotes Legis veteris, tum præſtantiori modo ipſe Chriſtus Sacerdos in æternum, D. Petrus, ſingulique Petri ſucceſſores; minime tamen infertur ex dato loco non colligi, populum Chriſtianum ita pendere a R. Pontifice circa diſcretionem & interpretationem Scripturarum, ſicut olim Dei Populus a Moſe (*a*); quandoquidem uti bene obſervatum nuper citato Bellarmino Veterum teſtimoniis innixo, Moſes non modo fuit Princeps politicus, ſed etiam ſummus Sacerdos Aarone major, licet non ordinarius, cui ſuccederetur, ſed extraordinarius a Deo ſpecialiter conſtitutus. Ut ergo Moſes tanquam ſummus Sacerdos interdum ſacrificavit, docuit, prædicavit, conſecravit veſtes, inunxit Sacerdotes & Pontificem (*b*), tradidit populo inviolabilem Dei legem, ejuſdemque genuinam declarationem, omnia ferme exercens munera ſummi Sacerdotis; ita nihil mirum quod Moſes quoque in ejus perſona præſignarit inerrantiam Romanorum Pontificum, in deligendis ac declarandis infallibiliter Scripturis canonicis.

(a) *Bene intelligimus RR. Pontificibus non aptari Scriptoris canonici prærogativam, in qua extraordinaria poteſtate ſolus D. Petrus Moſi ſucceſſit.*

(b) *Exod. Cap. XXVIII. & XXIX.*

737. *Ad ſecundum*. Jam indicavimus, per Sacerdotes pluraliter eo loci intelligi ſummos Sacerdotes, qui in ſuprema auctoritate ſibi mutuo ſuccedebant. Quod quidem eruitur *primo*, ex eodem citato Capitulo Deuter., pro cujus intelligentia breviter notandum, quod licet cauſſæ de Fide, de Religione, & de cæremoniis ſpectabant ad Sacerdotes in ſingulis urbibus conſtitutos; in hypotheſi autem, quod deſuper hiſce rebus aliquod dubium ſuboriretur adeo ambiguum ac definitu difficile, ut inter præfatos urbium Sacerdotes non conveniret, tunc dubitans tenebatur adire eos Sacerdotes, qui pro tempore præſidebant ac reſidebant in loco ſacro ab eodem Domino electo (*a*), quique hoc in caſu dirimebant propoſitum dubium irreformabiliter & ſine erroris periculo; quandoquidem de iſtis Sacerdotibus dicitur v. 9. *indicabunt tibi judicii veritatem*, & ei qui ad hoſce Sacerdotes foret provocaturus præcipitur v. 10. & 11., *facies quodcunque dixerint . . . & docuerint te juxta legem ejus* (*b*), *ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad de-*

(a) Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris . . . . & judicum intra portas tuas videris verba variari: ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes Levitici generis . . . quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem &c. *Deut. Cap. XVII. v. 8. & 9.*

(b) *Ex hiſce verbis Heretici noſtri temporis conati ſunt ſuadere, quod ſummo Sacerdoti tunc ſolummodo obſequebatur, quum in rebus Fidei & morum docebat & præcipiebat* juxta legem ejus, *perinde quaſi valuiſſet in dato caſu contra vel præter legem Dei ferre judicium, quod quam ridiculum ſit & puerile quivis vel in Theologia novitius bene intelliget. Quis adeo cæcutiens qui non videat, quod in præfato caſu fruſtra Deus ſtatuiſſet recurſum ad ſummum Sacerdotem, perperam affirmaſſet ſummum Sacerdotem indicare judicii veritatem, immerito præcepiſſet, ut provocans reipſa executioni mandaret quodcunque à ſummo Sacerdote proferretur, ejuſdem latæ ſententiæ firmiter inhærens, haud declinaturus ad dexteram, neque ad ſiniſtram; & tandem morti devovendus ſi ſuperbiret nolens obedire imperio ſummi Sacerdotis?* Item, *præfata cavillatione admiſſa, tunc ſubortum dubium tam ante quam poſt judicium ſummi Sacerdotis ex æquo ambagibus involutum permanſiſſet, ſicque nihil bene proviſum; immo refractarius impune illuſiſſet ſummi Sacerdotis ſententiam, non ſine rationabili fundamento opponens, quod non ſecundum Deum, nec ſecundum ejus Legem lata fuerit, qui-*

dexteram, nec ad ſiniſtram. Quibus clareſcit haberi ſermonem de Sacerdotibus pluraliter, non ad denotandum omnes Sacerdotes ſive ſummos ſive minores, ſed Pontifices tantum, in quantum ſcilicet non unus aut alter iſtorum poteſtatem habebat definiendi infallibiliter & irreformabiliter, ſed omnes & ſinguli, quemadmodum omnibus ſinguliſque Pontificibus Synagogæ datum erat præſidere aliis, & in loco quem elegerat Dominus, cujuſmodi fuit Hieruſalem, ubi Pontifices ſibi mutuo ſuccedebant, & in rebus gravioribus fruebantur peculiari Spiritus Sancti aſſiſtentia: quod etiam ſplendifice liquet ex Evangeliſta Joanne, qui hanc Spiritus Sancti ſententiam, *Vos neſcitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*, quam in pleno Concilio protulit Caiphas, refert Caiphæ utpote ſupremo anni illius Pontifici, reduplicative ut Pontifici: *Hoc autem*, ſubdit Evangeliſta (*a*), *a ſemetipſo non dixit: ſed cum eſſet Pontifex anni illius, prophetavit*, ita nobis facem præferentibus Auguſtino, Chryſoſtomo, Cyrillo, Theophilo, Euthymio, Beda, aliiſque Patribus Græcis & Latinis (*b*). *Præterea*, ſi etiam Sacerdotibus minoribus conveniret auctoritative & irreformabiliter ſuborta dubia reſecare, tunc nec opus eſſet, nec expediret, ut dubitans provocaret ad Sacerdotem, qui pro tempore præſidebat loco, quem Dominus elegerat; ſicque Deus fruſtra præcepiſſet allegatum re-

quibus quidem abſurdis nec veſtigium aut vola in toto Scripturæ Textu apparet quod ſuffragetur. Senſus itaque horum verborum, & docuerint te juxta legem ejus, *non eſt, tunc ſolummodo obſequendum Summo Sacerdoti, quum docebit juxta legem Dei; bene autem, ſummi Sacerdotis judicio ex Cathedra lato ſemper ſtandum, quia ſemper indicat dubitanti judicii veritatem, quia ſemper docet juxta legem Dei.*

(a) *Cap. XI. v. 51.*

(b) Quidquid hic fuit prophetiæ, non meritis Caiphæ, ſed PONTIFICALI ejus officio dedit Spiritus Sanctus. Ita S. Auguſtin., Chryſoſt. Cyrillus, Theophilus, Euthymius, Beda, & cæteri. *Cornelius a Lapide in præfatum loc. Joan. p. 424. col. 1.*

recurſum. *Item*, verſu 12.cit.cap., non pluraliter, ſed ſingulariter fit expreſſa mentio ſummi Sacerdotis: *Qui autem*, habetur, *ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo . . . morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael*, ad cujus quippe pœnam minime damnantur ii, qui declinarent a ſententia minorum Sacerdotum. Eruitur quoque noſtra ſententia ex allegato decreto Regis Joſaphat, qui conceptis verbis ſtatuit, ut ſummus Sacerdos præſideret in dijudicandis rebus dubiis ad Deum ſpectantibus; ſicque in Lege veteri ſummi Sacerdotis privilegium erat deligere & declarare irreformabiliter Scripturas germanas & canonicas.

738. Non inficiamur, omnibus ſinguliſque Sacerdotibus veteris Legis etiam conceſſum eſſe tradere exemplar authenticum Legis; ſicut nec pro tantillo detrahimus ſententiæ aſſerenti, Œcumenicam Synodum frui privilegio inerrantiæ in deligendis ac declarandis Scripturis canonicis; ſed damnamus duntaxat garrulitatem eorum, qui hiſce de cauſſis allegatum privilegium vel contendunt tribuere omnibus Sacerdotibus veteris Legis independenter a ſummo Sacerdote, vel abjudicare ſummis Sacerdotibus independenter ab aliis; & hoc eo pravo conſilio, ut viam ſibi ſtruant ad ſuadendum, Papam exemplo Pontificis veteris Legis deſtitutum privilegio deligendi, & declarandi irreformabiliter divinas Scripturas independenter a conſenſu Eccleſiæ in Concilio, vel extra. *Amarias*, inquit inclytus Joſaphat, *Sacerdos & Pontifex veſter præſidebit:* quo ne hujuſmodi præſidentia tenderet, ſi adinſtar aliorum Sacerdotum Amarias obnoxius fuiſſet errandi periculo? ſi de ejuſdem ſententia locus fuiſset dubitandi, num judicarit juxta Dei legem? ſi extitiſſet aliud tribunal, ad quod conveniret appendere ejuſdem deciſio? Hæc mihi certe in cauſſa ſunt, ut confidenter aſſeram, ſummorum Sacerdotum judicio profectum eſſe, ut vetus Synagoga inter tot Sanctos Libros, qui conſcripti fuerunt, quorumque in veteri Teſtamento paſſim habetur men-

Digitized by Google

mentio, eos tantum, miſſis aliis, Libros, capita, verſiculos, & apices in canonem reciperet, quæ continebantur in puriſſima Hebraica veritate: atque ita ii Recentiores Chriſtiani, quos non pudet denegare Romano Pontifici privilegium deligendi & declarandi irreformabiliter divinas Scripturas quoad ſingulos Libros, capita, verſiculos, & apices, injurii eſſe videntur in Dei providentiam, in quantum hæc conſultius veteri Synagogæ quam noſtræ Eccleſiæ proſpexiſſet; ingrati in Dominum Jeſum Chriſtum, qui longe auctoritate & poteſtate præſtantiores Pontificibus Synagogæ conſtituit ejus pro tempore ſucceſſores Vicarios; & tandem arma ſuppeditant circumciſis, quibus creſcant de nobis, ac noſtris ſummis Sacerdotibus tumido ſupercilio inſultent.

739. SECUNDO ex Apoſtolica & Eccleſiaſtica traditione. Sub initium Eccleſiæ Chriſti ſuborta quæſtione deſuper omnimoda canonicitate Epiſtolarum D. Pauli, primus Romanus Pontifex S. Petrus litem reſecuit, cui Eccleſia promptiſſima voluntate, & perpetuo paruit. Quum enim in Epiſtolis Paulinis ſit rerum ſpiritualium maxima multitudo & magnitudo, itaut nonniſi viri timorati & docti valeant quoad fieri poteſt eas introſpicere, quidam ſeculi ſapientes de rebus divinis indocti, ac pro more Hæreticorum inſtabiles, non ſine animarum ſcandalo divulgabant, in Pauli Epiſtolis nonnulla reperiri difficilia, ac humano captui parum accommodata: ea de re hoc velamento tecti eaſdem falſis interpretationibus depravabant, vel ſacrilege corrumpebant additionibus, vel detractionibus: *Ut nova*, monet Lactantius (a), *ſibi doctrinam ſine ulla radice ac ſtabilitate componerent*, vel juxta Athanaſium (b), *Pro ſua ignorantiæ & inconſtantiæ libidine detorquebant*, ſup-

(a) *Lib. IV. Cap. ultimo, apud Lorinum in v. 16. Cap. III. Epiſt. II. Petri p. 432. col. 1. D.*
(b) *Epiſt. ad Ammon. citat. ab eodem Lorino nuper.*

Digitized by Google

ſupple *violentis interpretationibus*. Hinc Princeps Apoſtolorum, pro paſtorali officio, quo fungebatur, decrevit ac declaravit, quod in Pauli Epiſtolis licet ſint quædam difficilia intellectu, divina tamen ſunt & canonica, utpote quæ a Paulo ſcripta ſecundum datam ſibi cæleſtem ſapientiam: *Cariſſimus*, inquit (*a*), *frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, ſicut & in omnibus Epiſtolis . . . in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant*. Vide ergo quomodo Chriſti Vicarius independenter a quovis Concilio irreformabiliter declaravit, Epiſtolas Paulinas habendas fore pro Scripturis divinis & canonicis. Neque dicas, D.Petrum præfatis verbis confirmaſſe, quod fuerat antea Hieroſolymis ab eodem Petro cum cæteris Apoſtolis, ceu in Concilio circa Paulinas Epiſtolas diſpoſitum, eodem Paulo teſtante (*b*): *Aſcendi autem* (Hieroſolymam), *& contuli cum illis Evangelium quod prædico in Gentibus:* in quem locum Hieronymus ſubdit (*c*), *oſtendens ſe non habuiſſe ſecuritatem Evangelii, niſi Petri & cæterorum Apoſtolorum qui cum eo erant, fuiſſet ſententia roboratum*. Verum enim vero, non Epiſtolas, quas eo tempore Paulus nondum ediderat, contulit cum Petro aliiſque Apoſtolis Hieroſolymis verſantibus; bene vero alia ejus ſcripta, quæ ut vides, *Evangelium* appellantur. Porro Cornelius a Lapide (*d*) ex D. Hieronymo colligit, Paulum contuliſſe ejus *Evangelium* cum Petro aliiſque Apoſtolis anno 17. ab ejus vocatione, Chriſti 54., Claudii Imperatoris 12., inſuper Calmetius, Bernardus Lamy, cæterique viri docti ex vetuſtis monumentis deſcribentes chronologiam Epiſtolarum Pauli tradunt; exceptis duabus Epiſtolis ad Theſſalonicenſes, cæteras edidit ab anno 56. Chriſti aduſque *66.*, quo pa-

(a) *Epiſt. II. Petri Cap. III. v. 15.*
(b) *Ad Galat. II. v. 2.*
(c) *Epiſt. LXXXIX. ad Auguſt. Tom. II. p. 633. B.*
(d) *In datum locum ad Galat. pag. 439. col. 1. A.*

pariter circiter anno Petrus ejus ſecundam Epiſtolam ſcripſit: vix itaque, & ad ſummum duæ tantum Epiſtolæ ad Theſſal. potuerunt in Concilio Apoſtolorum examinari & probari, quum cæteræ nondum eo tempore lucem adſpexerant: ſicque a capite recurrit noſtrum argumentum, quod nimirum S. Petrus primus Romanus Pontifex, allegatam controverſiam ſpectantem ad omnimodam Paulinarum canonicitatem, independenter a Concilio irreformabiliter diremerit.

740. *Præterea*, Quum temporibus Gelaſii Papæ gravia dubia nonnullorum eruditorum animos excruciabant circa auctoritatem Librorum eccleſiaſticorum, quibuſdam (quantum ad præſens adtinet) contendentibus vel removere a canone Scripturarum Libros, qui revera & ex ſe ſe canonici erant, vel alios addere prætextu quod fuerant a SS. Apoſtolis editi, vigilantiſſimus doctiſſimuſque S. Gelaſius pro ejus paſtorali regimine præfatis diſſidiis occurrens, provide digeſſit ordinem tum ſacrorum Librorum, qui habendi forent pro canonicis & divinis, quique reperiuntur in noſtris Bibliis Clementinis; tum aliorum, qui minime ſpectant ad genuinas Scripturas; quinimmo ex ejusdem Pontificis voluntate reiiciendi, utpote qui SS. Apoſtolis ſuppoſiti. Non latet adverſarios reſponſuros, de veritate hujus Gelaſiani Decreti non ſatis conſtare, nam Pearſonius exiſtimat, ante Gelaſii Pontificatum promulgatum fuiſſe; vetuſtiſſimus codex collectionis Dionyſii Exigui attribuit Damaſo Papæ; Baronius hoc ipſum ſentire videtur, addens fuiſſe a Gelaſio repetitum; Baluzius & Chifletius volunt, Hormiſdæ Papæ illud adſcribendum (*a*): & dato tandem quod revera ad Gelaſium pertineat, neque inde colligitur, Romanum Pontificem extra Concilium habere privilegium inerrantiæ in deligendis Scripturis canoni-

cis

(a) *Hæc referuntur a Pagio apud Baronium ad an. 494. n. XIX. Tom. VIII. pag. 568. col. 1.*

Digitized by Google

cis ab adſcititiis; quoniam Gelaſius præfatum Decretum condidit, conſentiente Concilio Romano ſeptuaginta, vel ut alii tradunt, ſeptuaginta duorum Epiſcoporum, iſta inquam adverſarii opponent; ſed re conſulto inſpecta nihil ferme officiunt. Et ſane, ſive Damaſo, ſive Gelaſio, ſive Hormisdæ præfatum Decretum adjudicetur, ſemper nobis plenum ſuffragium præſtabit, utpote quod editum ab uno de Romanis Pontificibus ſine erroris periculo & irreformabiliter; ac per conſequens quivis Romanus Pontifex pro tempore exiſtens privilegium habet etiam extra Concilium Œcumenicum deligendi Scripturas canonicas abſque erroris periculo, & irreformabiliter. Quod vero additur, Gelaſium edidiſſe Decretum in Concilio 70. vel 72. Epiſcoporum, in primis id non ab omnibus Veteribus, qui de re hujuſmodi recordantur, traditur; quum plerique nulla facta mentione Concilii, abſolute referant ad Damaſum, vel Gelaſium, vel Hormisdam. *Item, quum Concilium I. Romanum*, teſte doctiſſimo Pagio (*a*), *ante annum 496. celebratum non fuerit*, conſequens eſt, juxta ſententiam eorum Veterum qui Decretum referunt ad Damaſum, hunc illud edidiſſe extra allegatum Romanum Concilium. *Item, Nicolaus primus*, pergit Pagius (*b*), *Pontifex Romanus in Epiſt. XLII. ad Epiſc. Galliæ circa an.* 865. *data*, *Lupus Abbas Ferrarienſis in fine Epiſt. ad Carolum Calvum*, *& in fine quæſt. de ſanguine Chriſti*, *Gratianus diſt. XV. cap.* Sancta Romàna, *Burchardus Wormatienſis Epiſcopus*, *varii codices manuſcripti....* *Gelaſium* (non Concilium Romanum) *hujus Decreti auctorem produnt*. Ea de re non magni facimus, quod a pleriſque Conciliorum collectoribus Decretum illud adſcribatur Concilio Romano primo, vel ſecundo; quoniam in rebus veteribus, quod Veterum teſtimoniis magis conſentaneum videtur, tenendum eſt. Ne ta-

(a) *Loc. cit. p.* 571. *col.* 2.
(b) *Loc. cit. p.* 569. *col. I.*

tamen contra ictum fluvii ire videamur, & ipſe admitto, Decretum una cum Concilio fuiſſe a Gelaſio editum, quid inde? forte non recte eruetur, Romanum Pontificem extra Concilium frui privilegio inerrantiæ quoad ſeligendas Scripturas canonicas? Memento quod Adverſarii contendunt, judicium R. Pontificis in rebus Fidei tunc ſolummodo indeficiens eſſe, ac irreformabile, quum vel latum fuerit in Concilio Œcumenico, vel acceſſerit univerſæ Eccleſiæ conſenſus; at præfatum judicium Gelaſii indeficiens fuit & irreformabile, tametſi prolatum extra Concilium Œcumenicum, & independenter ab univerſæ Eccleſiæ conſenſu tam antecedente, quam concomitante, & ſubſequente. Illud enim Concilium tempore Gelaſii vix fuit Provinciale, ſive nationale, non Œcumenicum: *item*, dici non poteſt, ad Gelaſii decretum præceſſiſſe Eccleſiæ conſenſum, quia antecedenter ad Decretum non erat apud Eccleſiam communis conſenſus circa mendoſitatem illorum librorum, qui ex. gr. circumferebantur ſub nomine alicujus Apoſtoli (*a*), quoſque Gelaſius ad Apocryphos amandavit: conſenſus tandem Eccleſiæ concomitans, aut ſubſequens qui judicio Gelaſii acceſſerunt, illius duntaxat ſunt ponderis, quo præfatum judicium conſtabilitum fuit, non quoad intrinſecum valorem indefectibilis auctoritatis, quum ab ortu ſuo fuerit tale; ſed vix quoad ejuſdem promulgationem & obſervantiam (*b*).

741. Brevitatis tandem, quam non ſemel ſpopondimus, memores, prætermittimus pleraque laudare Patrum teſtimonia huc conducentia, quibus Controverſiſtæ abundant, & ex his quæ laudavimus §. I. non pauca ſeligi poſſunt, hoc altero quod adnectimus ſatis contenti. Maximus Pontifex

(a) *Actus vel Andreæ Apoſtoli, vel Thomæ Apoſtoli, vel Petri Apoſtoli, vel Philippi Apoſtoli: Evangelium tributum vel Thaddæo, vel Matthiæ, vel Petro, vel Jacobo, vel Barnabæ, vel Thomæ, vel Bartholomæo, vel Andreæ &c.*

(b) *Recole quæ attigimus num.* 729.

ac nuſpiam interituræ memoriæ Sixtus V. in ejus diplomate *Æternus ille cœleſtium*, dato Kalendis Martii 1589. diſertis verbis affirmat, totum judicium dignoſcendi Scripturas canonicas ab adſcititiis, ex præcipuo ac ſingulari Dei privilegio ad ſemetipſum, utpote legitimum ſucceſſorem Principis Apoſtolorum B.Petri, proprie ac ſpecialiter pertinere. Quod quidem hiſce verbis eximia eruditione, ac papali calculo proſequitur: *Nos enim rei* (hoc eſt reſtituere priſtino nitori ipſam veterem vulgatam Editionem) *magnitudinem perpendentes, ac provide conſiderantes ex præcipuo ac ſingulari Dei privilegio, & ex vera ac legitima ſucceſſione Apoſtolorum Principis B. Petri, pro quo Dominus ac Redemptor noſter ab æterno Patre pro ſua reverentia procul dubio exauditus non ſemel tantum ſed ſemper rogavit, ut ejus Fides non bumana carne & ſanguine, ſed eodem Patre inſpirante ei revelata nunquam deficeret: cui etiam Dominus injunxit ut cæteros Apoſtolos in eadem Fide confirmaret: qui denique, ſicuti confidimus, divinam pro nobis opem uſque ad conſummationem ſeculi Eccleſiæ Catholicæ promiſſam implorare non ceſſat, AD NOS in ejuſdem Petri Cathedra in qua ejus vivit poteſtas & excellit auctoritas, Deo ſic diſponente, conſtitutos, TOTUM HOC JUDICIUM PROPRIE AC SPECIALITER PERTINERE &c.* Verum quod majus eſt hance ſolemnem aſſertionem illuſtriſſimo facto ſuo teſtatam quoque voluit: ea de re ob publicam S. Dei Eccleſiæ utilitatem, ſuppliciter invocato Dei Omnipotentis auxilio, ac confiſus auctoritate Principis Apoſtolorum reipſa exemplar originale ipſius Vulgatæ veteris correctum adornavit, ac tanquam divinum & canonicum excudi juſſit, tametſi exemplaris impreſſio minime ejus ardentibus votis & curis adæquate reſpondens, opus habuit motu proprio ſupprimere, & ſub incudem revocare ex infra dicendis n. 763.

746. Quod vero diligenter animadvertendum velim illud eſt, quod quiſque vir doctus, ſi penſiculatius penſitaverit nuper laudatum Sixtinum teſtimonium, ſponte ſua

pro-

profecto intelliget, doctiſſimum Sixtum non aliter tribuiſſe ſibi utpote legitimo Petri ſucceſſori, privilegium dijudicandi Scripturas canonicas ab adſcititiis, niſi notiſſimis illis Scripturarum oraculis, puta: *Ego autem rogavi pro te* (Petre) *ut non deficiat Fides tua* (a), *Caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus cœleſtis* (b), *Tu vero converſus confirma fratres tuos* (c), *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi* (d), *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam* (e), & inſuper hujuſmodi Scripturarum oracula eo ferme pacto Sixtum intellexiſſe, ac veteres Pontifices cum aliis Eccleſiæ proceribus; qui profecto communi ſenſu & conſtanter tradunt, quod ſtante Chriſti oratione nullus unquam Hæreticus in Romana Sede præfuiſſe dignoſcitur, nec unquam præficiendum, quod R. Pontifex ſit organum Spiritus Sancti, ſicque cœleſti revelatione fultus, quod R. Pontificis proprium ſit confirmare fratres, quod Petrus ſemper in ſuis ſucceſſoribus vivat uſque ad conſummationem ſeculi, & quod portæ inferi nuſpiam prævalebunt adverſus Petri Cathedram (*f*).

743. *Dices*. Quod nec aſſertio, nec factum fuerint Sixto V. honorifica, haud ad demonſtrandum longius incumbamus oportebit. Si enim ſuæ Pontificiæ poteſtati Sixtus confiſus, credebat ſe dubio procul editurum correctiſſimum exemplar Vulgatæ veteris, eccur poſtea adhibuit tot viros doctos linguarum peritiſſimos, qui collatis ad invicem permultis vetuſtiſſimis Bibliorum codicibus manuſcriptis & cuſis Textui corrigendo incumberent? hiſcene humanis præſidiis indigebat Spiritus Sanctus, cujus aſſiſtentiæ Sixtus confidebat, quave teſtatur edidiſſe correctum Textum? quum

(a) *Luc. XXII. v.* 32.
(b) *Matth. XVI. v.* 17.
(c) *Luc. XXII. v.* 32.
(d) *Matth. XXVIII. v.* 20.
(e) *Matth. XVI. v.* 18.
(f) *Hac ſatis conſtant ex relatis Veterum PP. teſtimoniis n.* 703. *& ſeq.*

ad humana confugit præſidia hoc ipſo probavit, judicium Scripturarum ſeligendarum minime Pontificiæ poteſtati tribuendum. *Item*, quomodo a Pontifice divina ope ſuffulto editus eſt Textus correctus, quum in omnibus judicio Correctorum Sixtus ſe ſe ſubmiſerit, eas nimirum voces & lectiones approbando, quas antea ex multis variantibus Correctores ſelegerant? *Tandem*, ſi Textum a mendis caſtigatum Sixtus habuit in omnibus & quoad omnia pro germano & canonico, quare quum eſſet ſub ejus ferme oculis excuſus, & jam in lucem emittebatur, ſuppreſſit? Nonne hoc eſt ſignum evidens, quo patenter illuceſcit, Sixtum V. tam ejus ſolemni aſſertioni, quam ejus illuſtri facto primum omnium denegaſſe fidem?

Contra ad primum. Alibi diximus nimirum n. 618. & iterum memoriæ commendamus, quod ſicut in humanis lumen naturale, quo ſecernimus vera a falſis, non excludit, neque deſtruit exteriorem diſciplinam, quam acquirimus auditu magiſtrorum, ſedulo Auctorum ſtudio, ac cum ſtudioſis ſpiſſa collatione, quinimmo ad rem perfecte aſſequendam iſta cummaxime exiguntur; ita in ſpiritualibus & divinis, in quibus peculiaris Spiritus Sancti aſſiſtentia, qua R. Pontifex dirigitur ne erret in Scripturis ſeligendis, aliiſque ferendis ſententiis ad Fidem ſpectantibus, minime rejicitur vel deſtruitur per humanas diligentias, quas pro more veterum RR. Pontificum & Conciliorum, quivis Romanus Pontifex jure ſummo præmittere tenetur, tum ne temere exeat ad tentandum Deum, tum quia Spiritus Sanctus nuſpiam promiſit RR. Pontificibus ita viſibiliter aſtare, ac olim in cœnaculo ſub columbæ ſpecie apparuit, tum quia divina Omnipotentia generatim humano modo apud nos mirabilia operatur, tum tandem ex prævio maturoque rerum examine Romanus Pontifex ſe ſe proxime diſponit, dignuſque divino præſidio efficitur, & Fideles inſuper ſuaviter excitantur ad præſtandum Ponti-

fici

ſici *obſequium*, juxta monitum Apoſtoli (a), *rationabile*, ac divina adjuvante gratia rationabiliter captivant proprium intellectum in obſequium Fidei. Cæterum ſi allegatum argumentum alicujus erit ponderis, nec etiam decreta Concilii Œcumenici in rebus Fidei cenſenda erunt a Spiritu Sancto edita, quum nonniſi poſt maturam rerum diſcuſſionem illa quoque edantur, maxime in ſententia Janſenianorum, qui potiſſimam rationem, qua ſuadent potius deciſionibus Conciliorum generalium, quam Pontificiis conſtitutionibus obſequendum fore, non alio petant niſi ex eo diligentiori ſcrutinio, ac longe plurium Theologorum & Epiſcoporum pleniori conſenſu, ex quibus decreta Concilii Œcumenici proficiſcuntur. Sed de hoc iterum n. 755. & 756.

744. *Secundum cavillum* idem Pontifex Sixtus quaſi per vaticinium confutavit, quum inquit loco cit. *Haudquaquam gravati ſumus inter alias Pontificiæ ſolicitudinis occupationes hunc quoque non mediocrem accuratæ lucubrationis laborem ſuſcipere, atque ea omnia perlegere, quæ alii collegerant, aut ſenſerant diverſarum lectionum rationes perpendere, Sanctorum doctorum ſententias recognoſcere: quæ quibus anteferenda eſſent dijudicare, adeout in hoc laborioſiſſimæ emendationis curriculo, in quo operam quotidianam, eamque pluribus horis collocandam duximus, aliorum quidem labor fuerit in conſulendo, noſter autem in eo, quod ex pluribus eſſet optimum deligendo: ita tamen ut veterem multis in Eccleſia ab hinc ſeculis receptam lectionem omnino retinuerimus . . . eaque res quomagis incorrupte perficeretur, noſtra nos ipſi manu correximus ſi qua præli vitia obrepſerant, & quæ confuſa, aut facile confundi poſſe videbantur ea intervallo Scripturæ, ac majoribus notis, & interpunctione diſtinximus.* Et poſt pauca ſubdit, *Quidquid e re noſtra obſervatum fuit, id in hujus operis partem adſcitum eſt*. De poſtremo cavil-

(a) *Ad Rom. XII. v. 1.*

Digitized by Google

cavillo aptius inſtituetur ſermo §. I. cap.II. ubi diſerte affulgebit, ideo Sixtum intercepiſſe promulgationem ejus exemplaris impreſſi, quia deprehendit permultis in locis diſcordare ab exemplari originali: ſatius itaque ſi prius naſum adverſarii ſibi emungant, quam haſce proferant triviales cantilenas.

745. TERTIO rationibus Theologicis. Perſpectum eſt, hodiernam Vulgatam Latinam veterem a Sixto V. priſtino nitori reſtitutam, & auctoritate Clementis VIII. editam non placere Hæreticis, ſaltem in omnibus & quoad omnia; *item*, hujuſmodi controverſiam ad ſummam Fidei & morum ſpectare, utpote quæ reſpicit cauſſam primæ regulæ Chriſtianæ fidei, uti expoſuimus n. 604.; *tandem*, divinam Providentiam nec defeciſſe, nec defecturam in rebus ad ſalutem pertinentibus; ſicque pro indubio tenendum, cœleſtem cuſtodem Iſrael quoad controverſiam iſtam, & conſimiles dirimendas nobis de remedio providiſſe, in quantum ſcilicet Judicem conſtituit nobis, qui valeat ſine erroris periculo & irreformabiliter nos inter & hodiernos Hæreticos eam dirimere. Atqui ex nuper datis teſtimoniis Scriptura & Traditione petitis manifeſte colligitur, Romanæ Eccleſiæ, ſive R. Pontificis eſſe hujuſmodi partes, ergo &c. *Præterea*, ſi hujuſmodi judicium ad R. Pontificem non pertinebit, dicas amabo te; cui alteri tantam judicandi poteſtatem tribuere poterimus?

746. *Repones cum Novatoribus*. Spiritui privato, ſive Spiritui Sancto, qui cuilibet fideli fideliter aſſiſtit. At principio ſi cuilibet fideli adeſſet Spiritus S. docens id, quod ſentiendum eſt deſuper allegata controverſia, tunc nulla haberetur diſſenſio; ſed vel omnes una voce definiremus, Vulgatam veterem correctam eſſe canonicum Dei verbum; vel pars oppoſita omnium animos occuparet, quum nequeat Spiritus Sanctus in pugnantes ſententias influere. *Adde*, quod nec inter ipſos Proteſtantes aut Catholicos concors ſententia apparet circa præfatam controverſiam;

Digitized by Google

ſiam; nam alii opinantur, in omnibus & quoad omnia Vulgatam eſſe germanum Dei verbum, alii vix in rebus Fidei & morum eſſe authenticam, alii innumerabilibus ferme ſcatere vitiis, alii vix paucis & quæ nullimode Fidem tangunt aut mores, alii ſentiunt, eam rite legere Gen. I. v. 6. *Fiat Firmamentum*, & Geneſ. III. v. 15. *Ipſa conteret*, alii legendum optant, *Fiat liquidum*, *ipſe conteret*, ecquis igitur tam ignarus de Spiritus Sancti dignitate, qui non erubeſcat tot ſibi pugnantes inſpirationes illi attribuere? Prophetarum & Apoſtolorum effata, quia vere a Spiritu Sancto profecta, ideo prorſus eadem & uniformia, tametſi inſpirata hominibus tam diverſi ingenii indolis & nationis, tam diſſitis locis, temporibus, linguis, tam variis occaſionibus prolata; quum ergo circa præfatam controverſiam mire digladiemur, nemini dubium, unam ex tot ſententiis a Spiritu Sancto proficiſci, cæteras vero Spiritus potius mendaces aut rebelles habere Auctores. Quapropter merito vetamur (a) *credere omni ſpiritui*, & jubemur probare *ſpiritus ſi ex Deo ſint*, quoniam ab Eccleſiæ Chriſti incunabulis, & antea *multi Pſeudo-prophetæ exierunt in mundum*. Ultra quam quod id unum in præſentia agimus, ut eum judicem ſtatuamus in medio, qui controverſiam non foveat, ſed finiat; at allegati privati Spiritus eam impenſe fovent, & nullimode extinguunt; Spiritus itaque privatus minime valet propoſitam controverſiam dirimere, ſeligendo Scripturas veras ab adſcititiis.

747. *Repones cum ſacris Criticis*. Ipſam Scripturam eſſe idoneum Judicem quoad præfatam controverſiam dirimendam, mediantibus Regulis ſacræ Critices deſcriptis n. 431. At quot incertis præſidiis, fallacibus conjecturis, falſiſque præſuppoſitionibus hujuſmodi Judices ſint obnoxii, abunde oſtendiſſe credimus potiſſimum cap. V. primæ Demonſt.: quibus adjicies nuper dicta de Spiritu privato, quæ aptiſſime

(a) *I. Joan. IV. v. 1.*

ſime quadrant hiſce Grammaticis, utpote qui tentantes quaſdam voculas ad normam ſuarum regularum definire ſive in fontibus, ſive in Vulgata Latina, nulla inter eoſdem convenientia reperitur, cujus rei ex inſtituto memoravimus num. 458. & ſeqq. *Item*, ut nuper dictum eſt, negotium Scripturarum ſeligendarum vix dispoſitive pendet ab humanis præſidiis, vere autem & formaliter petendum unice ab eo, cui promiſſa eſt Spiritus Sancti aſſiſtentia: linguarum itaque periti temere ſibi arrogant judicium Scripturarum ſeligendarum.

748. *Repones cum Janſenianis, aliiſque politicis Theologis*. Poteſtatem judicandi abſque erroris periculo & irreformabiliter propoſitam controverſiam, ſicut & alias ad Fidem & mores ſpectantes, unice reſidere apud Eccleſiam, ſive in Concilio Œcumenico congregatam, ſive judicio Romani Pontificis conſentientem. At ſi res ita ſe habebit, quomodo refragari poterimus Lutheranis, & Calviniſtis contendentibus regimen Eccleſiæ vix eſſe democraticum, aut ariſtocraticum? quomodo verificabitur, Chriſtum conſtituiſſe in ejus Eccleſia perfectiſſimum regimen, hoc eſt monarchicum, quod ab initio Deus induxit in mundum, ex uno Adamo omne genus hominum eruens, & in plenitudine temporum per unum Chriſtum hominum ſalutem operans, quod in Libro Proverbiorum apprime commendatur: *Rex qui ſedet in ſolio judicii diſſipat omne malum intuitu ſuo* (a), quove inviĉtiſſimi Reges Hiſpaniarum, Galliarum, utriuſque Siciliæ jure gloriantur? quomodo & ſibi & nobis fucum non facient tot probatiſſimi Scripturarum tractatores, quum adverſus hodiernos Hæreticos colligunt perfectiſſimum Eccleſiæ regimen ex hiſce oraculis; *terribilis ſicut Caſtrorum acies ordinata* (b), *unum corpus* (c), *unum*

(a) *Prover. cap. XX. v. 8.*
(b) *Cantic. VI. v. 3.*
(c) *Roman. XII. v. 5.*

Digitized by Google

unum Regnum (a), *unum ovile*, *unus paſtor* (b); & contrario ſenſu ex illo Iſaiæ, *væ multitudini populorum multorum, & tumultui turbarum* (c)? *Item*, ei certe inerit allegata judicandi poteſtas, cui Chriſtus immediate eam contulit; at Chriſtus non Eccleſiæ, ſed Petro ejuſque ſucceſſoribus immediate eam contulit: *Tu*, inquit (d), *es Petrus, & ſuper hunc petram ædificabo Eccleſiam meam*. *Voluit*, opportune P. Dominicus Viva (e), (Chriſtus) *Petrum toti Eccleſiæ præeſſe, ac totum ejus ædificium ſuſtentare, non vero Eccleſiam præeſſe Petro*.

749. Dupinus (f) Proteſtantium interpretationibus abreptus ipſe quoque abutitur teſtimoniis Hilarii, Ambroſii, Chryſoſtomi, Auguſtini, Cyrilli, Gregorii magni, Origenis, Hieronymi, Leonis, Theophylacti, aliorumque veterum probati nominis interdum τὸ *petram* uſurpantium ad ſignificandum vel Petri confeſſionem, vel fidem, vel utramque, vel Chriſtum, vel Eccleſiam; unde poſtea ſubducit, ex præfato Matthæi loco haud recte inferri, Petrum ejuſque ſucceſſores & non Ecclesiam a Chriſto immediate accepiſſe plenariam clavium Poteſtatem. Verum ut res eſt ingenue fatear ſplendidiſſimo facto apparet, Dupinum atque Proteſtantes nullimode intellexiſſe, vel ſaltem oblitos illius cæteroquin receptiſſimæ regulæ dictis factiſque generatim & perpetuo a Patribus conſecratæ: unum nimirum idemque Scripturæ oraculum bene admittit multiplices ſenſus, & orthodoxas interpretationes: atque ita quum iidem laudati Patres aliis in locis per *petram* communius & proprius intelligant ipſum Petrum, tanquam Ec-

(a) *Matth. XXI. v. 43.*
(b) *Joan. X. v. 16.*
(c) *Cap. XVII. v. 12.*
(d) *Matth. XVI. v. 18.*
(e) *In expoſit. propoſitionis XXIX. proſcriptæ ab Alex. VIII. p. 496.*
(f) *Traitè de la Puiſſance, Reſponſiones ad IV. propoſit. Cler. Gallic. p. 757. & ſeqq., cui poteris conſociare ementitum Boſſuetium, Launojum, Natalem ab Alexandro, horumque aſſentatores.*

cleſiæ totiuſque ædificii Eccleſiaſtici fundamentalem baſim*, lapidem angularem, & firmam petram (*a*), cuique facto innoteſcit, non modo Dupinum incaſſum conſarcinaſſe tot Veterum ſententias; ſed inſuper de regulis Scripturarum intelligendarum, & Patrum uſu haud, ut par erat, inſtructum. Dixi communius, quia Patres non ſolum ſub nomine *petram*, pleniori comitatu & conſenſu intelligunt perſonam Petri qua fundamenti totius Eccleſiæ, ſed ſunt longe plures: quamobrem nuper laudatis addi poſſunt Athanaſius, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Pſellus, Euthymius, Cyprianus, Maximus, & Paulinus, quorum pariter teſtimonia Bellarminus loc. cit. deſcribit, quibuſque adnectere lubet illud omni exceptione majus, quod nimirum univerſa Dei Eccleſia ſpatio tredecim ſeculorum & amplius, in Hymno laudum diei Domi-

nici

(a) *Quorum quidem teſtimonia præ cæteris probatis Theologis profert V. Bellarminus Lib. I. de R. Pontif. Cap. X. col.* 240. *& ſeqq.* Hilarius in cap. 16. Matth. *O in nuncupatione novi nominis felix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius PETRA, quæ inferorum leges diſſolveret. O beatus cæli janitor &c.* Ambroſius ſerm. 47. *PETRA*, inquit, *dicitur Petrus, eo quod tanquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem, molemque contineat.* Chryſoſtomus Homil. 55. in Matth. *Dominus ait, tu es Petrus, & ego ſuper TE ædificabo Eccleſiam meam.* Et Homil. 4. in cap. 6. Iſai.: *Quid autem*, inquit, *Petrus? baſis Eccleſiæ.* Auguſtin. Serm. 15. de Sanctis: *Petrum itaque fundamentum Eccleſiæ Dominus nominavit, & ideo digne fundamentum hoc Eccleſia colit, ſupra quod Eccleſiaſtici ædificii altitudo conſurgit.* Cyrillus Lib. 2. cap. 2. in Joan. *Nec Simon fore jam nomen illi, ſed Petrus prædicit: vocabulo ipſo commode ſignificans, quod in eo tanquam in PETRA lapideque firmiſſimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam.* Gregorius Lib. 6. Epiſt. 37. ad Eulogium: *Quis neſciat Sanctam Eccleſiam in Apoſtolorum principis ſoliditate firmatam?* Lib. 4. Epiſt. 32. *Ipſi* (Petro) *quippe dicitur:* Tu es Petrus, *& ſuper hanc PETRAM ædificabo Eccleſiam meam.* Origen. Homil. 5. in Exod. *Vide*, inquit, *magno illi Eccleſiæ fundamento, & PETRÆ ſolidiſſimæ, ſuper quam Chriſtus fundavit Eccleſiam, quid dicatur a Domino:* modicæ fidei quare dubitaſti. Hieron. in cap. 16. Matth. *Secundum metaphoram PETRÆ, recte dicitur ei: ædificabo Eccleſiam meam ſuper te.* Leo ſerm. 2. de anniverſ. aſſumptæ ſuæ, *Beatus Petrus in accepta fortitudine PETRÆ perſeverans ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit.* Theophylactus in cap. 22. Lucæ: *Poſt me*, inquit, *Eccleſiæ PETRA es & fundamentum.*

Digitized by Google

nici uſurparit illud D.Ambroſii, *Hoc ipſa PETRA Eccleſiæ canente culpam diluit*, ubi ſub voce *PETRA* alias a Chriſto adhibita, non fides, non confeſſio, non Eccleſia, non Chriſtus, ſed Petrus univerſaliter ac perpetuo acceptus fuit, utpote qui gallo canente culpam negationis Chriſti diluit. Dixi propius, quandoquidem, ut probe obſervat laudatus Bellarminus, vox *petram* accepta ad ſignificandum vel Chriſtum, vel Eccleſiam, ſive fideles &c. eſt mera allegorica interpretatio, eſt tamen interpretatio vere litteralis, quum ſub ea intelligitur Petrus tanquam totius Eccleſiæ fundamentum; atque ita ſi ſub nomine *petram* communius & propius apud veteres venit Petrus, plane non Eccleſiæ, ſed Petro Chriſtus immediate alligavit præfatam judicandi poteſtatem.

§. IV.

Expenduntur adverſariorum objecta.

750. *Objic. I. cum Proteſtantibus*. Fides qua SS. Scripturis adhæremus non eſt humana ſed divina; aſt in eo ſolo caſu Fides de auctoritate Scripturarum divina erit quum dicemus, eundem Spiritum Sanctum inſtruere quemlibet fidelem ad eas tam ſeligendas, quam interpretandas; ergo Spiritus privatus &c. Prob. min. Quoties ponatur non per eundem Spiritum Sanctum, ſed per R. Pontificem, vel per Eccleſiam nobis indicari germanitatem & legitimam intelligentiam Scripturarum, toties teſtimonium, quo nobis præfata germanitas & interpretatio proponitur, non erit divinum, ſed humanum; ſicque Fides de divinis Scripturis non divina erit, ſed humana, utpote quæ teſtimonio humano innixa.

Reſpond. Conc. maj. & neg. min., ad cujus probationem diſt. ſecundam part. toties teſtimonium non erit divinum, ſumptis R.Pontifice ut puro homine in ſe relicto, &

Digitized by Google

Eccleſia Catholica ut mera hominum Congregatione civili & politica conc.; ſumptis R. Pontifice ut viſibili Chriſti Vicario, & Eccleſia Catholica ut Congregatione fidelium ſub uno inviſibili capite Jeſu Chriſto, & viſibili ejus Vicario R. Pontifice, & Epiſcopis quos ſub eodem R. Pontifice Spiritus Sanctus poſuit regere Chriſti ſponſam in eadem Fide & ſacramentis communicantes, denegamus. Itaque R. Pontifex, & Eccleſia Catholica ſicut in poſteriori ſenſu ſunt teſtes ab eodem Chriſto in perſona primi R. Pontificis B. Petri, ac cæterorum Apoſtolorum aſſumpti, & electi ad teſtificandam apud homines ejus divinitatem, ut omni procul ambage elucet ex hiſce verbis Chriſti: *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem: & in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ* (*a*); ita poſteriori ſenſu accepti non ſunt teſtes mere humani, ſed divinitus inſpirati, atque ita plene habiles & idonei ad teſtificandum apud homines, quænam inter variantes lectiones & voces ſit a Spiritu Sancto profecta, quænam inter variantes interpretationes verior ſit & a Spiritu Sancto intenta. Ultraquam quod Fides, qua adhæremus auctoritati & intelligentiæ Scripturarum eſt divina, non tantum ex motivo inſpiratorum Textuum, ſed inſuper quia opus Spiritus Sancti eſt, ut captivemus intellectum noſtrum ad credendum iis, quæ a præfatis Textibus proponuntur quoad auctoritatem & intelligentiam Scripturarum. *Quædam*, ſcriptum eſt (*b*), *Mulier nomine Lydia . . . colens Deum*, *audivit*: *cujus Dominus aperuit cor intendere his*, *quæ dicebantur a Paulo*: ubi vides, quod Fides Lydiæ fuit divina, tum quia Apoſtolus quem audivit erat teſtis inſpiratus, tum quia idem Spiritus Sanctus cor Lydiæ aperuit, ut intenderet myſteriis Fidei, quæ exponebantur ab Apoſtolo.

751. *Contra*. In lege naturæ quilibet juſtus movebatur ab

(a) *Actor. cap. I. v. 8.*
(b) *Actor. XVI. v. 14.*

ab eodem Spiritu Sancto ad judicandum de verbo Dei: & jure quidem merito, *primo*, quia Scriptura facta eſt Spiritu Dei; ejuſdem itaque Spiritus Dei teſtimonio, non autem R. Pontificis vel Eccleſiæ dignoſcenda eſt, & intelligenda; *ſecundo*, ſi Scriptura indigeret teſtimonio R. Pontificis vel Eccleſiæ, jam auctoritatem non ex ſe ſe, ſed a præfatis teſtimoniis emendicaret; *tertio*, ſuperior non dependet ab inferiori; ſed verbum Dei ſcriptum, eſt ſupra R. Pontificem & Eccleſiam, ergo &c.; *Tandem*, circulus, quod eſt maximum argumentationis vitium, committitur, quum ex teſtimoniis Scripturæ probatur auctoritas R. Pontificis & Eccleſiæ; & inſuper ex teſtimonio R. Pontificis vel Eccleſiæ ſuadetur auctoritas Scripturæ, quod eſt aperte nugari, ac ſi quis hac argumentandi methodo uteretur: Mater eſt proba quia Filius dicit, & viciſſim, Filius eſt probus quia Mater dicit.

Reſpond. Exemplum de hominibus lege naturæ non adeo ad rem facit, quia eo tempore verbum Dei ſcriptum nondum erat; tum etiam movebantur utique illi homines a Spiritu Sancto ad judicandum de verbo Dei, ſed præmiſſa inſtructione, quam ex traditione orali a ſuis patribus potiſſimum Patriarchis accipiebant: unde apprime Apoſtolus Paulus: *Quomodo credent ſine prædicante* (*a*)? *Ad primum additum*. Utique ejuſdem Spiritus Dei teſtimonio germanitatem & legitimum ſenſum Scripturarum accipimus, quum iſtæ nobis proponuntur a R. Pontifice, vel ab Eccleſia; quoniam hoc in rerum themate, ut nuper diximus, non ſunt Teſtes pure humani, ſed divinitus inſpirati. *Rogavi*, hæc Petro ſinguliſque Petri ſucceſſoribus Chriſtus inquit: *Rogavi pro te* (Petre) *ut non deficiat fides tua*, *& tu aliquando converſus confirma fratres tuos* (*b*): quomodo hujuſmodi Chriſti oratio, promiſſio, &

(a) *Ad Rom. X. v. 14.*
(b) *Luc. XXII. ver. 32.*

& collata poteſtas confirmandi fratres firma manerent, ſi R. Pontifex deſtitutus eſſet Spiritus Sancti inſpiratione, ſine qua nullimode valet uti oportet & infallibiliter res Fidei attingere, & in eaſdem fratres confirmare? Et alio loco: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis* (a), ex quo manifeſtiſſime adparet Spiritus Sancti aſſiſtentia, qua S. M. Eccleſia fruitur, quave pariter redditur teſtimonium divinitus inſpiratum. *Ad ſecundum*. Teſtimonium R. Pontificis vel Eccleſiæ non cadit ſupra Scripturam in ſe ſpectatam, & quæ ab ortu ſuo authentiam obtinuit; ſed ſupra germanitatem, ſive ſuper exactiſſimam ejuſdem Scripturæ cuſtodiam, ac inviolabilem perpetuamque conſervationem. Sicut enim Pontifex & Eccleſia non condunt Scripturas, ſed ſolummodo teſtantur, hanc & non illam eſſe germanam & genuinam Prophetis & Apoſtolis cœlitus inſpiratam; ita hoc eorum teſtimonium præſupponit authentiam Scripturæ, & duntaxat eiſdem Scripturis inſervit, ne confundantur cum aliis noviter editis a petulantibus ingeniolis, quorum profecto haud laudabile ſtudium non ſemel taxavimus, ſpeciatim hoc eodem ſuo argumento, quod amplius ita reſtauratum eo. Diſſidium eſt nos inter & Neotericos, utrum Moſes Geneſ. III. ſcripſerit *ipſa*, an vero *ipſe*, vel *ipſum*? Sixtus V., Clemens VIII. cum Eccleſia Catholica ſtant pro priori voce; Neoterici pro aliis duabus: videamus modo, quinam tribuant auctoritatem Scripturæ a ſuo teſtimonio omnino dependentem? Et ſane quum ex diſerte libatis alibi (b), veteres Eccleſiæ Proceres communiter & conſtanter conſecrarint *ipſa*, jam ex eo tempore nativa gaudebat divina auctoritate; & per conſequens quum præfati Pontifices in ſuis Bibliis eam retinuerunt, & Eccleſia Catholica perpetuo conſecravit, & conſecrat in lectionibus, in officiis, in

(a) *Actor. XV. v. 27.*
(b) *Demonſtr. I. cap. V. §. VIII. per totum.*

in diſputationibus, & prædicationibus, nihil plane auctoritatis intrinſecæ ei tribuerunt; ſed ſolummodo extrinſecæ, in quantum ſcilicet teſtantur, *ipſa* eſſe vocem a Spiritu Sancto Moſi inſpiratam: ſicque eorum teſtimonium inſervit non ad conferendam auctoritatem nativam, ſed ad conſervandam illius germanitatem. Quum ergo *ipſe*, vel *ipſum* a Rabbinis, & a Rabbinorum aſſentatoribus ſint hiſce poſtremis ſeculis jactata pro divinis oraculis, unuſquiſque ex ſe ſe intelliget, omnem penitus auctoritatem ab ipſorummet teſtimonio petere & obtinere; in quantum ſcilicet ipſimet Neoterici pro arbitrio noviterque teſtantur, ea eſſe a Spiritu Sancto profecta, atque pro divinis oraculis habenda: ſicque eo penitus argumento Proteſtantes contendunt nos commovere & coarctare, quo ſtrictius devinciuntur & præfocantur. Ultro concedimus ſaltem quoad auctoritatem extrinſecam, Scripturas indigere teſtimonio Pontificis vel Eccleſiæ, quo mediante nobis certo conſtat illius germanitas, ac legitimus ſenſus; at hoc nihil detrahit auctoritati Scripturarum, quinimmo impenſe commendat earundem excellentiam, ſublimitatem, dignitatem, ac cæleſtium divitiarum magnitudinem; utpote quæ nonniſi a teſtimoniis fide digniſſimis, ac divinitus inſpiratis poſſunt ſine periculo erroris dignoſci, intelligi, & explicari. Ex his patet quid reponendum ſit ad *tertium*.

752. *Ad poſtremum* additum. Juſto Dei judicio Proteſtantes per illud generatim Catholicos criminantur, quo majorem reprehenſionem ſibi pariant, atque comparent. Nonne ideo volunt, Spiritum privatum eſſe teſtimonium divinum quia Scriptura hoc dicit, *oves meæ vocem meam audiunt* (*a*)? & inſuper ideo hanc & non aliam eſſe Scripturam germanam, hunc & non alium eſſe legitimum Scripturæ ſenſum quia Spiritus privatus, ſive teſtificatio interna Spiritus Sancti ipſis dicit? quomodo ergo illius peccati

(a) *Joan. X. v. 17.*

Digitized by Google

cati nos non accuſant, quo magis damnabiles ſe ſe produnt? Licet primo intuitu & ut ab ipſis fertur, nos quoque nugatoria argumentatione videamur laborare, ſecus autem ſi diligenter animadvertetur, quod nos Catholici proferentes tam teſtimonia Scripturarum ad probandam auctoritatem R. Pontificis & Eccleſiæ, quam teſtimonia R. Pontificis & Eccleſiæ in gratiam Scripturæ, ſemper ſubintelligimus, præſupponimus, & juſta urgente cauſſa parati ſumus appellare traditionem univerſalem & perpetuam veterum Chriſtianorum, incipiendo ab ipſo divino vertice ſervatore noſtro Jeſu per ſuccedentia ſecula aduſque noſtram ætatem. Eapropter probamus auctoritatem R. Pontificis & Eccleſiæ ex ſelectis teſtimoniis Scripturæ, ſed non nude ſumptis, ſive pro noſtro arbitrio ad præfatum finem arceſſitis; bene vero quia ipſe Chriſtus, ejuſque Apoſtoli ſic ea docuerunt interpretanda, quorumque probatiſſimi diſcipuli eadem pari interpretatione munita & ſtipata tradiderunt ſuis filiis, filii nepotibus, nepotes pronepotibus ad nos uſque. Aſſumimus quoque teſtimonium R. Pontificis, vel Eccleſiæ ad probandam auctoritatem Scripturæ, ſed non eo præjudicio (ut calumniantur Proteſtantes) ſeducti, quo nobis utpote bonis viris lubeat clauſis oculis parere teſtimonio Pontificis & Eccleſiæ, bene vero quia R. Pontificis & Eccleſiæ teſtimonio credendum, & obſequendum ipſe Chriſtus præcepit, & ab Apoſtolis, ab Apoſtolorum diſcipulis, a diſcipulorum filiis, nepotibus, pronepotibus ſumma religione fuit executioni mandatum. Namque in tam porrecta ſeculorum ſerie ab Apoſtolis horſum, ſolos Hæreticos, vel Hæreticorum fautores inter veteres Chriſtianos invenies, qui reſtiterint ſolemni teſtimonio R. Pontificis, vel Eccleſiæ. Redeamus modo ad Proteſtantes: proferunt enim Scripturarum teſtimonia ad probandam auctoritatem Spiritus privati, & teſtimonium iſtius ad ſuadendam germanitatem & intelligentiam Scripturarum; ſed quod pro libitu & nullo antiquitatis ſuffragio id præſtent, nemo eiſdem Pro-

Proteſtantibus melius, diſertius, validiuſque teſtari valet; quoniam non alia ratione ipſis ſolemne eſt denegare auctoritatem Traditionis, niſi quia bene noſcunt, univerſam ferme eorum doctrinam & mores nullum ratum apud veteres Chriſtianos invenire præſidium, longe a doctrina & moribus Chriſtianæ Antiquitatis ipſos aberrare, ſibi novam, diverſam, profanamque Chriſtianam Religionem accommodaſſe; & per conſequens ſi nullo Antiquitatis præſidio aſſumunt teſtimonium Scripturæ ad probandum privatum Spiritum, & viciſſim, neminem certe fugiet hoc in negotio turpiſſime eoſdem in circulum rotare: ea penitus lege qua inſulſe gyrat, qui argumentetur probitatem matris quia filius dicit, & probitatem filii quia mater dicit. Vitioſa omnium calculo æſtimatur argumentatio iſta, ſtante æquiſſima præſumptione ſpecialis conniventiæ, qua mater & filius ſibi mutuo plus æquo indulgere ſolent, & inſuper utriuſque fides & probitas non aliunde, ſed ex ſolo eorum teſtimonio præſupponatur conſtare nobis. At hoc plane pacto ſe ſe gerunt Proteſtantes, tametſi nullo firmo ratoque chriſtianæ Antiquitatis teſtimonio conſtet de fide Scripturæ ad protegendam auctoritatem Spiritus privati, neque de fide iſtius ad firmandam auctoritatem & legitimum Scripturæ ſenſum, adhuc contendunt nobis fucum facere, probantes auctoritatem Spiritus privati quia Scriptura dicit, & auctoritatem Scripturæ quia Spiritus privatus dicit. Nos e contra oſtendimus auctoritatem R. Pontificis & Eccleſiæ, non tantum quia Scriptura dicit, ſed etiam quia Antiquitas chriſtiana ſic Scripturam intellexit: argumentamur auctoritatem Scripturæ, non tantum quia R. Pontifex & Eccleſia dicunt, ſed inſuper quia antiquitas Chriſtiana hiſce in rebus ſolemni teſtimonio R. Pontificis & Eccleſiæ paruit. Quod perinde eſt, ac ſi oſtenderem probitatem Chriſti quia Apoſtoli dixerunt, & probitatem Apoſtolorum quia Chriſtus dixit: quiſne Chriſti diſcipulus tam iniquus & inverecundus, qui ſtantibus ſexcen-

tis aliis monumentis, qui fidem & probitatem Chriſti & Apoſtolorum pleniſſime teſtantur, auderet hance noſtram argumentationem vitio circuli vertere? Inſtabis forte, pro Catholicorum quoque arbitrio, & abſque neceſſitate Recentiores longe veteribus Chriſtianis doctiores hac lege arctari dictis factiſque Antiquitatis; aſt memorare quæ notavimus adverſus Clericum num. 597. & ſeqq., ex quibus manifeſte patet, quanta ſimul inſcitia & impietate hujuſmodi cavillus redundet.

753. *Objic. II.* cum quibuſdam dogmatiſtis Gallicanis. Judicium infallibile Scripturarum ſeligendarum & interpretandarum unice pertinet ad Eccleſiam, vel ſi etiam ad R. Pontificem, dependenter tamen a conſenſu Eccleſiæ: unde tritum illud Auguſtini effatum Lib. I. contra Epiſt. Manichæi, ſive Fundamenti Cap. V. *Ego vero Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ commoveret auctoritas*. Non enim R. Pontificem, ſed Eccleſiam appellavit, cui quippe Tridentina Synodus apprime reſpondens graviſſimo decreto ſtatuit, & declaravit: Eccleſiæ partes eſſe, ferre judicium deſuper materia SS. Scripturarum: *Cujus*, inquit Seſſ. IV., Eccleſiæ *eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum*; perperam itaque adjudicatur R. Pontifici privilegium dignoſcendi infallibiliter Scripturas canonicas ab adſcititiis.

Reſpond. diſt. priorem argumenti partem; judicium infallibile &c. unice pertinet ad Eccleſiam Catholicam, eſto; pertinet ad Eccleſiam etiam Schiſmaticam, nego antecedens cum ſuis omnibus emendicatis conſectariis, quæ quidem tunc ſolummodo ex antecedente rite prodirent, ſi Eccleſiæ quoque ſchiſmaticæ datum eſſet dijudicare de germanitate, & interpretatione Scripturarum: quoniam ſicut iſta omni penitus caret influxu ſpirituali procedente a R. Pontifice, ita proprie & per ſe, ſive auctoritate nullimode pendente vel mutuata a R. Pontifice rem perficeret. Quum ergo hujuſmodi Poteſtas nullimode competat Eccle-

Digitized by Google

cleſiæ ſchiſmaticæ, ſed eodem Auguſtino ſatis ſuperque animadvertente, nec non confirmante S. Tridentina Synodo (*a*) unice reperiatur apud Eccleſiam Catholicam, plane infertur, ideo irrefragabile judicium Scripturarum ſeligendarum & interpretandarum ineſſe quoque Eccleſiæ Catholicæ, quia a R. Pontifice, cui eſt ſacro thalamo deſponſata, præfatam auctoritatem haurit, accipit, & obtinet. *Confirmatur*, ſi Eccleſia Catholica ex auctoritate immediate accepta non a R. Pontifice, ſed a Chriſto frueretur privilegio dijudicandi infallibiliter Scripturas canonicas ab adſcititiis, tunc nuſpiam R. Pontifex hujuſmodi poteſtatem exercuiſſet independenter a prævio examine & conſenſu Eccleſiæ, ſed potius Eccleſia independenter a Pontifice; at ſi tantiſper per antiquitatem volabimus, totum ex diverſo inveniemus. Primo enim nobis occurret vertex RR. Pontificum S. Petrus, qui ex dictis nu. 739. abſque prævio aliorum Apoſtolorum conſilio, ſcrutinio, & conſenſu canonicas declaravit Epiſtolas Paulinas: tum S. Damaſus Papa, qui ex n. 682. ſtatim ac accepit a Hieronymo Novum Teſtamentum emendatum, ſicut & Pſalterium Romanum retulit loco veterum codicum ad privatum publicumque uſum. Et ſi objicies, diſcretionem Librorum canonicorum a non canonicis factam eſſe auctoritate Eccleſiæ, nimirum ab omnibus Apoſtolis canone LXXXIV. (*b*), in Concil. Hipponenſi an. 393. canone XXXVIII., in Concil. Chartaginenſi III. an. 397. canone XLVII. (*c*), in Concil. Romano an. 494., & prætermiſſis tandem aliis, in Concilio Tridentino Seſſ. IV.: ſi inquam ita objicies, me-

(a) *Hæc habet Auguſtinus loc. cit. Tom. VIII. col.* 154. *A.* Ego vero Evangelio non crederem, niſi me CATHOLICÆ Eccleſiæ commoveret auctoritas. *Et Conc. Trid. cit.* Sancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare &c. *Nemo enim ignorat nomine S. M. Eccleſiæ Patres Tridentinos unicè Eccleſiam Catholicam intellexiſſe.*

(b) *Apud Harduin. Collect. Concil. Tom. I. col. 30. D.*

(c) *Hæc duo Concilia commemorant PP. Maurini apud opera D. Auguſtini Tom. III. col. 23. E.*

memineris velim, id ab Eccleſia factitatum non quidem inſcio, vel contradicente R. Pontifice, ſed ex ejuſdem prævio judicio & conſenſu, & interdum etiam præſidente, ut Petrus inter Apoſtolos quoad allegatum Canonem, Gelaſius in citato Concil. Romano, & tres Legati Pontificii in præfata ſeſſione Trid. Synodi. Quod ſi vero factis conſtat, divinas Scripturas infallibiliter ſelectas eſſe interdum a R. Pontifice antecedenter ad Eccleſiæ conſenſum, nuſpiam tamen ab Eccleſia ſine prævio conſenſu & auctoritate R. Pontificis, evidens fit, irrefragabile judicium Scripturarum proprie & per ſe ineſſe R. Pontifici, ſive huic immediate ab eodem Chriſto communicatum, & mediante Pontifice derivatum in Eccleſiam.

754. Eccur petes, tam Auguſtinus quam PP. Tridentini non Pontificem, ſed Eccleſiam appellarunt? *primo*, quia àgebant contra Hæreticos, hoc eſt, Auguſtinus adverſus Manichæos, Tridentini contra Lutheranos, Calviniſtas, Servetanos, Anabaptiſtas &c., quibus nomen etiam R. Pontificis odioſum erat; & e contrario auctoritas Eccleſiæ utpote freta ſcrutinio & conſenſione multorum, magis commoda & idonea evadit ſuadendis lucrandiſque Hæreticis; *ſecundo*, quia ſelectiſſimi Eccleſiæ filii, Cardinales, Epiſcopi, & Theologi non levi adjumento ſunt R. Pontifici, qui ipſis mediantibus humanas diligentias quoad fieri poteſt adhibet, ac ſe ſe diſponit ad recipiendam promiſſam Chriſti directionem, & Spiritus Sancti aſſiſtentiam. Petrus utique declaravit Epiſtolas Paulinas pro canonicis habendas, ſed Paulus eas condidit. Damaſus profecto prætulit veteribus codicibus N. Teſtamenti, & Pſalterii Romani codicem Hieronymianum, ſed Hieronymus in rem deſudavit. Sixtus V. pariter approbavit exemplar correcti Textus, ipſe inter variantes lectiones unam deligendo, ſed doctiſſimi ac probatiſſimi Eccleſiæ filii conſuluerunt, ac contulerunt ad invicem vetuſtiſſimos codices. *Tandem*, ſi Auguſtinus & PP. Tridentini irrefragabile judicium Scripturarum &c. ita ali-

Digitized by Google

ligaſſent auctoritati Eccleſiæ, ut idem judicium denegarent R. Pontifici, qua lege Auguſtinus valuiſſet alibi (*a*) aſſeverare, cauſſas Fidei per reſcripta Pontificis finiri: & inſuper paulo ante (*b*) inter alias cauſſas quibus teſtatur, ſectæ Manichæorum, cui alias nomen dederat, præferendam Eccleſiam Catholicam, una eſt, quia ſuprema Petri poteſtas paſcendi oves aduſque illum diem per ſucceſſionem RR. Pontificum perſeverabat? qua lege PP. Tridentini graviſſimum negotium emendationis Vulgatæ ac ejuſdem emendatiſſimæ impreſſionis, non Concilio, non Eccleſiæ ut hic ab adverſariis uſurpatur, ſed Apoſtolicæ S. Sedi unice commendatum voluerunt?

755. *Objic. III.* Quicumque nititur medio fallibili haud eſt immunis ab errandi periculo; ſed R. Pontifex in deligendis & declarandis Scripturis canonicis nititur medio fallibili, nimirum teſtimonio Theologorum, ac peritorum linguarum, quos certe non ſemel oblivio, oſcitantia, aut etiam præſumptio, vel malitia fallunt, quique nec certis tutiſque præſidiis, ſed vix fallacibus conjecturis ducuntur ad proferendum, hanc potius lectionem aut vocem & non oppoſitam adoptandam pro germana Scriptura; nec tandem id abſolute proferunt, ſed dubitanter, & interdum non ſine eorumdem acri diſſenſione: nemo igitur hæc ſedulo perpendens non deprehendet, R. Pontificem in deligendis Scripturis tot ſane errandi periculis ſubeſſe, quot ipſius Conſultores Theologi linguarumque periti obnoxii ſunt.

Reſp. diſtin. maj. Quicumque nititur medio fallibili unice vel potiſſimum haud eſt immunis ab errandi periculo conc. maj.; nititur medio fallibili ut mera conditione, & primo potiſſimumque medio infallibili haud eſt immunis &c. nego maj. & vice verſa diſtincta min. denegatur

(a) *Vide num.* 705.
(b) *Auguſt. Epiſt. cit. cont. Manich. Cap. IV. col.* 153. *C.*

Digitized by Google

gatur conſequentia. In hæc profectò ac pejora præjudicia impingunt ii, qui Eccleſiaſticam Poteſtatem, quæ tanquam in ſolio reſidet in R. Pontifice, taliter humanis ſenſibus metiri contendunt, ut oblitos ſe ſe prodant divini præſidii, quo juxta ſæpius dicta in rebus fidei & morum dirimendis Papa fruitur. Nemo certe adeo deſipiens, qui ſpectatis R. Pontifice in ſe relicto, ac allegatis aliiſque errandi periculis, quibus Conſultores ſunt obnoxii, audeat affirmare, R. Pontificem in Scripturis deligendis eſſe falli neſcium. At nemo e contra vir doctus reperietur, qui R. Pontifice ſic accepto, omni nimirum deſtituto divino præſidio, non inde colligat, eum non modo in Scripturis deligendis, ſed nec in cunctis aliis quæſtionibus nulla excepta ad Fidem & mores ſpectantibus frui inerrantiæ prærogativa. Hic certe exultabunt Janſeniſtæ, utpote quorum hypotheſi vires addere videamur; at extrema gaudia luctus occupat. Nemo tandem vir doctus non progredietur ad inferendum, quod ſemota divina ope non modo R. Pontifex infallibilis non erit in decidendis rebus fidei & morum; ſed nec ipſamet Concilia Œcumenica, quantumvis Theologorum & Epiſcoporum doctrina, probitate, & multitudine illuſtria, quod certe Janſeniſtis non placet. Et ſane nulla penitus datur gravis quæſtio ad Fidem & mores ſpectans, quæ pro ſui ſolemni reſciſſione non expoſcat prævium diligentiſſimum ſcrutinium ſedulo adhibendum a viris ſelectiſſimis, qui adcurate pęrant, diſpiciant, conferantque ad invicem tum principia, tum media, tum conſectaria ad captum & deliberationem rei apprime conducentia, ut poſthac quid veriſimilius rectiuſque Scripturis & Traditioni conſentaneum videatur deponant, atque teſtentur: alioquin ſi Papa vel Concilium hujuſmodi doctorum ſcrutinio prætermiſſo progrederentur ad finiendam cauſſam, nemini dubium, quod hoc in caſu longius abirent ab immemorabili ſacroque noſtrorum majorum uſu, Deum profecto tentarent, atque ita periculoſiſſime ſe ſe ge-

gererent. Quid tum? ergo ſi tam Papa, quam Concilium pro laudabili veterum more, nullam penitus ſubortam gravem quæſtionem dirimunt ſine prævio ſeleƈtiſſimorum virorum ſcrutinio, judicio, & teſtimonio, plane, ſi allegatum adverſariorum objeƈtum alicujus erit ponderis, latum oſtium aperietur aſſerendi, quod ſicut in quæſtionibus Fidei & morum definiendis ex æquo R. Pontifex & Concilium nituntur Conſultorum teſtimonio, quod eſt fallibile, ita Pontifex & PP. Concilii erunt ex æquo errandi periculo obnoxii: ſicque Eccleſiaſtica Poteſtas in rebus Religionis infallibiliter dirimendis & conſtabiliendis funditus ruet, ibit in fumum, in irritum penitus cadet; quo quid iniquius, quid inſolentius, quidve ſceleſtius haud facile menti illius, qui Religionem non exuit, occurret.

756. Videant itaque adverſarii, quanta neceſſitate teneantur nobiſcum aſſerere, ac habere præ oculis, R. Ponticem & Concilia in definiendis rebus Fidei & morum non tantum niti teſtimonio humano; ſed primum potiſſimumque inviſibili ejuſdem Chriſti direƈtione, & peculiari Spiritus Sanƈti aſſiſtentia, ne ſcilicet in rebus tot ambagibus refertis, & ab humano captu non parum remotis errent: itaut ſicut quæſtionis definitio, ſive articulus Fidei definitus quum ſit ordinis ſupernaturalis longe majorem proportionem habet cum Chriſti direƈtione, & Spiritus Sanƈti aſſiſtentia, ac cum Conſultorum ſtudio, ſcrutinio, judicio, & teſtimonio, aƈtibus cæteroquin mere humanis, & naturalibus; ita R. Pontifex & Concilia in rebus Fidei & morum dirimendis, primo & potiſſimum nituntur Chriſti direƈtione, & Spiritus Sanƈti aſſiſtentia: inhærent quoque teſtimonio Conſultorum ſecundario, & ut mera conditione; & per conſequens licet Theologi linguarumque periti, quorum adjumento utitur R. Pontifex in deligendis Scripturis, multis titulis falli poſſint & fallere, iſtorum tandem fallibilitas ſtante divino præſidio nullimode transfunditur in R. Pontificem, & in Concilium. Ea propter tametſi Pa-

ſi Papa nuſpiam procedat ad declarandum vel unam voculam pertinere ad canonicam Scripturam, niſi prius auſcultaverit ſeleƈtiſſimos Conſultores; verum ſtante (iterum commendo memoriæ) præfata Chriſti direƈtione, ac Spiritus Sanƈti peculiari aſſiſtentia, ſi Conſultores ex ignorantia, aut malitia reipſa male deponant, pro tanto indubium eſt atque tutum, Pontificem nuſpiam illis accommodare conſenſum, pro quanto eſt in confeſſo, R. Pontificem eſſe Chriſti Vicarium, organum Spiritus Sanƈti, Petri ſucceſſorem, & fundamentum Eccleſiæ. Si vero Pontifex reipſa judicium Conſultorum ratum habuerit & ſequetur, tunc omni procul dubietate credendum eſt, firmiterque tenendum, Conſultores hoc in caſu ita inſerviſſe Pontifici, ac olim Hieronymus S. Damaſo, ita ſe bene geſſiſſe, ut ipſe Princeps Apoſtolorum ore R. Pontificis eorum judicium probarit. Hanc ſane regulam tenuere prima Eccleſiæ lumina, Hieronymus in cauſſa Arii, Auguſtinus in cauſſa Pelagii, univerſi Orthodoxi reſpeƈtu Proteſtantium, & recenter illuſtriſſima Gallicana Eccleſia in cauſſa Janſenii, & Queſnelli. Hanc pariter regulam ultro libenterque recipiant oportebit ii, quorum religio eſt non plus, quam oportet, ſapere cum Arianis, cum Pelagianis, cum Proteſtantibus, & Janſeniſtis, aliiſque ſapientibus ſeculi, ſed cum Hieronymo, & Auguſtino, cæteriſque S. Eccleſiæ jubaribus ſapere ad ſobrietatem. *Dicendum*, eſt omnium vere Theologorum idioma poſt D. Thomam (*a*), *quod divina Providentia præſervat Eccleſiam ne in talibus per teſtimonium humanum fallatur*.

757. *Objic. IV.* Non aliud certe ad tuam voluntatem Sixtus V., & Clemens VIII. hoc in rerum themate ſtatuerunt, niſi hodiernum Textum correƈtum veteris vulgatæ Editionis illum penitus eſſe, quem primus Interpres Latinus ex verſione Virali & ex Novo Teſtamento Latine edi-

(a) *Quodlib. IX. queſt. 7. art. 16. ad ſecund.*

edidit, quem Hieronymus priſtino nitori reſtituit, & Concil. Tridentinum pro authentico Scripturæ Textu habendum eſſe declaravit; at hiſce deſuper factis dirimendis R. Pontifex minime fruitur inerrantiæ privilegio: receptiſſimum enim eſt apud eos etiam, qui Pontificiæ inerrantiæ ardentiori conatu inſerviunt, vix in quæſtionibus juris, non autem facti, judicium R. Pontificis irrefragabilis eſſe auctoritatis; ergo &c.

Reſpond. Si eorum quæ ſuperiori §. II. enucleata ſunt recordabimur, bene intelligemus Antonium Arnaldum, aliosque Janſenianorum primores confugiſſe ad præfatam diſtinctionem, de inerrantia R. Pontificis in quæſtionibus duntaxat juris & non facti, ad hoc ut illuderent Conſtitutionem Innocentii X., qua damnavit quinque Janſenii propoſitiones: intelligemus pariter quantis mendaciis, cavillis, & præconceptionibus præfata diſtinctio abundet, itaut non ſemel incurrerit in damnationem RR. Pontificum, Eccleſiæ, & Academiæ Gallicanæ. Hinc brevi reponimus, quod ea quæ ab adverſariis referuntur ad factorum ſeriem, talis ſunt naturæ ut neceſſariam connexionem habeant cum jure, ſive cum articulis Fidei, quæque propius vocantur facta dogmatica, ſuper quibus judicium R. Pontificis etiam eſt infallibile. Et ſane ſi admiſerimus Sixtum & Clementem erraſſe quum propoſuerunt Textum correctum Latinum pro eo, quem primus Interpres edidit, Hieronymus perpolivit, & Concilium adprobavit, inevitabili conſecutione infertur, Eccleſiam Chriſti hodie carere veris ſinceriſque Scripturis, & nullum eidem ſuppetere medium, quo valeat canonicam Scripturam ad ſalutem neceſſariam invenire, quæ duo minime congruunt cum Fide; igitur ſi ſunt facta cum jure connexa, plane judicium R. Pontificis in Scripturis deligendis pertinet ad quæſtionem facti dogmatici. *Item*, quæſtio juris eadem eſt ac quæſtio in doctrina Fidei & morum; at quod Textus correctus ſit ille idem, quem primus Interpres edidit, Hie-

ronymus reſtituit, & Concilium approbavit, ex dictis nu. 604. pertinet ſpecialiſſime ad fidem & mores; ergo &c. *Item*, quæſtio facti ea eſſe cenſetur, quæ taliter verſatur circa materiam contingentem, ut nullimode ſolvi poſſit ope Scripturarum, & Traditionis; at Sixtus & Clemens non pro more Hæreticorum contendentium obtrudere peregrinas Scripturas, ſed præſidio perpetuæ Traditionis ſelegerunt Latinum Textum correctum; ergo &c. *Tandem*, longe plus Eccleſiæ intereſt ſine erroris periculo ſcire, quod Latinus Textus correctus ſit ille idem, quem Interpres Latinus edidit, Hieronymus caſtigavit, & Tridentinum approbavit, quam ſcire, quod libri Lutheri, Calvini, Michaelis Baji, Cornelii Janſenii, Queſnelli &c. complectantur propoſitiones hæreticas; ſed RR. Pontifices in hiſce factis decidendis privilegium inerrantiæ comitem habuerunt; ergo multo magis in declarando, quod hodiernus Textus correctus ſit ille, quem primus Latinus Interpres edidit, Hieronymus reſtituit, & Tridentinum approbavit.

758. Alia momenta huc pariter ſpectantia ſequenti capite referemus, & refellemus; id unum pro coronide argumenti adjicientes, quod aliud eſt Pontificiam infallibilitatem non pertinere ad articulum Fidei, itaut nullimode habendus ſit pro Hæretico qui eam denegat; aliud eſt Pontificiam infallibilitatem eſſe ſententiam futilem, totieſque convulſam, itaut nuſpiam æſtimandum ſit irreformabile Pontificis judicium, niſi accedat Eccleſiæ conſenſus; & aliud eſt infallibilitatem Pontificiam eſſe ſententiam adeo firmam & probatam, ut neminem virum Catholicum deceat inficiari. *Primum* videtur abſolute verum, *ſecundum* abſolute damnatum, *tertium* eruditius tutiuſque verum.

Primum videtur abſolute verum, quia ex vetuſtiſſima perpetuaque S. Matris Eccleſiæ praxi, ille ſolus formaliter Hæreticus eſt, qui doctrinæ ſolemni quodam judicio, atque ex formulis juris pronunciatæ, & tanquam neceſſarium

Fi-

Fidei objectum omnibus Chriſtianis a R. Pontifice, vel a Concilio Œcumenico propoſitæ, pertinaci animoſitate & contumacia refragatur, ſive contrariam ſententiam rebellis amplectitur; atqui licet infallibilitati R. Pontificis mirum in modum ſuffragetur chriſtiana Antiquitas, & conſtitutiones Pontificiæ in rebus Fidei apud Eccleſias Orthodoxas non modo receptæ ſint, ſed interdum tanta Religione, ut agnitæ fuerint pro definitionibus ab eodem Spiritu Sancto revelatis, & ab eodem B. Petro ore Papæ prolatis (*a*); nihilo tamen ſecius nullum penitus reperitur certum ratumque monumentum, quo conſtet vel R. Pontificem, vel Concilium Œcumenicum ſolemni judicio propoſuiſſe fidelibus infallibilitatem R. Pontificis, tanquam neceſſarium Fidei objectum, ſive tanquam Fidei articulum; ergo qui denegat Pontificiam infallibilitatem minime inter Hæreticos computandus erit. Accedit monumentum dubio procul decretorium: qui bene perpendit propoſitionem proſcriptam ab Alexandro VIII. (de qua modo) ſponte ſua intelliget, eundem Pontificem minime damnare eos, qui aſſerunt, quod R. Pontifex non eſt infallibilis in rebus Fidei; bene vero qui dicere audent, ſententia de infallibilitate R. Pontificis in rebus Fidei futilis eſt, totieſque convulſa. Quare Cl. Boſſuetius, Meldenſium Epiſcopus, de Pſeudo-Miniſtro Calviniſta, *Novit*, inquit, *Miniſter Pontificiam infallibilitatem, ut Fidei caput nuſquam a nobis fuiſſe propoſitam* (*b*), cui concinunt omnes ferme docti, potiſſimum Eminentiſ. Biſsy (*c*).

759. *Secundum* videtur abſolute damnatum ab eodem Alexandro VIII. die 7. Decem. an. 1690., qui inter 31.

(a) *Hoc patet ex dictis potiſſimum n.* 718. 728. *& ex tot aliis definitionibus a S. Sede editis, quibuſque vetus Eccleſia Catholica obſecuta fuit.*

(b) Le Miniſtre ſcait bien, que nous n' avons jamais fait un point de Foi de l'infallibilite des Papes. *II. Inſtruction Paſtor. ſur les promeſſes de l'Egliſe. Num. XI. p.* 13.

(c) *Docum. Paſtor. an.* 1722. *p.* 121. *&* 123.

propoſitiones, quas graviſſime ſolemniterque proſcripſit; hanc 29. in ord. taxavit: *Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Œcumenicum auctoritate, atque in Fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate*. Heinc ipſi Janſeniani omni depoſito præjudicio perpendant velim, utrum immunes eant a graviſſimis cenſuris ab eodem Pontifice fulminatis contra eos, qui tenent: futilem eſſe ſententiam de Pontificia infallibilitate (*a*). Ipſi enim dictis factiſque oſtendunt, infallibilitatem R. Pontificis in rebus Fidei non modo habendam pro ſententia futili & toties convulſa, ſed pro apertiſſime falſa non minus ac ſi in aliquo Concilio Œcumenico eſſet conceptis verbis damnata. Notum eſt, Janſenianos ex præſuppoſitione quod judicium Pontificis haud ſit infallibile independenter ab Eccleſiæ conſenſu, reipſa temerario auſu turbarunt, ac pro viribus conantur penitus extirpare nativam tot retro ſeculis agnitamque poſſeſſionem, qua Pontificiæ conſtitutiones in rebus Fidei, olim proponebantur fidelibus Gallicanis, & obſequentiſſime recipiebantur (*b*). Notum eſt, eoſdem

(*a*) Idem Sanctiſſimus ſtatuit, & decrevit, 31. ſupradictas propoſitiones, tanquam temerarias, ſcandaloſas, male ſonantes, injurioſas, hæreſi proximas, hæreſim ſapientes, erroneas, ſchiſmaticas, & hæreticas reſpective eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet: itaut quicunque illas aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputative, publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, a qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacunque etiam dignitate fulgente, niſi pro tempore exiſtente R. Pontifice, abſolvi. *Hactenus laudatum decretum apud Bullar. Rom. Tom. IX. p. 97.*

(b) *Epiſcopus Siſtaricanus Petrus-Franciſcus Lafiteau, in Hiſt. Bullæ* Unigenitus *Lib. I. p. 7. teſtatur, Conſtitutionem Innocentii X. damnantis quinque propoſitiones Janſenii, fuiſſe primum pontificium Diploma in rebus Fidei, cui (ſtantibus interpoſitis appellationibus Janſenianorum apud Regem & Parlamentum) in Galliis acceſſit Regium Edictum ad hoc ut acceptaretur, ac executioni religioſe mandaretur. Teſtatur quoque, quod tam præfatum diploma, quam Chriſtianiſſimi Regis edictum independenter a Parlamento evulgata fuere; & per conſequens antiqua perpetuaque poſſeſſio, qua conſtitutiones Pontificiæ in rebus Fidei, ab Eccleſia Gallicana religioſe*

dem reipſa angere & vexare Gallicanam Eccleſiam, ne adhæreat Pontificiis conſtitutionibus quantumvis ſolemni judicio editis, niſi prius verificentur in Parlamento (*a*). Dicas modo quiſquis es amantiſſime Lector, ecquid amplius Janſeniani poſſent hoc in negotio ſibi rite vindicari in hypotheſi, quod ſententia de infallibilitate Pontificis, non modo eſſet futilis & toties convulſa, ſed conceptis verbis in aliquo Concilio Œcumenico damnata, nec non graviſſimis cenſuris ſolemniter inuſta? Niſi me omnia fallunt, nil aliud ſane; indubium itaque videtur, Janſenianos pro futili totieſque convulſa habere ſententiam de Pontificia infallibilitate in rebus Fidei, ſicque a cenſuris in Refractarios fulminatis haud immunes ipſi exiſtunt. Dices, hac profecto ipſiſſima ratione, qua Janſenianis non conſtat judicium Alexandri VIII. in præfato decreto eſſe irreformabile, non conſtat quoque eos qui tenent, ſententiam de infallibilitate R. Pontificis habendam pro futili, reipſa ſubire cenſuras ab Alexandro fulminatas. Aſt ne diutius immoremur, id unum agam: nonne Janſeniani ultro libenterque concedunt, R. Pontificem in quæſtionibus juris & non facti eſſe infallibilem? *item*, Eccleſiam Romanam nuſpiam a recta fide aberraſſe, neque in futurum defecturam, quum ſit ſemper virgo? *item*, judicium Apoſtolicæ S. Sedis non autem R. Epiſcopi eſſe irreformabile? ergo quum allegata propoſitio ab Alexandro VIII. pro-

ſe recipiebantur independenter a quovis mandato Regis vel Parlamenti, cœpit a Janſeniſtis turbari die 4. Julii an. 1653.; deinde iniquioribus inſidiis ſenſim ab eiſdem Janſeniſtis intercipi, hodie tandem eo deventum eſt, ut Parlamentum Gallicanum (fertur ab Ephemire, vulgo Gazzetta *edita Piſauri die 6. Septemb. 1763.) contendat, nec ipſum Chriſtianiſſimum Regem auctoritatem habere promulgandi legem aliquam, in ordine tam Eccleſiaſtico, quam politico, niſi prius Parlamenti decreto ea roboretur.*

(a) *Janſeniani denegant Pontificiam inerrantiam ſub pallio, quod Eccleſiæ duntaxat datum ſit ſine erroris periculo res Fidei dirimere; factis tamen neque eidem Eccleſiæ hujuſmodi facultatem tribuunt independenter a Tribunalibus politicis. O tempora! O mores!*

proſcripta pertineat ad quæſtionem juris & non facti, inſuper quum fuerit ab Eccleſia R. ſtatim adoptata pro doctrina merito proſcripta, atque ita non tantum ab Epiſcopo Romano, ſed etiam ab Apoſtolica S. Sede ejuſdem damnatio profecta, quis non videt, præfatum cavillum haud Janſenianis ferre ſuffragium, ſicque immotum noſtrum aſſertum manere?

760. *Tertium* tandem videtur eruditius tutiuſque verum; quoniam ubi ſententia de fallibilitate Pontificis in rebus Fidei a poſtremis Hæreticis Lutheranis, & Calviniſtis pervulgata eſt, & eo ſcopo ut ſuis hæreſibus commodius inſervirent, & inſuper hanc profanam opinionem cummaxime probant monumentis, principiis, & præſuppoſitionibus cum ſuis hæreſibus apprime connexis, ſecus vero ſententia noſtra. Hanc enim ex antea enucleatis conſtat nos accepiſſe ex dictis factiſque tum Apoſtolorum, tum veterum Eccleſiæ procerum, tum ex venerabili Scholaſticorum choro, tum ex ſacro omnium ferme recentiorum Epiſcoporum ordine, tum tandem ex calculo eorum Theologorum, qui hac noſtra ætate minime paſſi ſunt ſibi fucum fieri a ſapientibus ſeculi. Quod ſi juxta monitum præclari Lirinenſis, virorum Orthodoxorum eſt ſequi ſententiam non quidem Hæreticorum, ſed eorum *qui in fide, & communione catholica ſancte, ſapienter, conſtanter viventes, docentes, & permanentes, vel mori in Chriſto fideliter, vel occidi pro Chriſto feliciter meruerunt* (*a*); eruditius profecto, tutiuſque tenendum videtur, infallibilitatem Pontificiam in rebus Fidei eſſe ſententiam adeo firmam, & probatam, ut neminem virum Catholicum deceat eam inficiari.

CA-

(a) *Communit. num. XXVIII. p. 361.*

CAPUT II.

761. Finem poſtulat qualiſcunque concertatio noſtra, quippe cui impoſituri faſtigium non aliud certe ad normam promiſſorum diſcutiemus, quam diligenter introſpicere judicium illud, quo Apoſtolica S. Sedes inhærens decreto Concilii Trident. propoſuit Fidelibus, ut Biblia juſſu Sixti V. recognita, ac auctoritate Clementis VIII. edita conſecrarentur in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus, quibuſque S. Mater Eccleſia aduſque præſentem diem reipſa utitur. *Motus in fine velocior*, quod itaque poſtremo loco inſtat feſtinantius exequemur.

§. I.

Prælocutiones ad futuram aſſertionem.

762. *Notandum primo*, quod Biblia Sixtina, quæ in fronte gerunt, *Biblia Sacra Vulgatæ Editionis tribus tomis diſtincta Romæ ex Typographia Apoſtolica* 1590., ſunt opus ejuſdem Sixti Pontificis; quandoquidem licet hic ſolertiſſimus Papa quamplures viros doctos, qui ſanctarum Scripturarum, Sacræ Theologiæ, multarumque linguarum ſcientia, ac diuturno variarum rerum uſu præſtantes, delegerit, ſimulque in unum congregaverit, ad hoc ut in perquirenda germana ſinceraque Editione veteris Latini interpretis ſtrenue laborarent, minime tamen gravatus fuit, inter alias Pontificiæ ſolicitudinis occupationes, hunc quoque non mediocrem accuratæ lucubrationis laborem ſuſcipere, & tam ardentiori conatu ut propriis oculis ea omnia perlegerit quæ præfati viri docti collegerant, aut ſenſerant, proprio judicio perpenderit diverſarum lectionum rationes, recognoverit SS Doctorum ſententias, ipſe etiam quæ quibus anteferenda vel poſtponenda eſſent dijudicaverit,

rit, ipſe manu propria ſi qua præli vitia obrepſerant correxerit, ipſe quæ confuſa aut facile confundi poſſe videbantur majoribus notis, & interpunctione diſtinxerit, uno verbo, eorum virorum, qui ad magnum opus delecti fuere, labor fuit vix in conſulendo, ipſius autem ſummi Sacerdotis Sixti V. in deligendo id quod ex pluribus ſibi optimum videbatur. Hæc omnia conſtant ex confeſſione ejuſdem Sixti apud ſæpius laudatum Diploma *Æternus*, quæque verbatim expoſuimus n. 744., & Illuſt. Epiſcopus Tagaſtenſis, ac Sacriſta Palatii Apoſtolici Angelus Rocca teſtis oculatus ſcribere habuit (*a*): *Quarta inſcriptio ingentem indicat curam & vere pontificiam, quam Sixtus V. toto ſuſcepit conatu pro Bibliis Vulgatæ Editionis emendandis, & imprimendis juxta Concilii Tridentini præſcriptum. Qua in re præſtanda tot ac tantos die noctuque perpeſſus eſt labores, quantos unquam verbis explicare nemo poſſit, ut mihi perſuadeo, qui hujus generis labores reipſa videns, non ſemel tanquam oculatus teſtis obſtupui.* Quæ quum ita ſint, haud ratum habemus, quod nonnulli Teologi cæteroquin non infimi ſubſellii iverint ad aſſerendum, Biblia Sixtina minime fuiſſe opus ejuſdem Sixti, bene vero tribuenda quibuſdam ſelectiſſimis S. R. E. Cardinalibus, aliiſque tum ſacrarum litterarum, tum variarum linguarum peritiſſimis viris, quibus Sixtus V. hanc provinciam demandavit. Non ignoramus præfatos Theologos religioſa voluntate huc confugiſſe ad hoc nimirum, ut funditus everterent iniqua molimina Thomæ Jameſii, qui in Libello inſcripto *Bellum Papale* præſentat apertiſſimas oppoſitiones, & bene multas inter præfata Biblia edita ſub Sixto ann. 1590., & ſub Clemente ann. 1592.; quarum quidem integer catalogus nullius evadit ponderis, quum reponatur priora Biblia non a Sixto Papa ſed a Cardinalibus aliiſque Correctoribus fuiſſe digeſta. Verum bona tantorum virorum pace Hæ-

(a) *In Libro de Bibliotheca Vaticana p.* 228.

Hæretici indigent mendaciis, ut ſuos errores ſuadeant imperitis vel credulis; Eccleſia autem Romana ſicut eſt columna & firmamentum veritatis, ita rebus veris ſolidatur, & aduſque finem mundi nudæ veritatis face, duce, & præſidio triumphabit; Chriſtus enim, cui Mater noſtra innititur, ipſa veritas eſt. Eapropter.

763. *Notandum ſecundo*, quod licet præfata Biblia edita an. 1590. ſint genuinum opus Sixti V., id tamen non eſt ita intelligendum perinde quaſi fuerit pariter auctor illorum mendorum, quæ in eadem Biblia irrepſerant, quæque reipſa emendatiſſime caſtigata comperiuntur apud Biblia ſub Clemente edita an. 1592. Evidens enim eſt, in prioribus Bibliis *vulgo* Sixtinis multa reperiri menda correctione digna, & quæ reipſa in Bibliis *vulgo* Clementinis minime habentur (*a*); ſed ex libatis in ſuperiori capite

(a) *Quod haud benevolo Lectori ingratum fore crediderim, quum nonnulla ſpecimina operæ pretium duxi obiter ſuppeditare.*

	Biblia Sixtina 1590.	*Biblia Clementina 1592.*
Gen. XXIV. 24.	*Filii Dagor, quem peperit Melcha.*	*Filii Melchæ, quem peperit ipſi Nacor.*
Exod. *XXIII.* 18.	*tuæ*	*meæ*
XXXII. v. 28.	*triginta tria millia*	*viginti tria millia*
XXIV. 5.	*vitulos duodecim*	*vitulos*
Num. XXXIV. 4.	*ad meridiem*	*a meridie*
Deut. XVII. 8.	*lepram & non lepram*	*lepram & lepram*
v. 12.	*ex decreto*	*& decreto*
Joſ. III. 17.	*contra Jordanem*	*contra Jericho*
II. 18.	*ſignum non fuerit*	*ſignum fuerit*
IV. 23.	*Deo noſtro*	*Deo veſtro*
II. Reg. XV. 7.	*quatuor annos*	*quadraginta annos*
XVI. 1.	*duobus utribus vini*	*utre vini*
Pſalm. XLI. 3.	*fontem*	*fortem*

Hiſce addas ſequentes integras ſententias, quæ male leguntur in Bibliis Sixtinis, & bene omittuntur apud Biblia Clementina I. Reg. XXIV. v. 8. Vivit Dominus, quia niſi Dominus percuſſerit eum, aut dies ejus venerit ut moriatur, aut deſcendens in prælium perierit, propitius ſit mihi Dominus ut non mittam manum meam in Chriſtum Domini. *I. Reg.*

R. Pontifex fruitur inerrantiæ privilegio in deligendis Scripturis canonicis ab adſcititiis; ergo Sixtus V. haud fuit auctor vel approbator illorum mendorum, quibus Sixtina Biblia olent, & apud Biblia Clementina caſtigata reperiuntur. *Præterea*, quod Sixtus V. ſponte ſua, motu proprio, & ex certa ſcientia vetuerit publicationem Bibliorum 1590., vix tenebrarum amatores inficiari valebunt. Præfatio Bibliorum Clementis VIII. hæc teſtatur: *Sixtus V. . . opus tandem confectum typis mandari juſſit. Quod quum jam eſſet excuſum, & ut in lucem emitteretur IDEM Pontifex operam daret, animadvertens non pauca in ſacra Biblia præli vitio irrepſiſſe, quæ iterata diligentia indigere viderentur, totum opus ſub incudem revocandum cenſuit, atque decrevit.* Gemina habet Ferdinandus Unghellus in additionibus ad Ciacconium (*a*), Cl. Lucas Waddingus (*b*), nec ut nonnulli putant ab iſtis diſſentit Victorellus quum fert (*c*): *An-*

Reg. XXV. v. 6. Ex multis annis ſalvos faciens tuos, & omnia tua. *II. Reg. VI. v. 12.* Dixitque David: ibo, & reducam Arcam. *Addas & iſtas quæ recte leguntur in Bibliis Clementinis, & male omiſſæ apud Biblia Sixtina: Num. XXX. v. 11.* Uxor in domo viri cum ſe voto conſtrinxerit & juramento, ſi audierit vir, & tacuerit, nec contradixerit ſponſioni, reddet quodcunque promiſerat, ſin autem extemplo contradixerit, non tenebitur promiſſionis rea: quia maritus contradixit, & Dominus ei propitius erit. *Prover. XXV. v. 24.* Melius eſt ſedere in angulo domatis, quam cum muliere litigioſa, & in domo communi. *Matth. XXVII. v. 35.* Ut impleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem: diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. *Hæc pro noſtro inſtituto ſat erunt, is vero cui libuerit oleum perdere & operam comperiendis multo pluribus id genus ſpeciminibus, adeat famoſum Libellum Thomæ Jameſii, cui inſulſiſſimus titulus,* Bellum Papale, *ex cujus lectione nullus penitus fructus carpitur, tametſi ejus frigido Auctori fuerit dorſuoſiſſimi laboris.*

(a) *De geſtis RR. Pontificum. Tom. II. col.* 1825. *F.* Biblia recognita & cuſa fuere: verum quia præli vitio nonnulla irrepſerant... Sixtus opus univerſum incudi reddendum putavit.

(b) *De Scriptoribus Ord. Minorum verbo* Sixtus V. *p.* 319. *col.* 2. In hoc opus (*emendatiſſimæ impreſſionis Vulgatæ veteris*) Sixtus ipſe ardentiſſimo ſtudio totus incubuit; itaut quum jam eſſet completum & excuſum, Princeps oculatiſſimus... quum aliqua deeſſe, & alia incurioſius præli vitio irrepſiſſe deprehendiſſet, opus ad incudem revocari præcepit.

(c) *In addition. ad Ciacconium cit. col.* 1904. C.

Anno 1591. *Gregorio XIV.* (Bellarminus) *auctor fuit, ut Biblia Sixti ad incudem revocarentur;* non enim dicit, Bellarminum extitiſſe Auctorem ut Biblia Sixti ſupprimerentur, ſed ut ad incudem revocarentur; quod idem eſt ac dicere, Bellarminus excitavit Gregorium XIV. ad recudendum exemplar originale, cujus quidem iterata impreſſio minime ab eodem Sixto morte prævento præſtari potuit. *Id vero*, apprime Præfatio Clement., *quum* (Sixtus) *morte præventus præſtare non potuiſſet* (emendatiorem impreſſionem), *Gregorius XIV. . . . ejus* (Sixti) *intentionem executus perficere aggreſſus eſt*. Nemini ergo dubium, quod Sixtus ſponte ſua & motu proprio vetuerit publicationem ſuorum Bibliorum; ecquis ergo vir prudens & cordatus ſibi modo ſuadere poterit, menda quæ in præfata Biblia irrepſerant eſſe fœtus Sixti V.? Naturalis profecto eſſet hujuſmodi ſuaſio ſi non ipſe Sixtus, ſed vel Gregorius XIV., vel Clemens VIII. ea Biblia ſuppreſſione ligaſſet: quum ergo ab eodem Sixto ſuppreſſa fuerint, ex oppoſita argumentandi ratione ſatis eruitur, Sixtum minime auctorem, vel approbatorem fuiſſe illorum mendorum, quibus ejus Biblia ſcatent.

764. Dices forte, ſtante divina protectione, quæ non ſinit R. Pontificem ex Cathedra loquentem docere errorem, divinitus factum eſt, quod proprios lapſus Sixtus V. deprehenderit, quibuſque deprehenſis atque agnitis jure merito ſuppreſſerit ſua Biblia. Sed ut quid ſine ulla neceſſitate ſtudes ad miraculum confugere, reprimendo ſimul perſpectum rerum geſtarum ordinem? Sciendum quod ſub Sixto prius elaboratum fuit integrum exemplar originale Bibliorum, in quo deſcriptæ fuerunt lectiones & voces ab eodem Papa inter plures ſelectæ, & poſtea hujuſmodi exemplar ſubactum fuit typis. Quod quidem non obſcure eruitur ex nuper citato Angelo Rocca: *Univerſa enim*, inquit, *Biblia antequam prælo committerentur* (Sixtus) *ad verbum perlegit*; quomodo autem Sixtus univerſa Biblia ante impreſſio-

nem legere potuiſſet, niſi ante impreſſionem lectiones & voces ſelectæ non in unum exemplar eſſent adunatæ? Tum quia oportuit, ut tam Operæ præli, quam Operarum præfecti præ oculis haberent exemplar originale imprimendum, & tam adcurate digeſtum, ut ſine ulla confuſione, aut errandi periculo certo ſcirent, quid ad voluntatem Sixti foret fideliter ac emendatiſsime imprimendum. Heinc minime probamus id quod a Jacobo Le Long autumatur: *Hæc*, inquit (*a*), *editio* (Sixtina) *licet annum* 1590. *in fronte gerat non ideo hoc anno abſoluta fuit*, *imo jam prælo ſubacta erant Biblia Latina auctoritate Sixti V. duobus fere ab hinc annis . . . Fatendum igitur eſt*, *ſaltem ſub finem anni* 1588. *præfatam Editionem excuſam fuiſſe*, *divulgatamque dumtaxat an.* 1590. Hucuſque Le Long, cujus conjectationis diſpergendæ daturus operam *primo* inquiram, ſi impreſſio præfatæ Editionis abſoluta fuit ſaltem ſub finem anni 1588., cur eidem non annus iſte præfixus fuit, bene vero annus 1590.? cur ejuſdem Editionis ſuppreſſio dilata fuit adusque eundem an. 1590.? Bene intelligo, præfatam ſententiam Le Long collegiſſe ex hiſce verbis Angeli Rocca cit.: *Biblia recenter impreſſa Sixtus de integro perlegit antequam prodirent*, *Conſtitutionemque Kalendis Martii an.* 1589. *ſcriptam huic Editioni præfixit . At infra duos menſes integra illa relegere multis aliunde detentus occupationibus non potuiſſet &c.* Verum licet Sixtus V. de integro perlegerit Biblia recenter impreſſa antequam prodirent; aliud tamen eſt quod hujuſmodi operam nequiverit exequi ſpatio duorum menſium, ut fert Angelus Rocca; & aliud quod nec ſpatio duorum annorum eandem præſtiterit, uti Le Long præſupponere videtur quum fatendum exiſtimat, præfatam Editionem excuſam ſaltem ſub finem anni 1588., divulgatamque an. 1590.

765. *Præterea*, laudatus Rocca refert, quod Sixtus V. de in-

(a) *Bibliotheca Sacra Cap. IV. Tom.* 1. *col.* 266. *D.*

integro perlegit Biblia non tantum recenter impreſſa, ſed quoque antequam prælo committerentur; ergo ſi ad voluntatem Le Long impreſſio præfatæ Editionis abſoluta fuit ſaltem ſub finem anni 1588., dicamus oportebit, integrum exemplar imprimendum lectum fuiſſe a Sixto ſaltem ſub finem anni 1587.; ſicque longius profecto tempus inſumptum eſſet pro illis Bibliis evulgandis, ac pro eiſdem corrigendis. Quam quidem conſecutionem gratis animis & lubentiſſime recipient hoſtes Sixti V., ut facilius credatur eundem hallucinationibus audacius offendiſſe, utpote qui breviſſimo tempore præſumpſerit rem tam arduam abſolvere: at viri cordati tanquam perniciosum putidumque fungum abominantur: & maxime quod ſatis ſuperque conſtat, quod Sixtus V. ab initio bene novit rei magnitudinem & gravitatem, quam diſcutiendam ſuſcipiebat, quod non oſcitanter, pigre, & quaſi a ſomno excitatus, non feſtine & præcipiti agendi ratione aggreſſus fuit, extendit, & ad faſtigium perduxit correctionis opus: ut enim ſe vidit ad ſummum Sacerdotium evocatum, ſic primo tempore omnia delegit adhibuitque media ad rem exacte perficiendam neceſſaria, utilia, & præ cæteris validiora: *Quum*, teſtatur in ejus diplomate, *primum ad Apoſtolicam B. Petri ſedem divina nos miſeratio meritis licet imparibus evocavit; nihil antiquius habuimus quam ut primo quoque tempore optatiſſimam iſtam vulgatæ Editionis emendationem aggrederemur . . . Nos enim rei magnitudinem perpendentes . . . . haudquaquam gravati ſumus . . . hunc quoque non mediocrem accuratæ lucubrationis laborem ſuſcipere . . . in quo operam quotidianam, eamque pluribus horis collocandam duximus*. Ex quibus adparet, Sixtum V. una cum ſelectiſſimis Correctoribus (*a*) triennio ſaltem deſudaſſe deſuper emendatione vulgatæ Editionis,

(a) *Qui ſecundum Jacobum Le Long. cit. p. 264. col. 2. E. fuiſſe videntur Flaminius Nobilius, Antonius Agellius, Lælius, Petrus Morinus, Angelus Rocca, quibus addendi ſunt Eminentiſſimi ac ſelectiſſimi Cardinales Alanus Anglus, Antonius Caraſa, cæterique.*

nis , itaut vix ſub initium anni 1589. abſolverit exemplar originale . Quo ex integro ad verbum relecto , & de conſenſu eorundem correctorum (*a*) agnito pro ea veteri Latina editione , quam Concilium Tridentinum ſuo calculo probarat , præcepit ut ſumma vigilantia typis Vaticanis illud imprimeretur : interim incumbens elucubrationi Diplomatis , quod abſolvit (ſive ab alio abſolutum fuerit) die prima Martii 1589.. Quibus præfatis ita pergimus : alicujus certe ponderis eſſet conjectura adverſariorum eidem Sixto tribuentium præfata menda in hypotheſi , quod Sixtus exemplari originali adornando navaſſet operam oſcitanter, vel præcipitanter, vel non ſedulo idem exemplar iterum lectum & recognitum mandaſſet typis , vel dum præla fervebant non tertio legiſſet quoad effectum ejuſdem emendatiſſime imprimendi , nec tandem approbaſſet eo graviſſimo Diplomate , vel tandem intercepiſſet impreſſionis continuationem; at nihil tale contigit , ergo menda , quæ in exemplar impreſſum irrepſerant, nonniſi invita ratione bene ponderante tam exactum rerum geſtarum ordinem attribuuntur Sixto Pontifici , ſive præſupponantur extitiſſe in exemplari originali , quod ſummis curis improbiſque laboribus, divini Numinis implorato præſidio, & Pontificiæ poteſtati qua fruebatur confiſus, Sixtus digeſſerat. *Tandem* , ſi menda quibus ſcatent Sixtina Biblia impreſſa ab eodem Sixto profecta eſſent, plane eſſent transfuſa ex exemplari originali ; ſed ex nuper datis hoc eſt aperte falſum , quia Sixtus non ſuppreſſit exemplar originale , ſed exemplar impreſſum ; non enim præcepit iteratam recentionem & correctionem exemplaris originalis , bene vero iteratam ejuſdem impreſſionem ; non ſine igitur magna temeritate menda quæ habentur in Sixtinis Bibliis

1590.,

(a) De eorundem Venerabilium fratrum noſtrorum S. R. Eccleſiæ Cardinalium .... conſilio & aſſenſu, quorum opera & induſtria in hac ipſa vulgatæ Editionis emendatione in rebus præſertim gravioribus uſi ſumus *&c. Ita Sixtus in ejus Diplomate.*

Digitized by Google

1590., & correcta in Clementinis an. 1692. Sixto Pontifici præfiguntur.

766. *Notandum tertio*, quod præfata menda ex ipſo prælo duxerunt unicam plenamque originem. Hanc ſententiam conceptis verbis tradunt nuper laudata teſtimonia Præfationis, Unghelli, Waddingi, aliorumque probatiſſimorum Theologorum; licet eandem impugnent univerſi Proteſtantes, quibus adblandiuntur Launojus, Dupinus, Auctor ementiti Boſſuetii, aliique cum quibuſdam aliis polyticis Theologis: *Principio*, ex dictis patet, pleraque menda irrepſiſſe in Biblia Sixtina impreſſa; ſed ut modo enucleavimus non irrepſerunt vitio Sixti V.; ergo vitio præli. *Præterea*, ſi non irrepſiſſent vitio præli maxime, quia Sixtus in ejus Diplomate hæc teſtatur: *Noſtra nos ipſi manu correximus, ſi qua præli vitia obrepſerant*; aſt hujuſmodi Sixti teſtimonium vix terret eos, qui artis typographicæ nullam experientiam habent: innumerabiſia propemodum ſunt pericula, quibus Typographi ſubſunt ſæpe diſcedendi ab originali exemplari quod præ oculis habent: nolumus enim memorare, quæ in hujus noſtræ opellæ impreſſione non ſine animi amaritudine experimento comperimus, id unum recolentes; ſi qua fuit uſpiam diligentia hoc in negotio profecto in excuſione Bibliorum ſub Clemente VIII.; & tamen ſi memineris recenſita §. III. & IV. Capitis Prodromi, haud alio te diſceſſurum facile crediderim: quamvis adcurata diligentia Auctoris, vel alterius qui Typographis præeſt impenſe conducat ad emendatiſſimam librorum impreſſionem, expertis autem bene conſtat, vitia interdum inveniri in foliis impreſſis, quæ in foliis (vulgo *pruove*) vel nuſpiam apparuere, vel fuerunt diligenter emendata; nihil itaque mirum, quod in Sixtinis Bibliis permulta menda prælo adjudicentur, tametſi idem oculatiſſimus Pontifex propria manu præli vitia correxerit. In hance cæteroquin ab initio propalatam reſponſionem haud fugit inſurrexiſſe Sixtinum Amamam in ejus Antibarbaro

Bi-

Digitized by Google

Biblico, & non ſine facetiis Launojum Epiſt. V. Tomi I., opponentes, quod menda quibus Sixtina Biblia obnoxia conſpiciuntur, non conſiſtunt ſolummodo in interpunctionibus, in litterulis, in ſyllabis reſpectu quarum expoſita doctrina ſua videtur frui ſoliditate; ſed etiam in integris vocibus, immo ſententiis, & bene multis, quæ nonniſi apertiſſima ineptia referri poſſunt ad prælum (*a*); at licet præfatæ voces & ſententiæ nequeant ſine vi manifeſta tribui prælo nude inſpecto, ſecus autem ſi animadverterimus, illorum Bibliorum impreſſores ita folia (vulgo *pruove*) a Pontifice recognita & caſtigata excudiſſe, uti ſibi dabantur non quidem ab eodem Pontifice Sixto, ſed vel ab Eminentiſſimo Cardinali præli præfecto (*b*), vel ab ejus ſociis, ſive pediſſequis & ſequacibus, ad quos unice integræ illæ voces & ſententiæ adſcititiæ referendæ ſunt tanquam ad auctores.

767. Et ſane Eminentiſſ. Antonius Carafa vir cæteroquin Doctiſſimus, ejuſque ſequaces eo falſo præjudicio decepti quo arbitrabantur, Hieronymum taliter fuiſſe auctorem vulgatæ Editionis, ut ante ipſum non modo Eccleſia Græca, ſed etiam Latina uſa fuerit verſione Græca LXX. (*c*), idcirco ægre ferebant, ut in Sixtinis Bibliis imprimerentur quædam ſententiæ & voces, quæ reſpondebant vetuſtioribus codicibus Latinis & non Orientalibus potiſſimumque Græcæ verſionis, quam ipſi tribus antea annis excuderant, & ſtuduerant maximam fidem ei conciliare: hinc aliquando eo de-

(a) *Harum ſententiarum, quas Amama profert Lib. I. Anti. Barbari cit. Cap. X. ſect. I. II. III. IV. nonnullas ſuppeditavimus n. 763.*

(b) Antonius Carafa... Congregationi Sacrorum Bibliorum, & eorundem correctioni (*a Pio V.*) præficitur, & a Sixto V. Regularibus, & Vaticano prælo præpoſitus. *Ita Cicconius de geſtis RR. Pontificum Tomo II. col.* 1705. *D., cui conſentit Andreas Victorellus citans quoque Baronium ad an.* 231.

(c) *Iſtud cuique datur intelligere ex Epiſtola dedicatoria ejuſdem* Cl. *Antonii Caraſæ ad Sixtum V., & ex præfatione ad Lectorem præfixis Bibliis Græcis Veteris Teſt. ab eodem Cardinali editis Romæ an.* 1587.

devenerunt, ut nonnullas ſententias a Pontifice ſelectas perperam immutarint, non quidem apud probationes, quæ ſubiiciendæ erant oculis Sixti, ſed in eiſdem jam a Pontifice examinatis, caſtigatis, & ſolummodo imprimendis. Ex quo poſtea contigit, Sixtum reperiſſe in Bibliis impreſſis permulta errata, quæ vel nuſpiam viderat, vel diligenter correxerat, & hac lege tributa prælo in quantum vix apud folia impreſſa fuerunt a Sixto deprehenſa. Cui quidem rei quemlibet reor ultro libentiuſque præbiturum conſenſum, quum animadvertet *primo*, quod Sixtus adeo doluit ſuper mala impreſſione illorum Bibliorum, ut doloris ſenſus vicerit admirabilem cæteroquin ejus animi fortitudinem, graviter ob id indignans adverſus Eminentiſſimum præli Præfectum (*a*); *ſecundo*, quod Bellarminus in Commentariolo ſuæ vitæ conceptis verbis teſtatur, in Sixtina Biblia irrepſiſſe errata vitio non tantum Typographorum, ſed & aliorum: *Addita*, inquit, *Præfatione qua ſignificaretur, in prima editione Sixti, præ feſtinatione irrepſiſſe aliqua errata vel Typographorum, vel ALIORUM*. Ex quibus Ampliſſimus Cardinalis Carolus Albertus Cavalchini (*b*) hæc colligit: *Igitur præli vitio continentur errata vel Typographorum, vel aliorum;* ſubdens quod idcirco Bellarminus in præfatione Bibliorum Clementinorum *ly aliorum* tacuit, *ut nimirum modeſtiore, quoad poſſet, minuſve invidioſa loquendi formula uteretur, ubi neceſſitas non expoſcebat apertius, ac liberius loqui:* & Auctor Juſtificationum a Voto evulgato ſub nomine E. Card. Decii Azzolini deſuper

(*a*) Conforme abbiamo... dal Cardinale di Santa Severina, il quale racconta che Siſto andaſſe altamente in collera col Cardinal Caraffa per la mala ſoddisfazione avuta nella Bibbia, allorchè eſſendone ſtampate da circa 50. copie, ed avendole trovate mendoſe convennegli proibire.... le dette copie. *Hactenus P. Caſimirus Tempeſti de geſtis Sixti V. Tom. II. Lib. IV. n. XVIII. p. 62. edit. Rom.* 1754.

(b) *Relation. in cauſſa Beatification. & Canoniz. V.S. Dei Roberti Bellarmini* §. 219. *p.* 178. *edit. Rom.* 1753.

eadem Bellarmini cauſſa: *La Storia*, inquit (*a*), *di quel tempo c' inſegna a diſtinguere* duo præli vitia: *L' uno* meccanico *conſiſtente nel difetto de' Stampatori, che lavoravano* ...., *l'altro* dottrinale *conſiſtente nel difetto di quei Periti, che Siſto medeſimo avea traſcelti a comporre la Congregazione Tipografica Vaticana*. *Tertio* tandem, quod talia errata reperiuntur in Sixtinis Bibliis impreſſis, ut a notiſſima Sixti V. eruditione & ſolertia omnino exorbitent, ſimulque Adverſarii non patiantur nudo prælo ea referre; atque ita nonniſi aliorum artificio verisimilius obtruſa eſſe dicamus oportet (*b*), qua quippe lege, hoc eſt, quoad hujuſmodi er-

(a) *Par. III. §. III. num. III. p. 74.*

(b) *Sub initium diplomatis Sixti V. hæc habentur*. Id igitur nos indigne ferentes, eoque indignius quod per hoſce jam viginti duos annos, qui a dicto Concilii Tridentini decreto ad noſtri uſque Pontificatus exordium interfluxerunt &c.: *& in fine*, Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ M.D.LXXXVIIII. Kalendis Martii, Pontificatus noſtri anno quinto. *Nemo certe vir doctus non intelliget hoſce pueriles anachroniſmos: namque a die* 8. *Aprilis* 1546., *in quo PP. Tridentini ediderunt decretum de Script. canon. aduſque diem exaltationis Sixti V.* 24. *Aprilis* 1585. *interfluxerant non anni vigintiduo, ſed triginta novem completi: ſicut pariter dies* 1. *Martii* 1589. *pertinebat ad annum quattum non quintum Pontificatus Sixti; tantum igitur abeſt ut hujusmodi aliaque id genus errata, quibus Sixtina Biblia ſcatent, adjudicemus imperitiæ vel oſcitantiæ Sixti V.: aliunde mens adverſariorum refugit præfatos anachroniſmos tribuere Typographis; ergo referamus neceſſum eſt ſubdolo aliorum artificio. Si autem interrogaveris de ſcopo, quo iſti excitati fuerint ad patrandum huiuſmodi facinus, bona venia, & ſalva bonorum pace dicere auſim. Sicuti ambulantem verſus Solem umbra perſequitur, ita qui ad gloriam veritatis & Religionis contendit, comitem ſemper habet aliorum odium & invidiam; & non ſemel malevolorum improbitas majorem ad nocendum vim habeat, quam ad adjuvandum ipſa factorum excellentia atque honeſtas.* Item, *tempore Sixti Romæ non deerant aliqui viri cæteroquin docti & auctoritatis, qui Novatorum præjudiciis (licet abſimili conſilio) abrepti moleſte habebant, quod Apoſtolica S. Sedes proferret in medium unum definitum exemplar Bibliorum Latinorum, ab omnibus fidelibus juxta præſcriptum Tridentini pro authentico & canonico habendum; quoniam bene intelligebant vi hujus exemplaris delecti eisdem præcludi eam licentioſam facultatem, quam Proteſtantibus præeuntibus ſibi arrogarant obtrudendi peregrinas voces & lectiones, culpantes quoque veterem Latinum interpretem: propterea quod credibilius videtur, hiſce naſutis doctis fuiſſe curis tot mani-*

errata bene ſtat quod teſtatur P. Tempeſti cit. *Fu ella opera d' alcuni Cardinali , ed altri ſoggetti nelle ſacre lettere ed in varie lingue peritisſimi*; temere igitur ac intemperantiſſime ſumuntur præfata verba Sixti , quibus fatur manu propria correxiſſe vitia præli , ad probandum vitio non præli ſed ejuſdem Sixti , illa impreſſa Biblia abundare erratis .

768. Pro uberiori intelligentia excutiamus modo opus eſt alium non minus famoſum cavillum ejuſdem Ammæ ſuadentis , menda Bibliorum Sixtinorum ſuborta fuiſſe ex eo manifeſto præjudicio , quo Sixtus credidit ſe priſtino nitori bene reſtituturum Textum vulgatæ veteris primo potiſsimumque præſidio & adjumento Latinorum codicum ; ſubdens , quod hujuſmodi fallum facto caſtigarit Clemens VIII. Sixto adcuratior & magis ſapiens , quum pleraſque ſententias a Sixto male omiſſas diligenter reſtituit , aliaſque a Sixto perperam interpolatas probe expunxit : quare loco nuper citato quibuſdam propinatis ſpeciminibus faciliori negotio fallere habuit non modo Proteſtantes , ſed pleroſque parum cautos Catholicos*. Verum quod ſpectat primum lapillum , ideo Sixtus V. in correctionis negotio primas partes detulit codicibus Latinis , quia doctiſſimus Pontifex ex hodiernis Hebraicis nihil certi , nihil tuti , nihilque rati erui poſſe probe intellexit , ac vigilanter animadvertit , inquiens in ſæpius laudato ſuo diplomate : *In hac germani Textus perveſtigatione , ſatis perſpicue inter omnes conſtat , nullum argumentum eſſe certius ac firmius , quam antiquorum probatorumque codicum Latinorum fidem :* notes velim ly

 in-

nifeſta errata obtrudere in Sixtina Biblia , ut volens nolens cogeretur verecundus ac religioſus Pontifex Sixtus ſupprimere illorum Bibliorum publicationem . At Deus , cujus judicia imperſcrutabilia ſunt , & deſtruere habet ; juxta illud Apoſtoli quod fortius & ſapientius eſt hominibus . Perdam ſapientiam ſapientium , & prudentiam prudentium reprobabo , *rem ita diſpoſuit , ut quo tardius eo glorioſius Biblia a Sixto V. recognita fuerint a Clemente VIII. evulgata , ac apud S. Dei Eccleſiam perpetuo ſacroque uſu aduſque præſentem diem conſecrata .*

inter omnes conſtat, quia exceptis Proteſtantibus, & quibuſdam potius Grammaticis quam Theologis, cæteri omnes una cum PP. Tridentinis eandem tenuere ſententiam, propter eas gravisſimas rationes currenti calamo a nobis collectas num. 482. Sixtus itaque quam doctiſſime & religioſiſſime in correctionis negotio Latinis codicibus primas detulit, ac nonniſi procaciſſima temeritate de fallo infamatus fuit ab Amama. Quum vero hic impoſtor addit, fallum Sixti V. facto caſtigavit Clemens VIII., bene ſcimus homini impudenti & inverecundo omnia licere: ſi Clemens VIII. diſceſſiſſet ab inſtituto Sixti, in omnibus plane Biblia Clementina reſpondere deberent non quidem vetuſtioribus Latinis codicibus, bene vero hodiernis Hebraicis; at hoc ipſimet Hebraiſtæ ore rotundo inficiantur, & reipſa innumerabilibus ferme ſpeciminibus in ſuis criticis obſervationibus demonſtrant (*a*); ergo eſt mera impoſtura dicere, Clemens VIII. facto caſtigavit fallum Sixti V. *Item*, demus menda quæ habentur in Sixtinis Bibliis magis congruere cum codicibus Latinis, & quod eadem menda prout caſtigata reperiuntur apud Biblia Clementina apprime reſpondeant hodiernis Hebraicis, Samaritanis, Syriacis, & Chaldaicis, quid tum? quiſne Deus revelavit Amamæ, hoc eveniſſe ob cauſſam ab ipſo excogitatam, & non potius quia menda uti correcta in Bibliis Clementinis accepta fuerunt ex exemplo Sixti V. non quidem impreſſo, ſed originali, quod ſummis curis Sixtus ordinarat, graviter probarat, & fideliter imprimendum mandarat? Utique Sixtus primas detulit codicibus Latinis, ſed vix hujus provinciæ imperitos latet, non modo exemplum originale Sixti, ſed ipſum quoque exemplar impreſſum maxima ex parte congruere cum codicibus Hebraicis, Samaritanis, Syriacis, & Chaldaicis: non quatenus Sixtus ſuum exemplum elucubrarit primo & potiſſimum ad normam iſtorum, ſed ipſi

(a) *Quorum nonnulla inſigniora protulimus n. 636.*

ipſis Criticis ubique teſtantibus, vix in minutis & in rebus levioris momenti codices Latini diſcrepant ab Orientalibus. Præterquam quod ex his quæ modo exponemus haud obſcure conſtabit, præclarum Clementem VIII. nil aliud in deliciis habuiſſe, quam diligenter recudere Biblia a Sixto V. recognita, nihil penitus addendo, detrahendo, vel immutando.

769. ***Notandum quarto***, quod Biblia Clementina quibus hodie utimur ſunt illa prorſus eadem, quæ juſſu Sixti V. fuerunt recognita apud exemplum originale, quodque idem Sixtus adjuvantibus doctiſſimis viris confecit. Quum Biblia Sixtina fuerint de mandato Gregorii XIV. recognita an. 1591. Zagarolæ a ſelectiſſimis viris (*a*) Eminentiſs. Marco-Antonio Columna, Cardinali Guilielmo Alano, Vener. Bellarmino, Bartholomæo Miranda Magiſtro Sac. Palatii, Petro Morino, & Agellio; & inſuper ſub Clemente VIII. ad faſtigium perducta, factaque publici juris an. 1592.; ex hoc facto pleriſque arriſit argumentari ac ſpargere in vulgus, Biblia ſub Clemente VIII. excuſa, diverſa eſſe a Bibliis a Sixto V. recognitis: quave falſiſſima præſuppoſitione tanquam firmiſſimo indubioque principio innixus, munitus, & ſtipatus Thomas Jameſius Hæreticus Londinenſis, magno cum ſupercilio, & quaſi triumphum ducens de devicta & fracta Papali poteſtate, edidit Londini an. 1606. famoſum Libellum, cui titulus *Bellum Papale*, ſive *Concordia Diſcors Sixti V. & Clementis VIII.*, dicatum Pſeudo-Archiepiſcopo Cantuarienſi, quem in Epiſt. Nuncupatoria ita alloquitur: *Jam tandem Archipræſul in Deo, & coram hominibus Reverendiſſime, ad perpetuam Pontificum RR. infamiam exegi monumentum, quod ſtatuo . . . adeoque liquebit, quam diſpar, & diſſimilis ſit ratio Sixti,* *&*

(a) *Juxta relationem Bellarmini in Commentariolo ſuæ vitæ, Victorelli in addition. ad Ciacconium col.* 1504., *Silveſtri a Petraſanta in vita Bellarmini, qui ex Italico Fuligati Latinam fecit an.*1626. *Lib. II. cap. IX.*, *Petri Morini Epiſt. ad Sylvium Antonianum p.* 368. *opuſculor.*, *aliorumque.*

& Clementis. Ait Clemens, negat Sixtus: ait Sixtus, negat Clemens . . . . confidentiſſimus de Bibliis ſuis Sixtus, metuens ſibi de ſuis Clemens: arrogans hic, modeſtus ille: ſed dumtaxat modeſtus? mendax hic, & ille. Non aliud itaque nobis ſedula opera, & majori quoad fieri poteſt brevitate diſcutiendum erit, niſi diſpicere & perpendere utrum vera ſit & rata allegata conjectatio, Biblia nimirum Clementina non eſſe Biblia a Sixto V. recognita, ex eo quia iſta fuerunt Zagarolæ ſub Gregorio XIV., & ſub Clemente VIII. iterum caſtigata?

770. In primis obviam veniunt tot nuper prolata teſtimonia & rationes, quibus ſatis oſtendiſſe confidimus, menda quibus ſcatent Sixtina Biblia impreſſa, non ad Sixtum, ſed ad prælum referenda eſſe, ex quibus hocce argumentum conficitur. Tunc ſolummodo ex iterata recognitione Bibliorum adhibita ſub Gregorio XIV. perfectaque ſub Clemente VIII. rite inferretur, Biblia Clementina diverſa eſſe a Bibliis a Sixto V. recognitis apud exemplum originale, quoties conſtaret errata, quibus ſcatent Biblia Sixtina impreſſa 1590., irrepſiſſe non vitio præli, ſed ejuſdem Sixti, itaut non aliunde quam ex eodem originali exemplo Sixti fuerint derivata, & transfuſa in exemplar impreſſum; ſed ex libatis conſtat oppoſitum, ergo &c. *Confirmatur*, ideo Adverſarii contendunt, Biblia Clementina non eſſe illa penitus eadem, quæ fuerunt a Sixto recognita, quia errata, quibus ſcatent Biblia impreſſa an. 1590., non ad ſolum prælum, ſed ad ipſum quoque Sixtum tanquam ad Auctorem referunt; ergo quum ex dictis oppoſitum conſtet, oppoſita profecto ſententia a quovis rationis compote ac veritatis amatore amplectenda, & tenenda eſt. Semel enim conceſſo, quod Gregorius XIV. & Clemens VIII. errata Sixtinorum Bibliorum reipſa retulerint non ad Sixtum Pontificem, ſive ad exemplum originale, ſed ad Typographos & alios qui prælo præfuerunt, quis tam ſocors vel imprudens, ut ex recognitione Bibliorum ad-

adhibita ſub eiſdem Pontificibus colligere valeat, digeſtum fuiſſe & ordinatum exemplar, non modo diverſum ab exemplari Sixtino impreſſo, ſed etiam ab originali? Poſito quod Gregorius & Clemens probe intellexerint, & agnoverint, errata tantummodo in exemplar impreſſum irrepſiſſe, quæ quæſo neceſſitas, quæ utilitas, quæ prudentia, quæ pietas, quæ religio, & Papalis ſollicitudo potuiſſent unquam eoſdem excitare, vel impellere ad diſcedendum vel quoad minimam particulam ab exemplo originali Sixtino? Memento quod agebatur de re primum potiſſimumque ex n. 604. ad Fidem & Religionem ſpectante, circa quam omnibus maxime ſingulisque RR. Pontificibus teſtantibus, nulla penitus diabolica fraus acceſſum habet apud B. Petri ſucceſſores, quos inter Sixtus V. affulſit. Memento quod omnibus ſingulisque RR. Pontificibus, utpote paſtoribus diligentiſſime vigilantibus deſuper cuſtodia eccleſiaſticæ Traditionis, nihil aliud ſolemnius eſt, quam in rebus potiſſimum Religionis premere, & ſuo calculo innovare, roborare, & confirmare veſtigia ſuorum prædeceſſorum: quum ergo Sixtus V., Gregorius XIV., & Clemens VIII. ſuper Petri Cathedram quam digniſſime ſederint, & duo poſtremi habuerint pro comperto, non vitio Sixti, ſed Typographorum, vel aliorum irrepſiſſe errata in Biblia prioris Editionis, cuique ſit perſpectum, paſtorales curas Gregorii XIV. & Clementis VIII. non alio collimaſſe, quam ad revocandum ſub incudem exemplum originale Sixti; ſicque Biblia Clementina ſunt illa prorſus eadem &c.

771. *Præterea*, quis unquam vir doctus & prudens ſuadere ſibi poterit, Correctores ſub Gregorio XIV. elucubraſſe Zagarolæ exemplar diverſum ab originali Sixtino, deligendo nimirum voces & lectiones (ut ajunt adverſarii) ex codicibus Orientalibus, quum teſte Petro Morino, qui fuit unus Correctorum, non aliud temporis quoad effectum correctionis inſumptum fuerit Zagarolæ, niſi novemdecim die-

dierum (*a*) ? ii certe quibus id credere arridebit, credant de conſequenti neceſſum eſt, Spiritum Sanctum longe admirabiliori modo adſtitiſſe præfatis Correctoribus Zagarolianis, ac Eſdræ Prophetæ, vel LXX.ſenioribus, vel D.Hieronymo, vel Chriſti Vicario & B. Petri ſucceſſori Sixto V., cui pariter in negotio correctionis Bibliorum religioſe tribuimus peculiare divini Numinis præſidium; quum illi vix intervallo novemdecim dierum valuerint non modo conſulere, & conferre ad invicem (uti deſideratur a noſtris Criticis ex nu. 462. & ſeqq.) codices Orientales & Latin[illegible] utriuſque Teſtamenti, ſed inſuper quæ quibus præponenda vel poſtponenda forent, uno celerrimoque ictu, conſenſu, plauſu, & calculo delegerint pleniſſimeque definierint, quod quippe par portentum nuſpiam a ſeculo auditum. Quod ſi quemlibet virum cordatum pigebit id admittere, non aliud profecto Zagarolæ geſtum eſſe dicamus, niſi quod communi labore vix ea loca notata ſint & reſtituta, in quibus Biblia impreſſa 1590. vitio Typographorum vel aliorum diſcrepabant ab exemplo originali Sixtino: cui quidem operæ diligenter præſtandæ vel duo viri exacti paucorum dierum ſpatio ſat eſſent. Nec velim mireris, ſi hujuſmodi exemplum Sixtinum originale non inveniatur hodie, quodque ex Scriptoribus illius vel ſequentis ævi nullus recordetur hujus diſtinctionis inter exemplum Sixtinum originale & impreſſum: quoniam *circa primum* non eſt noſtrum definire, cur divina Providentia omnia fortiter ſuaviterque diſponens de medio ſubtraxerit SS.Scripturarum Autographa, quorum genuina Apographa maximam apud S. M. Eccleſiam auctoritatem habent: quare nec exemplum illud, cui fuerunt Zagarolæ appoſitæ correctiones, & iterum ſub Clemente VIII. eædem recognitæ, hodie in-

(a) Ab Illuſtriſſimo Cardinali M. Antonio Columna accerſiti ſumus.. ab eo ducti Zagarolum .... ac ibi novem decem dies commorati una ſumus. *In Epiſt. ad Sylvium Antonianum p. 368. Opuſcul.*

invenitur; itaut quum an. 1759. Romæ verſarem ac fando audiſſem, in Bibliotheca Angelica PP. Auguſtinianorum illud reperiri, nihil ſtudii prætermiſi quin præfatum codicem ad horam ſaltem conſpicerem, quove reipſa viſo & diſpecto ſtatim deprehendi, rem longe aliter ſe habere. *Circa ſecundum*, notum eſt pleraque clarius hodie explicari, quæ licet a majoribus noſtris ſint tradita, aliqua tamen obſcuritate admixta: porro quod priores Scriptores ſatis innuerint exemplum originale Sixti diſtinctum ab impreſſo, eruitur ex data relatione Angeli Rocca nu. 764., & eorum omnium, qui tradunt menda irrepſiſſe in Sixtina impreſſa vitio præli: quomodo enim fuiſſet id detectum ac clare deprehenſum, niſi ex oculari diſcrepantia exemplaris impreſſi ab originali? *item*, quomodo parvo labore fuiſſent ſub Clemente impreſſa Biblia a Sixto V. recognita, ſi Correctoribus tum ſub Gregorio XIV., tum ſub Clemente VIII. exemplum originale Sixtinum non adfuiſſet? Bene intelligo, non ſine moleſtia id audiri ab iis, quibus lubet defendere Biblia etiam ſub Clemente edita fore denuo corrigenda, utpote quæ quam celerrime a paucis nec ſatis peritis linguarum caſtigata; at hujuſmodi cavillum putamus funditus evertere, quum tenemus hoſce Correctores non aliud præſtitiſſe, niſi reſtituere loca exempli originalis Sixtini, a quibus prior Editio diſceſſerat.

772. *Tertium momentum*, quod hac in parte tanquam decretorium ſe ſe nobis præſentat, eſſe videtur ipſamet inſcriptio Bibliorum Clementinorum, juſſu ejuſdem Clementis illis præfixa: *Biblia*, habet, *ſacra Vulgatæ editionis Sixti V. Pontif. Max. juſſu recognita;* tanta igitur evidentia & neceſſitate cogimur ſentire & tenere, Biblia Clementina revera eſſe illa prorſus eadem quæ fuerunt a Sixto recognita, ut qui id deneget de conſequenti aſſerat oportet, Clementem VIII. ſplendidiſſimo techna feſelliſſe S. Dei Eccleſiam, quum Biblia diverſa ab originali Sixtino publicarit pro Bibliis a Sixto V. recognitis: Dicam plus:

hujus turpiſſimi mendacii non ſolum Clementem VIII. reum eſse, verum etiam quotquot RR. Pontifices ei ſucceſserunt ad uſque hodiernum Dei Sacerdotem Clementem XIII., utpote qui neglexerint emendare titulum adeo falſum, ſive prætermiſerint vindicare S. Dei Eccleſiam ab errore tam manifeſto, quum ex officio teneantur ad eandem illuminandam. Nonne iſta tam impia ſunt & ſcandaloſa, ut vel eoſdem hoſtes Pontificiæ Poteſtatis faſtidiant proferre? Itaque ſi Clemens VIII., cui omnes ſingulique ſucceſſores facto conſenſerunt, & ſub quo hodierna Editio vidit lucem, ſolemniori forma ac perpetuo teſtatur, Biblia hodierna ea eſſe quæ fuerunt a Sixto recognita, imprudentis eſt, ne dicam inimici veritatis & Religionis aſſerere, quod Biblia Clementina non ſint ea quæ fuerunt a Sixto recognita. *Addas*, quod Clemens noſtram ſententiam adeo teſtatam & commendatam voluit, ut in omnibus Editionibus quæ ipſo vivente factæ fuerunt, nullimode paſſus fuit apud titulum eorundem præclarum nomen ſuum apponi ad hoc, conjicio, ut unuſquiſque ex ſolo titulo intelligeret, ſe fuiſſe vix religioſum executorem eorum omnium, quæ in negotio Bibliorum Sixtus V. diſpoſuerat; quare hic eſt titulus juſſu & auctoritate Clementis VIII. præfatis Editionibus præfixus: *Biblia Sacra Vulgatæ Editionis Sixti V. Pontif. Max. juſſu recognita, atque edita*: & vix circa annum 1640., ſeptem nimirum luſtris ab ipſius obitu, neſcio cujus auctoritate fuerit hæc alia inſcriptio ſuffecta, quæque perſeverat aduſque præſentem diem: *Biblia Sacra Vulgatæ Editionis Sixti V. Pontif. Max. juſſu recognita, & Clementis VIII. auctoritate edita*. Jure ſiquidem Clemens inſcribi fecit *Sixti V. juſſu recognita, & edita*, quia revera executioni mandavit præceptum Sixti de iteranda impreſſione Bibliorum, quæ ejus juſſu ad plenum fuerant recognita, & male impreſſa: idcirco autem poſt ſeptem luſtra additum fuiſſe opinor nomen eximii Clementis VIII., ut ex diverſitate tituli facile diſtingue-

ren-

rentur Biblia Sixtina anno 1590. male impreſſa, ab eiſdem Sixtinis bene excuſis ſub Clemente; atque ita ex ſola inſpectione tituli unuſquiſque intelligeret, quænam ſint Biblia juſſu Sixti V. recognita, quibus fideles tenentur quam religioſiſſime obſequi.

773. HAUD tandem ſilentio prætereundum, quod a pleriſque doctiſſimis viris hoc in rerum themate objectatur. Bellarminus, inquiunt, ſtudio ſalvandi honorem Sixti V. utpote Romani Pontificis, induxit Gregorium XIV. ad non prohibenda Sixtina Biblia permultis mendis referta; ſed quod celeriter corrigerentur & recuderentur ſub nomine ejuſdem Sixti, addita Præfatione qua ſignificaretur, præfata menda irrepſiſſe vitio præli. Ex quibus liquido conſtat, Bellarminum fuiſſe Auctorem utriuſque technæ, nimirum quod menda Sixtinorum Bibliorum fuerint perperam tributa prælo, & quod Biblia ſub Gregorio XIV. Zagarolæ caſtigata, perfectaque, & excuſa ſub Clemente VIII. 1592., ipſo facto contradicente, gerant in fronte nomen Sixti V. Quod vero pejus eſt, ſpiritu jactantiæ ebrius Bellarminus non erubuit tam perniciosum facinus a ſemetipſo adinventum & patratum prodere apud Commentariolum ſuæ vitæ, inique frangens ſecretum illud, quo certe ligabatur; eo uſque progrediens, ut addiderit: *Et ſic Bellarminus reddidit Sixto V. bona pro malis*. Quo tandem factum eſt, ut in cauſſa Beatificationis & Canonizationis ejuſdem, hujuſmodi graviſſimum crimen inter obſtativa principem locum teneat. Bona autem tot virorum pace tantum abeſt, ut qualemcunque conſenſum meum eiſdem accommodare patiar. In eo duntaxat caſu, non Chriſtianæ virtuti, ſed graviſſimo peccato vertenda forent Bellarmino ea, quæ demonſtravit coram Gregorio XIV., ac eorundem ſummaria manifeſtatio ab eodem facta apud allegatum Commentariolum, ſi nimirum menda quibus ſcatent Sixtina Biblia impreſſa non a Typographis, aliiſque, ſed ab eodem Papa Sixto reipſa profecta eſſent, vel id ſaltem Bellarmi-

nus ſenſiſſet; ſed præfata menda non a Sixto, ſed a Typographis, aliiſque revera duxerunt ortum, & nemo ut Bellarminus id diſertiſſime tradit; ergo allegatum objectum nullius profecto videtur eſſe ponderis. Hujuſmodi argumentum vulgo ad hominem brevi demonſtraturus, ante omnia operæ pretium duco exſcribere Bellarminianum Textum præfati Commentarioli. *Anno*, habetur (*a*), 1591. *quum Gregorius XIV. excogitaret quid agendum eſſet de Bibliis a Sixto V. editis, in quibus erant permulta perperam mutata, non deerant viri graves, qui cenſerent ea Biblia eſſe publice prohibenda; ſed* N. (Bellarminus) *coram Pontifice demonſtravit Biblia illa non eſſe prohibenda, ſed eſſe ita corrigenda, ut ſalvo bonore Sixti V. Pontificis Biblia illa emendata proderentur, quod fieret, ſi quam celerrime tollerentur, quæ male mutata erant, & Biblia recuderentur ſub nomine ejuſdem Sixti, & addita præfatione, qua ſignificaretur in prima Editione Sixti præ feſtinatione irrepſiſſe aliqua errata, vel Typographorum, vel aliorum: & ſic* N. (Bellarminus) *reddidit Sixto Pontifici bona pro malis. Placuit conſilium N. Gregorio Pontifici, & juſſit, ut Congregatio fieret ad recognoſcenda celeriter Biblia . . . . Et poſt obitum Gregorii Clemens VIII. edidit Biblia recognita ſub nomine Sixti, cum Præfatione, quam idem N. compoſuit.* Quibus præfatis.

774. Expendamus aſſumptam priorem noſtri argumenti propoſitionem. Quinque, ut vides, Bellarminus demonſtravit coram Gregorio XIV.: *primum*, quod Biblia Sixtina haud publice prohiberentur; *ſecundum*, quod eadem corrigerentur, emendataque proderentur; *tertium*, quod eo melius ac utilius ſi quam celerrime executioni id mandaretur; *quartum*, quod diligentiſſime illa correcta recuderentur ſub nomine ejuſdem Sixti; *quintum*, quod eis adderetur præfatio qua ſignificetur, in Biblia Sixtina irrepſiſſe aliqua errata Typographorum, vel aliorum. Jam vero nemo tam craſ-

(a) *Pag. 126. §. 33. a Bellarmino deſcriptum an. 1613.*

craſſæ minervæ invenietur, ut ex ſuppoſitione quod menda Sixtinorum Bibliorum fuerint reipſa a Sixto profecta non intelligat, Bellarminum aſtitiſſe coram Gregorio XIV. ad fallendam S. Dei Eccleſiam, ac olim Satan adfuit cum filiis Dei coram Domino, ſtudio excruciandi innocentiſſimum virum Job: ſceleſtiſſimus certe ac vaferrimus homo Bellarminus, ſi non obſtantibus tot mendis inſcitia, vel oſcitantia, vel temeritate Sixti irreptis, ſtuduiſſet inverecunda fronte contrarium obtrudere, ſuadere, & propalare; & inſuper non ſine gravi S. M. Eccleſiæ detrimento, quæ eſt columna veritatis, apud Commentariolum ſuæ vitæ quaſi de impia parta victoria procaciter gloriari, & plenum triumphum ducere. Aſt age, & diligenter attende, quomodo in hypotheſi, quod menda Sixtinorum Bibliorum non a Sixto, ſed a Typographis, vel aliis revera ortum duxerint, eadem naturali conſecutione infertur, quod Venerabilis Dei ſervus doctiſſimuſque Bellarminus coram Gregorio XIV. geſſerit perſonam Apoſtoli Pauli adjuvantis paſtoralem ſollicitudinem B. Petri, ne ſcilicet S. Romana Eccleſia falleretur a quibuſdam doctis vix ſecundum ſapientiam noſtri ſeculi gravibus, levibus autem ſecundum ſpiritum Dei. Hoc enim in caſu ut Angelus Dei profecto Bellarminus demonſtravit, ac vi probatiſſimæ ejus ſapientiæ reipſa ſuadere habuit Gregorio XIV., cui quoque non defuit inviſibilis Chriſti directio, ac aſſiſtentia lucis cæleſtis, *primo*, quod Biblia Sixtina haud publice prohiberentur, quoniam licet permultis mendis ea ſcatebant, quemadmodum vero vitio præli enata, ob idque ab eodem Sixto ſtatim intercepta, ſicque nullam ex eo jam tempore auctoritatem obtinuerant, addito etiam quod vix pauci codices excuſi fuerant, & pauciſſimi fraudulenter elapſi, ita nulla videbatur neceſſitas, vel utilitas illorum Bibliorum publice prohibendorum. *Secundo*, quod eadem Biblia Sixtina impreſſa corrigerentur, quoniam ſicut permulta non a Sixto Vicario Chriſti & Petri ſucceſſore duxerant originem,

ſed

Digitized by Google

ſed a Typographis, vel aliis, qui ſuo privato judicio nimis fidentes & blandientes, temere ſibi arrogarant auctoritatem Scripturarum deligendarum, ita expediens erat, religioſum, & neceſſarium ea cuſa Biblia corrigi, deletis nimirum locis inſcio Pontifice in ea obtruſis. *Tertio*, quod eo longe melius, utilius, & opportunius, ſi quam celerrime executioni id mandaretur, quia oportebat tandem parere decreto Concilii Trident. de emendatiſsima impreſsione Vulgatæ veteris, edito a die 8. Aprilis 1546., hoc eſt, 45. antea annis; tum etiam quo pigrius hujuſmodi negotium expleretur, eo variæ Editiones Hebraizantium, quæ de die in diem excreſcebant, magis magiſque Dei Eccleſiam ad infandum Scripturarum Chaos impellerent; & eo vel maxime quod vigilantiſſimus Sixtus huic provinciæ pleniſſime ſatisfecerat, itaut non aliud præſtandum ſupererat, quam ipſius exemplum originale majori cautione mandari typis. *Quarto*, quod Biblia correcta & excuſa inſcriberentur Sixto V., quandoquidem nec veritati nec juſtitiæ conſentaneum erat, ut Biblia a Sixto V. tot improbis laboribus, vigiliis, tædiis, animi mæroribus uſque ad mortem concinnata & ornata, tribuerentur alteri Romano Pontifici; quinimmo ſi aliter fieret, filii tenebrarum majorem profecto occaſionem captarent infamandi RR. Pontifices, in quantum unus ſibi uſurparet alterius glorioſos labores; & inſuper procacius affirmandi Sixtum V. erraſſe in negotio correctionis Bibliorum: quid plura? hoc eodem prætextu confidentius iidem progrederentur ad aſſerendum: nihil mirum, quod & alter Pontifex Sixti ſucceſſor nec Textum Latinum ſatis correctum ediderit, in eumdem ſane ſcopulum prolapſus, cui Sixtus antea offenderat. *Quinto*, quod adderetur Præfatio ſignificans, in primam Editionem præ feſtinatione irrepſiſſe aliqua errata vel Typographorum, vel aliorum, tum quia ſicut maximum temporis Sixtus inſumpſit in inveniendis, librandis, & deligendis lectionibus & vocibus Vulgatæ veteris, nec non eiſ-

dem

dem colligendis apud exemplum originale, non autem deſuper impreſſione ejuſdem originalis (quum tunc temporis ſolummodo juſſit mandari typis, quando ex integro confecerat, & iterum recenſuerat), ita feſtinanter exemplum illud fuit revera impreſſum ; tum etiam hujuſmodi veritate apud Præfationem patefacta & publicata, validius obſtruerentur ora ita obloquentium: Sixtus tametſi R. Pontifex, adhuc pro cæterorum eruditorum fato in Scripturis deligendis erravit : Sixti errata ab eadem ſede Apoſtolica fuerunt deprehenſa, agnita, & caſtigata: Sixti editio non majoris auctoritatis profecto eſt, ac cæteræ aliæ a viris doctis elucubratæ & elucubraturæ, aliaque id genus deliria, quorum libri Proteſtantium, & Janſenianorum tot non obſtantibus opportunis remediis, ex optimo conſilio Ven. Bellarmini ab Apoſtolica S.Sede adhibitis, ubique fœtorem erumpunt. Ut Angelus pariter Dei Bellarminus in Commentariolo hæc omnia ſummarie patefecit, clarius annuntians paſtoribus Iſrael rectam exactamque agendi rationem, quam Gregorius XIV. & Clemens VIII. tenuere in tam ardua præruptaque provincia, totque Satanæ incantationibus, ac humanis machinamentis circumſepta. Tametſi eadem ferme nobis innoteſcant ex Præfatione Bibliorum Clementinorum ab eodem Bellarmino compoſita ; ſed longe clarius illuſtriuſque intelliguntur ex ejus Commentariolo, in quo, bene obſervante laudato E. Cavalchini, facultas Bellarmino fuit aperiendi liberius veritatem (*a*); ſicque liqua-

tum

(a) *Utrum laude vel vituperio dignum efficiant Bellarminum iſthæc verba in Commentariolo prolata*, Et ſic Bellarminus reddidit Sixto Pontifici bona pro malis, *quemque ob id locum inter obſtativa ejus Beatificationis, & Canonizationis ad lancem Sanctuarii habere debeant, non eſt meum diſcutere, id unum obiter obſervans, quod ſi Gregorius XIV. & Clemens VIII. non inhæſiſſent conſilio Bellarmini, ſed aliorum Conſultorum, dubio procul non ſine veritatis & juſtitiæ injuria egregius Pontifex Sixtus V. expoliatus foret honore & gloria ſibi perpetuo debitis. Bellarminus enim fuit in cauſſa, ut Sixti impreſſa Biblia non prohiberentur, ut eadem diligentiſſime correcta & caſtigata ad normam exempli originalis recuderentur, ut* hu-

tum manere putamus non peccato, ſed chriſtianæ virtuti in gradu heroico ea ſane Bellarmino vertenda fore, quæ demonſtravit (obmurmurantibus ſeculi ſapientibus) coram Gregorio XIV., quæque in Commentariolo ſummatim tradit, in hypotheſi nimirum quod menda Sixtinorum Bibliorum non a Sixto, ſed unice a Typographis, aliiſque revera profecta fuerint, idque eidem Bellarmino perſuaſum conſtet.

775. Ad hanc autem hypotheſim, quæ in præfato noſtro argumento locum minoris tenet, probaturi accedimus; & quidem quoad ſecundam partem, quia de priori ſatis diximus; quæque auctoritate Bellarmini teſtis oculati vehementius illuſtrabitur. Amantiſſimus Dei ſervus Bellarminus minime contentus fuit hanc veritatem prodere & teſtari apud Præfationem juſſu Apoſtolicæ S. Sedis ab eodem compoſitam, quamque hodiernis Bibliis præfixam habemus; ſed ſemel, bis, & ter, clariuſque teſtatam voluit in Commentariolo ſuæ vitæ. *In quibus*, inquit, (Bibliis impreſſis Sixti) *erant permulta perperam immutata*: quo certe commate ſatis ſuperque ſignificat, exemplum originale Sixtinum nullum penitus conplexum eſſe mendum correctione dignum, atque ita manifeſte tradit, menda quibus ſcatent Sixtina impreſſa nonniſi a Typographis, aliiſque duxiſſe ortum: ea profecto lege qua inſtrumentum aliquod originale neceſſario præſupponitur ex integro authenticum, quum aſſeritur, in impreſſione ejuſdem inſtrumenti ea ſolummodo

hujuſmodi Sixti V. immortales labores iis omnibus innoteſcant, quotquot in perpetuum datum erit ſolum titulum correcti Textus Vulgatæ veteris intueri. Palpabili igitur veritate liquet hujuſmodi illuſtriſſima bona a Bellarmino tanquam ex primaria cauſa Sixtum V. accepiſſe. Reminiſcor illius additi pro malis, *at apprime Emin. Cavalchini, In cauſ. Beat. & Canoniz. Bellarm. n. 215. p. 176.* Non enim ex mala tantum, & iniqua, ſed & ex optima alicujus voluntate mala in alium inferri poſſunt, ſi pro malis ſumantur, quæ quoquomodo alteri noceant, vel adverſa ſint: quo ſenſu B. Job dixerat: *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus?*

do loca ſapere falſitatem, quæ fuerunt perperam immutata; at Bellarminus hoc modo affirmat, in Sixtinis impreſſis eſſe permulta perperam immutata; quoniam vix iſta loca fuerunt in poſteriori impreſſione correcta; ergo præfata Bellarmini verba neceſſario ſignificant &c. Hoc ipſum iterum commemorat, confirmatque quum ſubdit: *quam celerrime tollerentur quæ male mutata erant*; apertius tandem, ac longe clarius rem indigitat inquiens: *In prima Editione Sixti præ feſtinatione irrepſiſſe aliqua errata vel Typographorum, vel ALIORUM*. Bene recordor Diſſertationis quæ ſub nomine Bellarmini circumfertur, in qua nonnulla loca Vulgatæ Sixtinæ editæ ſub Clemente venditantur pro vitioſis; ſed quot titulis cogamur eam pro ſuppoſititia habere adnotabimus n. 790. (*a*). A primo itaque ad ultimum, ſi menda Sixtinorum Bibliorum non a Sixto Pontifice, ſed a Typographis aliiſque reipſa duxerunt ortum, quodque nemo Bellarmino gravius & magis perſpicue tradidit, inconcuſſum manere videtur tertium momentum, quo oſtendimus Biblia ſub Clemente edita eſſe illa prorſus eadem, quæ fuerunt ſub Sixto V. non quidem impreſſa, ſed recognita apud exemplum originale.

(a) *Haud in obſequium veritatis & Religionis recantare erubeſcam, ſponte mea pro deletis habendo quæ dixi cap. Prodr. n. XXXIX.* Non me latet pleroſque hodiernos Criticos maximam fidem, atque ſi eſſet quintum Evangelium; præſtare iis, quæ a V. Bellarmino in ſua vita ſcripta eſſe feruntur. *Homo enim & ipſe ſum luteis vaſis gravatus, ut facto mihi quadret illud Macrobii Lib. 7. Saturn. cap. V.* Nec abnego, potuiſſe me quoque tanquam palinodiam canere.

Digitized by Google

ASSERTIO.

Romana Eccleſia delegit & declaravit tanquam ſinceram canonicamque Scripturam quoad omnes & ſingulas particulas Bibliam Sacram Vulgatæ Editionis Sixti V. juſſu recognitam, & Clementis VIII. auctoritate editam.

§. II.

Proferuntur aſſertionis monumenta, ſimulque vindicantur ab adverſariorum cavillis.

776. *PRIMO. Ad laudem igitur*, hæc Sixtus V. in ſuo diplomate Æternus, *& gloriam Omnipotentis Dei, catholicæ Fidei conſervationem, & incrementum, ac ſacroſanctæ univerſalis Eccleſiæ utilitatem, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione, de eorundem Venerabilium fratrum noſtrorum S.R. Eccleſiæ Cardinalium .... conſilio, & aſſenſu ... & ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſtatuimus, ac declaramus, eam Vulgatam ſacræ tam veteris, quam novi Teſtamenti paginæ Latinam editionem, quæ pro authentica a Concilio Tridentino recepta eſt, ſine ulla dubitatione, aut controverſia cenſendam eſſe hanc ipſam, quam nunc, prout optime fieri potuit, emendatam ... in univerſa Chriſtiana Republica, atque in omnibus Chriſtiani Orbis Eccleſiis legendam evulgamus, decernentes, eam prius quidem univerſali Sanctæ Eccleſiæ, ac Sanctorum Patrum conſenſione, deinde vero generalis Concilii Tridentini decreto, nunc demum etiam Apoſtolica nobis a Domino tradita auctoritate comprobatam pro VERA, LEGITIMA, AUTHENTICA, ET INDUBITATA in omnibus publicis, privatiſque diſputationibus, lectionibus, prædicationibus, & explanationibus recipiendam, & tenendam eſſe ... Verum quoniam ex variis, quæ hactenus ad marginem adſcribi conſueverant lectioni-*

nibus, *illud ſequitur incommodi ac moleſtiæ*, *quod cum primum bujuſmodi varietas oculis objicitur*, *Lectoris animum ab eo*, *quod tunc inſtat agendum*, *avocat* . . . . *Nos optimum factu*, *piiſque omnibus gratum fore arbitrati*, *ut Eccleſiæ filii ab his perplexitatibus*, *ejuſdem Eccleſiæ judicio liberentur*; *utque eos*, *quibus unum baptiſma*, *una fides*, *una ſpes vocationis eſt*, *diſſentiens non dividat lectio Scripturarum*, *quarum potiſſimum indifferens conſenſio eos debuit in unitatem ſpiritus copulare*, *auctoritate & tenore præſentium mandamus*, *ut Vulgatæ editionis Biblia poſthac nonniſi uniformia imprimantur*, *nec aliquid a Textu diverſum in margine ſcribatur*. *Quæ vero antehac quibuſcunque in locis impreſſa ſunt*, *juxta hunc noſtrum Textum ad verbum*, *& ad litteram corrigantur*. Hactenus percelebris perpetuæque memoriæ Romanus Pontifex Sixtus V., cujus alia illuſtria teſtimonia laudata num. 484. 741. & 744. diligenter recorderis velim; quum ex omnibus collective ſumptis quidquid in præſentiarum in votis eſt abunde colligatur, itaut dicere auſim: hoc uno excepto, quod præfata Conſtitutio ſtantibus mendis quæ in exemplar vivente Sixto impreſſum irrepſerant, ac præmatura ejuſdem Pontificis morte reipſa non fuerit ex ſacro Tribunali ſolemniter pronunciata, nec facta publici juris; cæterum nihil penitus deficit quominus vi hujus diplomatis Biblia a Sixto V. recognita, quæque ſummis curis auctoritate Clementis VIII. edita, tantæ ſint auctoritatis, ac ſi fuerint a Sixto V. ex Cathedra delecta, & declarata tanquam Scripturæ Textus quoad omnes & ſingulas particulas, ſincerus, germanus, canonicuſque.

777. Et ſane ex hactenus libatis cuique datum eſt ſponte ſua intelligere, *primo*, Sixtum delegiſſe & declaraſſe Biblia recognita pro veris, legitimis, authenticis, indubitatis, ac pro illis omnino eiſdem, quæ prius fuerunt SS. Patrum conſenſione, deinde generalis Concil. Tridentini decreto comprobata; *ſecundo*, eundem pronunciaſſe præfatam ſententiam non caſu, non perfunctorie, non præci-

Digitized by Google

pitanter, ſed poſt adhibitum examen adeo maturum, ut minime contentus tot laboribus doctiſſimorum virorum ſub Pio IV. & Pio V. exantlatis, omnia ardentiſſimo ſtudio ad novam diligentiorem criſim revocarit; conquiſitis idcirco aliis vetuſtioribus exemplaribus, delectis aliis ſelectiſſimis viris, & quod omnem admirationem vincit, minime gravatus laborioſiſſimo curriculo bene triennali, quotidianam ſtrenuamque ſuam operam huic negotio collocare; *tertio*, pronunciaſſe præfatam ſententiam non ut privatus Doctor, ſed ex prævio conſilio & conſenſu S. R. E. Cardinalium, ſuppliciter etiam invocato Dei omnipotentis auxilio, ac confiſus illa Apoſtolica auctoritate qua gaudebat Principis Apoſtolorum; *quarto*, protuliſſe præfatum judicium in gratiam non unius vel alterius Eccleſiæ, ſed ad utilitatem Eccleſiæ univerſalis, quæ machinamentis Satanæ ejuſque miniſtrorum exoticas Editiones obtrudentium, mirum in modum infeſtabatur; *quinto*, res ipſa clamat, præfatum Sixti judicium eſſe rei non modo ad Fidem & mores ſpectantis, ſed quæ Fidei & morum regula eſt, fons, & fundamentum; *ſexto*, tametſi explorata nobis ſit ſententia, ad judicium Pontificis loquentis ex Cathedra nullimode requiri conſenſum Eccleſiæ ſive univerſalis, ſive quarundam melioris notæ adhuc allegato Sixti judicio ſaltem quoad factum acceſſiſſe conſtat conſenſum univerſæ Eccleſiæ orthodoxæ, utpote quæ Biblia juſſu Sixti V. recognita reipſa uſu conſecrat in officiis, in expoſitionibus, in prædicationibus &c.: ecquid quæſo aliud nobis deſiderio erit, ex cujus defectu cunctabimur Sixti judicium agnoſcere pro infallibili, ac ſi fuerit ex Cathedra pronunciatum, ſive ore Sixti ab eodem Spiritu S. profectum?

778. *Dices*. Sixtus V. non delegit & declaravit Biblia habenda quoad omnes & ſingulas particulas pro ſinceris, & canonicis, quum hujuſmodi clauſula in toto ejus Diplomatis contextu nullimode luceſcat. *Præterea*, declaravit ſuam Bibliorum editionem tanquam legitimam & authen-

thenticam non abſolute, ſed remiſſe, dubitanter, & aliqua admixta formidine de oppoſito: *prout*, inquit, *fieri potuit emendatam*. *Tandem*, Clemens VIII. vix recudit exemplum originale Sixtinorum Bibliorum, non autem Sixtinæ conſtitutionis, quinimmo iſtius viſus eſt nullam penitus rationem habere; tum quia ubi Sixtus in ſua Conſtitutione mandavit, ut tam in impreſſis quam in imprimendis Miſſalibus, Breviariis, officiis B. Mariæ V., Pſalteriis, Ritualibus, Pontificalibus, Cæremonialibus, & aliis Eccleſiaſticis libris uſurparentur lectiones & verba ex Bibliis ab ipſo recognitis; hoc a Clemente potiſſimum quoad Miſſalia nullimode confirmatum fuit, nec executioni mandatum: ubi Sixtus omni ſolemniori forma, & tanquam ex Cathedra viſus fuit deligere & declarare ſua Biblia pro authenticis & canonicis, Clemens nec in Diplomate incipiente, *Cum Sacrorum Bibliorum &c.*, nec in Præfatione vel per umbram quid tale ſubodoratur.

Contra ad primum. Licet præfata clauſula apud Sixtinum diploma non habeatur expreſſe, æquivalenter tamen adeo diſerte continetur, ut eorum omnium, quæ fuerunt in negotio Bibliorum a Sixto præſtita ac in Diplomate graviſſime commendata, ſignificatum clauſulæ videatur eſſe principium, medium, & finis. Ex integra Sixtina conſtitutione pro meridie affulget, ſcopum Sixti in correctione Bibliorum non alio collimaſſe, niſi ad coercendam & exulandam varietatem tot Latinarum editionum, quibus fideles graviſſime hinc inde agitabantur, neſcientes cui illarum ſuam certo alligandam fidem; at quomodo huic peſtilentiſſimo morbo diligentiſſimus Sixtus providiſſet in hypotheſi, quod Biblia non quoad omnes & ſingulas particulas authentica declaraſſet & canonica? illarum enim Editionum diſſentio & varietas potiſſimum ſpectabat non Scripturarum libros, vel capita, ſed quaſdam minutas lectiones, verba, & interpunctiones; quoties ergo non probaſſet Biblia quoad omnes & ſingulas haſce partes, to-

Digitized by Google

ties ſpem omnem, omneſque ſuſceptos labores ipſe primo feſelliſſet: *item*, peroptime novit doctiſſimus Pontifex in laudato teſtimonio, tanti intereſſe Eccleſiæ habere unam individuam Scripturam ſecundum lectiones & ſingula verba authenticam, ac in eadem *unum baptiſma*, *una fides*, *una ſpes vocationis eſt*; *item*, ſi ejus Biblia non approbavit quoad omnes & ſingulas particulas, cur præcepit ut Biblia tam impreſſa quam imprimenda, juxta Textum recognitum ad verbum & ad litteram corrigerentur? *tandem*, perfugii toties antea profligati, & convulſi longiorem ſermonem habere nos penitus tædet. *Ad ſecundum*, præfatum comma, *prout fieri potuit emendatam*, vix afficit humanam diligentiam, quæ hoc in negotio fuerat ab ipſo Sixto ejuſque coadjutoribus adhibita, non autem pontificiam Poteſtatem, qua Biblia recognita tanquam ex Cathedra, & abſolute approbavit. Sicut infallibilis diſcretio Scripturarum canonicarum ab adſcititiis juxta dicta n. 473. & ſeq. 755. 756. non eſt operis humani quantumvis ſtrenui & adcurati, ſed divini, ſive a Spiritu S. procedentis; ſic jure merito Sixtus adjecit illa verba ut ſignificaret, nihil humanæ diligentiæ prætermiſſum, quin res exacte perficeretur; non autem quod cogitarit vel pro tantillo infirmare auctoritatem ſuorum Bibliorum ab alto religioſe petitam, uti colligitur ex tot aliis ejuſdem illuſtribus teſtimoniis, in quibus proteſtatur, ſe approbaſſe Biblia recognita vi illius pontificiæ Poteſtatis qua fruebatur (*a*): cæterum qua formula magis clara, abſoluta, & ſolemniori uti poterat, quum pro ſolito more Apoſtolicæ S. Sedis præfatam ſententiam pronunciarit? *ex certa*, inquit, *noſtra ſcientia*, *deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſtatuimus & declaramus &c. Ad tertium.* Apud omnes, utroque clamante jure, receptiſſimum eſt, *utile per inutile non vitiatur*; ſicque conſtitutio Sixtina, ex quo non eſt deducta ad uſum quoad eam partem, quæ ſpe-

(a) *Recordare eorum quæ expoſuimus n.* 741.

ſpectat Miſſalia (quæque forte in cauſsa fuit ne recuderetur), peſſime infertur , quod Clemens nullam penitus rationem habuerit præfatæ Conſtitutionis, vel quod nec per umbram ſubodoratus fuerit id , quod de Bibliis recognitis Sixtus in ſua Conſtitutione diſpoſuit, graviſſimeque ſtatuit, & mandavit . In Pontificiis diplomatibus caute diſtinguenda ea, quæ verſantur circa dogmata , ab iis quæ pertinent ad ritus & diſciplinam Eccleſiaſticam : quod ſemel ab uno R. Pontifice ex Cathedra loquente propoſitum eſt fidelibus pro Fidei articulo agnoſcendum, & tenendum , quilibet illius ſuccesſor, ſtante eadem aſſiſtentia Spiritus S., qui omnibus ſingulisque ſummis Paſtoribus in hiſce rebus indubie præeſt, minime in diverſum , vel oppoſitum deſcendet , tametſi portæ inferi oblatrent , mordeantque (a) . Quæ vero ſunt diſciplinæ & ritus Eccleſiaſtici , quemadmodum aliqua ſaltem ex parte pendent a circumſtantiis temporis & locorum, ita pro eorundem varietate a RR. Pontificibus ſollicitudine Paſtorali illa temperantur . Quum ergo conſtitutio Sixti circa Miſsalia &c. cernat diſciplinam & ritum, haud mirum quod Clemens ſuique ſucceſsores aliquo pacto ab ea diſceſserint : aſt in præſentiarum noſtra unice intereſt perſcrutari, utrum Clemens VIII. nec quoad eam partem ratam habuerit Sixtinam conſtitutionem , quæ attinet ad plenam auctoritatem Bibliorum juſsu Sixti recognitorum , cui profecto rei penſiculatius expendendæ hac lege admovebimus manum .

779. SECUNDO. Ex modo libatis adparet, Sixtum V. in ſua Conſtitutione plenam auctoritatem contuliſse ſuis Bibliis , in quantum ſcilicet delegit & declaravit ea tanquam ſinceram canonicamque Scripturam &c.; ſed Clemens VIII.

(a) *Perſpicua nuperrimoque nobis ſunt exemplo conſtitutio Innocentii X. de quinque propoſitionibus Janſenii , & Bulla* Unigenitus *Clementis XI., pro quibus omnes RR. Pontifices ſucceſſores pari zelo propugnarunt, & propugnabunt, Janſeniſtis tametſi ubique ſuſurrantibus , cavillantibus , atque ſtrepentibus .*

VIII. reipſa ratum habuit ſuoque calculo roboravit totum id quod Sixtus ſtatuit in ſua Conſtitutione relate ad plenam auctoritatem Bibliorum; ergo vera aſsertio. Major ex dictis liquet: probatur min. Tria potiſſimum Sixtus quoad plenam auctoritatem Bibliorum in ſua Conſtitutione declaravit, & ſtatuit: *primum*, quod Biblia ſuo juſsu recognita ſint illa eadem, quæ primo veterum PP. conſenſione, poſtmodum decreto Concilii Tridentini, tandem Apoſtolica ſibi tradita auctoritate comprobata fuerant; *ſecundum*, quod a fidelibus reciperentur, & haberentur pro veris, legitimis, authenticis, & indubitatis ſecundum omnes & ſingulas particulas; *tertium*, *diſtrictius*, inquit, *inbibemus ne unquam perpetuis futuris temporibus . . . quiſquam privato, aut peculiari ſuo ſenſu aliam Editionem ſibi confingere, neve hanc ipſam veterem Vulgatam a nobis, ut præfertur, reſtitutam Editionem, intra decem annos a data præſentium numerandos, tam citra, quam ultra montes, alibi, quam in noſtra Typographia Vaticana imprimere audeat, vel præſumat. Elapſo autem præfato decennio, eam cautionem adhibere præcipimus, ut nemo ſanctas Scripturas typis mandare præſumat, niſi habito prius exemplari in Typographia Vaticana excuſo... ne minima quidem particula mutata, addita, vel detracta*. Hactenus Sixtus V.: conſideremus modo ac diligenter perpendamus, num Clemens VIII. ab hujuſmodi inſtituto Sixti vel pro tantillo deflexerit. Et ſane quod ſpectat *primum*, *&* *ſecundum*, ſi adcurate penſentur ea quæ leguntur in Præfatione ejuſdem Clementis auctoritate edita, præfixaque hodiernis codicibus Bibliorum nihil profecto ſolemnius Clementi fuiſſe deprehendetur, quam probare, roborare, & validius confirmare utrunque; *primum* nimirum quum ibi exponitur: Biblia juſſa Sixti V. recognita (*a*) eſſe illam veterem vulgatam Editionem qua uſi ſunt omnes

(a) *Haud mireris ſi loco ſigni demonſtrativi τὸ* hujus *quod in Præfatione legitur, ſubſtituerim* Biblia juſſu Sixti V. recognita; *quia ex Notabili IV. Clemens unice recudit Biblia a Sixto V. recognita; iſta itaque indicavit per ly* hujus.

omnes Veteres, qui nongentis antea annis doctrina & ſanctitate illuxerunt, quam ſolam ſacroſancta Tridentina Synodus graviſſimo decreto authenticam declaravit, & tandem Sixtus V. ardentiſſimo ſtudio recognovit: *Secundum*, quum in eadem Præfatione aſſeritur: *Accipe igitur Chriſtiane Lector eodem Clemente Summo Pontifice annuente ex Vaticana Typographia Veterem ac Vulgatam Sacræ Scripturæ Editionem* (juſſu Sixti V. recognitam editamque).... *Porro in hac Editione nihil non Canonicum, nihil adſcititium, nihil extraneum apponere viſum eſt*. Ex quibus naturali ductu infertur, quod ſi in allegata Præfatione Clemente annuente proponitur Chriſtianis Lectoribus, ut recipiant & adoptent Biblia juſſu Sixti V. recognita editaque, ex eo quia in ipſis nihil continetur quod ſit adſcititium, vel extraneum, & quod majus eſt, quod non ſit poſitive canonicum, ſive authenticum, quomodo Clemens calculo ſuo non confirmavit id, quod antea Sixtus diſpoſuit atque decrevit in ejus Conſtitutione; nimirum Biblia recognita a fidelibus recipienda & habenda pro veris, legitimis, authenticis, & indubitatis quoad omnes & ſingulas particulas? *Tertium* tandem a Sixto in ejus Conſtitutione ſtatutum, adeo Clemens habuit confirmare, ut ad exactam ejusdem obſervantiam graviſſimum Diploma ex ſacro Tribunali pronunciarit, eisdem omnino ſententiis & etiam ferme verbis quibus Sixtus uſus fuit, ut videre eſt num. XXXII. noſtri cap. Prodromi, ubi diploma Clementis exſcripſimus: atque ita ſi Clemens per omnia roboravit ea, quæ ad plenam auctoritatem Bibliorum recognitorum fuerunt a Sixto ſancita, iterum apparet veritas noſtræ aſſertionis.

780. *Dices*: Clemens VIII. in diplomate vix ratum habet & confirmat id, quod Sixtus ſtatuerat circa rem typographicam, ad quam ſolam directe pertinent tres illæ prohibitiones, quarum in Diplomate diſerte ſermonem habet, *prima* nimirum, ut correctus Bibliorum Textus intra decem annos incipiendo a die 9. Novem. 1592. in ſo-

Digitized by Google

la Vaticana Typographia imprimatur; *ſecunda*, elapſo præfato decennio nemo præſumat eundem imprimere, niſi habito prius exemplari Typographiæ Vaticanæ; *tertia*, ne aliter, quam ut eſt in Vaticano exemplari idem Textus imprimatur, ne minima quidem particula mutata addita vel detracta: vi itaque Clementini diplomatis ad ſummum infertur, nemini Typographorum ſive aliorum licere recudere Textum correctum ab exemplo Vaticano diſcordantem, non autem quod Textus correctus ſit in omnibus authenticus & canonicus. Neque hoc idem colligi poteſt ex Præfatione, ex eo quod in ea dicitur, Textum correctum eſſe illum, cujus Veteres habuerunt uſum, quem Concilium Tridentinum approbavit, & Sixtus tandem recognovit, ſicut & illa: *Accipe igitur Chriſtiane Lector &c.*; quandoquidem Præfatio non habet tantam auctoritatem, qua valeat declarare, ſive facere apud nos quidpiam authenticum: nullius enim Pontificis ibi reperitur inſcriptum nomen, nullius Synodi, nullus item ſubſcriptus aut Secretarius aut alius qui auctoritatem illam dare poſſit, nullus item annus, locus nullus, nec auctoris nomen, & tota ejusdem narratio per tertiam Perſonam ſemper, & nunquam per primam inſtituitur; ea tandem methodo continuata, ut poſſit non minus Typographi quam alterius cujuslibet exiſtimari. Fert illa utique *eodem Clemente Summo Pontifice annuente*, at non dicit *jubente*; neminem latet quantum interſit diſcrimen inter *annuere* ſive *permittere*, & *jubere* ſive *approbare*. *Addas*, ipſamet Præfatio quam diſerte tradit Textum recognitum haud in omnibus eſſe authenticum & canonicum, quum prodit inter cætera: in recognitione præfati Textus multa conſulto mutata non eſſe, quum mutanda videbantur.

Contra. Si præfata inſtantia alicujus erit penſi, plane Textus correctus nulla ex parte canonicus erit & authenticus; quandoquidem ad placitum adverſariorum non eſt authenticus vi conſtitutionis Sixtinæ, quia hæc minime propoſita

&

& publicata; non vi conſtitutionis Clementinæ; utpote ad rem typographicam unice attinentis; neque tandem vi Præfationis, quia hæc tantam auctoritatem non habet; ergo nullimode erit authenticus, neque quoad omnes, neque vel quoad unam particulam. Itane? ergo præceptum Concilii de emendatiſſima impreſſione illius Vulgatæ quam declaravit authenticam nondum a S. Sede impletum erit: ergo tam Sixtina conſtitutio, quam Præfatio perperam affirmant, Textum correctum eſſe eam Editionem, quam Concilium Tridentinum authenticam declaravit: ergo quantum ſpectat authentiam præfati Textus nihil certe boni, nihil penitus frugi S. Sedes nobis hucuſque attulit; tametſi impenſis non pepercerit, non laboribus, non vigiliis ad hoc ut decretum PP. Tridentinorum executioni mandaret, ac utilitati S. Eccleſiæ provideret: ergo ſine ulla penitus neceſſitate vel utilitate Sixtus & Clemens gravibus pœnis interdixerunt, ne Textus correctus vel quoad minimam particulam augeretur, imminueretur, vel mutaretur. Dicam plus: oportebit & noſtras quoque demus manus Hæreticis oblatrantibus, haud majoris auctoritatis eſt Textus a Romanis correctus, ac ab aliis viris doctis ſive Pontificiis, ſive ex Proteſtantibus: nec finis, Clemens XI. quam ſolemniſſime erravit, quum in percelebri conſtitutione *Unigenitus* teſtatur, præfatum Textum ab omnibus Orthodoxis pro authentico habendum: apage hujuſmodi laſſas ineptias, quæ profecto non ſine cruciatu a viris cordatis audiri poſſunt. Verum ut directius incumbamus ad operam, *primum* adverſariorum momentum potius occaſionem præbet rem amplius reſtaurandi: nonne Clemens VIII. in ſuo diplomate conceptis verbis pronunciat, Textum vulgatæ Editionis eſſe ſummis laboribus ac vigiliis reſtitutum, quam accuratiſſime mendis expurgatum, & ita emendatum ex Typographia Vaticana in lucem emiſſum? nonne hæc unice implenda flagitabant Patres Tridentini? quomodo ergo iſthæc Clemens in ſuo diplomate impleta obteſtans ac pro-

 nun-

Digitized by Google

nuncians, non aperte & tanquam ex ſacro Tribunali non declarat, Textum correctum eſſe authenticum & canonicum, illum nimirum quem pro authentico habendum PP. Tridentini in Spiritu S. decreverunt? *Item*, ſi Clemens in ſuo diplomate tam diſerte agit de re typographica, ut gravibus pœnis temporalibus & ſpiritualibus eo ipſo incurrendis percellat tum Typographos, qui auderent recudere præfatum Textum vel quoad minimam particulam diſcordantem ab exemplari Vaticano, tum alios qui Textum diſcordantem aut venderent, aut venalem haberent, aut quovis modo evulgarent, quomodo ex ſacro Tribunali non declarat, præfatum Textum eſſe authenticum quoad omnes & ſingulas particulas, prout nimirum PP. Tridentini eundem Textum, tunc temporis apud Latinos codices collective ſumptos jacentem, ſolemniter comprobarunt (a)? Oppones, ſi ita res ſe habet, cur clarioribus verbis id Clemens non expreſſit in Diplomate? Reponam, quia ſicut dubium unice emergebat non circa authentiam vulgatæ Editionis, cui ſatis ſuperque proſpexerant PP. Tridentini, ſed de exemplo quod fideliter eam repræſentaret quoad omnes ſingulaſque particulas, ita ſatis habuit in ejus Diplomate pronunciare, Textum vulgatæ Editionis eſſe quam accuratiſſime mendis expurgatum, ac diligenter præcavere ne in poſterum vel quoad minimam particulam corrumperetur; atque ita penſiculate perpenſo Clementis diplomate liquet, Clementem quoad auctoritatem Bibliorum ratum habuiſſe ſuoque calculo roboraſſe, immo ſumma cum laude perfeciſſe totum id quod Sixtus probe intenderat, ipſa præfatione id probe animadvertente: *ſub initium Pontificatus Clementis VIII. . . ., opus in quod Sixtus intenderat, Deo bene juvante perfectum eſt*. *Ad ſecundum*, res certe mirabilis! magni faciunt adverſarii auctoritatem Præfationis, quum perperam credunt teſtimoniis illius nos noſtraque illudere,

(a) *Recole quæ explicavimus num. 628. & ſeq.*

Digitized by Google

re, & confodere; quum vero ejuſdem Præfationis ponde re ſentiunt ſe premi & calcari, minime dubitant auctori tati ejuſdem captioſe detrahere. Cæterum apud Scriptores Clementini ævi & eruditos noſtræ ætatis receptiſſimum eſt, V. Bellarminum Clementis VIII. mandato Præfationem compoſuiſſe; *item*, exceptis iis quæ acciderunt poſt obitum Sixti V., allegata Præfatio aliud ferme non videtur compleɛti, & referre quam ſummam eorum, quæ continentur in conſtitutione Sixti relate ad auctoritatem correcti Textus; *item*, in omnibus Editionibus ejusdem Textus uſque ad præſentem diem præfixa ea conſpicitur; *tandem*, viri docti magnam ſemper illius habuerunt rationem, itaut Natalis ab Alexandro eam agnoverit tanquam diploma ejuſdem Papæ Clementis (*a*); cujus ergo apud viros æquos auctoritatis illa eſſe debeat, tuum eſto judicium. Demus tandem, illud teſtimonium Præfationis, quod nuper & alibi protulimus, vix Clemente annuente fuiſſe deſcriptum, quid tum? ut modo dictum eſt Præfatio hac in parte fideliter reſpondet Concilio Tridentino, nec non diplomatibus Sixti V. & Clementis VIII.; incaſſum itaque confugitur ad illam animadverſionem de Pontifice *annuente*, & non *jubente*. *Ad additum*, quum nobis infra objicientur ſententiæ ex Præfatione petitæ, pro ingenii modulo incumbemus.

781. TERTIO Rationibus Theologicis. *Primo*, Illa certe Biblia delegit & declaravit Romana Eccleſia tanquam Scripturam authenticam & canonicam quoad omnes & ſingulas particulas, quæ complectuntur illam penitus vulgatam Editionem, quam Synodus Tridentina pro authentica habendam ſtatuit; atqui ex dictis tam Sixtus V. in ſuo diplo-

(*a*) At omni exceptione majora ſunt ipſius Clementis VIII. Pontificis verba in Diplomate Præfationi ſuæ editionis emendatæ præfixo. *In hac*, inquit, *vulgata editione viſa ſunt nonnulla mutanda, quæ conſulto mutata non ſunt*. *Alexand. ſec. IV. Hiſt. Eccleſ. Diſſer. XXXIX. Artic. V. Tom. IX. p.* 206.

Digitized by Google

plomate, quam Præfatio teſtantur, Biblia juſſu Sixti V. recognita eſſe quoad omnes & ſingulas particulas illam vulgatam Editionem, quam Tridentina Synodus ſtatuit pro authentica habendam; ergo &c. *Secundo*, Tridentina Synodus illa Biblia declaravit habenda fore pro authenticis, quæ repræſentant vulgatam Editionem ab omnibus mendis quam accuratiſſime expurgatam, & impreſſam; atqui Clemens VIII. in ſuo diplomate teſtatur, Textum vulgatæ Editionis eſſe quam accuratiſſime expurgatum & impreſſum (*a*). *Tertio*, Illa Biblia a Romana Eccleſia delecta ſunt & declarata tanquam Scriptura &c., quæ ideo ab eadem inhærente PP. Tridentinis fuerunt propoſita fidelibus; ut eiſdem tanquam authenticis uterentur in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus; reipſa ab univerſis Eccleſiis orthodoxis ita conſecrantur, & tandem eadem R.Eccleſia paſtorali ſollicitudine caute invigilat, ut præfatus Textus inviolabilis conſervetur, ac in ſolio authentiæ perpetuo cuſtodiatur; atqui hæc omnia apprime verificantur de Bibliis juſſu Sixti V. recognitis, ac auctoritate Clementis VIII. editis; ergo &c. Non fugit hujuſmodi ſtrictim prolata momenta ab adverſariis ingenti cavillorum farragine infirmari, illudi, & opprimi; ſed conſolamur quum conſcientia nobis teſtimonio eſt, eorundem cavillorum, quos vel legere, vel audire, vel proprio marte perſcrutari datum fuit, nullum pro comperta ingenii modicitate intactum & inſolutum hactenus dimiſiſſe.

782. POSTREMO ſublevamur, quum eoſdem, qui Orthodoxi ſunt, haud facili negotio extricari poſſe credimus ab auctoritate celeberrimæ Bullæ *Unigenitus*, in qua Clemens XI. damnatis 101. propoſitionibus excerptis ex perniciosiſſimo Libro *Le Nouveau Teſtament* Paſchaſii Queſnel,

(a) *Licet etiam in Editionem Vaticanam an. 1592. irrepſerint nonnulla menda typographica, ſed quum fuerint ſub eodem Clemente caſtigata, uti patet ex capite Prodromo Operis, peroptime verificatur, Textum vulgatæ Editionis fuiſſe ſub Clemente quam accuratiſſime impreſſum.*

nel, *Quod*, ita pergit (*a*), *intolerabilius eſt*, *ſacrum ipſum Novi Teſtamenti Textum damnabiliter vitiatum* (in præfato libro) *comperimus* , *&* *alteri dudum reprobatæ verſioni Gallicæ Montenſi in multis conformem*; *a vulgata vero Editione*, *quæ tot ſeculorum uſu in Eccleſia probata eſt* , *atque ab Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet*, *multipliciter diſcrepantem* , *&* *aberrantem* , *pluriesque in alienos* , *exoticos* , *ac ſæpe noxios ſenſus non ſine maxima perverſione detortum*. Certum eſt Clementem XI. nomine vulgatæ Editionis intelligere Biblia juſſu Sixti V. recognita , & auctoritate Clementis VIII. edita , itaut nonniſi amens vel temerarius poterit id in dubium revocare ; ſed idem Pontifex teſtatur, quod vulgata Editio *ab Orthodoxis omnibus haberi debet pro authentica* ; ergo nulli dubium eſſe debet R. Eccleſiam delegiſſe & declaraſſe præfata Biblia tanquam Scripturam authenticam ; ſubſumo, ſed non alia occaſione Clemens XI. illud teſtatur , niſi quia in Queſnelliano Libro uſurpantur verba N. Teſtamenti multipliciter diſcrepantia & aberrantia a verbis vulgatæ Editionis correctæ , nec non exhibet ſenſus non ſine maxima perverſione detortos; ergo teſtimonio Clementis XI. apud celeberrimam Conſtitutionem *Unigenitus* liquet, Eccleſiam Romanam delegiſse & declaraſse vulgatam Editionem correctam , tanquam Scripturam quoad omnes ſinguloſque ſenſus & verba authenticam & canonicam. *Reſtauratur*, quoties R. Eccleſia non delegiſset nec declaraſset vulgatam Editionem correctam, tanquam Scripturam quoad omnes ſinguloſque ſenſus & verba authenticam , toties diverſitas illa quorundam ſenſuum & verborum , quæ intercedit inter Vulgatam correctam & N. Teſtamentum Gallicum tum Montenſe tum Queſnellianum , nullimode excitare & impellere potuiſſet Eccleſiam R. ad utrumque ſolemniter reprobandum & prohibendum : verum enim vero tam Montenſe quam Queſnel-

(a) *Apud Bullar. Rom. Tom. X. part. 1. p. 344. col. 2.*

Digitized by Google

nellianum non in omnibus, ſed vix aliqua ex parte, & in quibuſdam minutis diſcrepant a ſenſibus & verbis Textus Latini correcti: quare in ſecunda Præfatione N. Teſtamenti Montenſis, cui interdum concordat N. Teſtamentum P. Queſnel, hæc præmonentur: *Verſionem Latinam ſectatur noſter Contextus . . . & quum illa differt a Græco cujus ſenſus pauciſſimis exceptis locis margini adſcribitur*: quum ergo ob pauciſſima iſtiuſmodi loca in quibus Montenſe & Queſnellianum N. Teſtamentum diſcrepant a vulgata Editione correcta, ſibi meruerint graviſſimam ſolemnemque Eccleſiæ R. damnationem, manifeſte apparet, Biblia juſſu Sixti V. recognita, & auctoritate Clementis VIII. edita, judicio & ſententia Romanæ Eccleſiæ delecta eſse & declarata, tanquam ſacram Scripturam quoad omnes ſingulaſque particulas authenticam & canonicam.

§. III.

Infirmantur poſtremi famoſiores Adverſariorum niſus.

783. *Objic. I.* Romana Eccleſia non propoſuit Fidelibus Textum correctum vulgatæ Editionis tanquam Scripturam abſolute emendatam & authenticam, ſed duntaxat comparate: in quantum ſcilicet præ cæteris Editionibus, quæ aduſque illum diem prodierunt, pro correctiori haberetur, ac eiſdem præferretur in privatis publiciſque lectionibus, diſputationibus, expoſitionibus, & prædicationibus. Quod quidem diſerte eruitur ex eadem Præfatione ſic habente: *In tanta re* (hoc eſt Bibliorum recenſione) *nulla poteſt eſſe nimia diligentia;* & infra, *Accipe . . . . veterem, ac vulgatam ſacræ Scripturæ Editionem, quanta fieri potuit diligentia caſtigatam*: tam igitur ſuapte rei natura, in qua nulla eſse poteſt nimia diligentia, quam ipſo facto Præfatio ſuadet & teſtatur, nobis eſse a R. Eccleſia propoſitum Textum Bibliorum caſtigatum & correctum diligentiā non qui·

quidem abſoluta & metaphyſica, quanta omnino poſſibilis eſſet, ſed morali quanta nimirum illo tempore, illo loco, per illos viros doctos, & cum illis opportunitatibus, & adjumentis adhiberi potuit: itaut ſi alio tempore, aut loco, per alios doctos, plus tandem quiddam opportunitatis & adjumenti accedat, minime denegatur exactiorem Editionem elucubraturam: *Quam*, apprime ſubdit Præfatio, *quidem* (Textus correcti Editionem) *ſicut omnibus numeris abſolutam, pro humana imbecillitate affirmare difficile eſt, ita cæteris omnibus quæ ad hanc uſque diem prodierunt EMENDATIOREM PURIOREMQUE eſſe minime dubitandum;* Biblia igitur correcta ex judicio ejuſdem R. Eccleſiæ conſtat, probata eſſe non abſolute & ſimpliciter, ſed comparate.

Reſpond. denegando aſſumptum, ad cujus probationem allegata Præfationis teſtimonia eo unice tendunt, ut cuique innoteſcat negotium Scripturarum rite deligendarum ſpectatis nudis humanis præſidiis eſſe operis nimis ardui, perdifficilis, immo metaphyſice impoſſibilis; non autem quod Textus correctus vix comparate ad præcedentes Editiones habendus ſit pro correcto & authentico. *Primum* eſt abſolute verum, apprime concordat cum depromptis hucuſque noſtris principiis ad rem facientibus, quæque diſertius latiuſque reſtaurantur eiſdem ſententiis nuper ex Præfatione petitis. Probe equidem aſſeritur, *In tanta re nulla poteſt eſſe nimia diligentia*, quum recentes Regulæ ſacræ Critices, quarum adjumento hujuſmodi palæſtra hodie exercetur, ſubleſtæ ſint, incertæ, ambiguæ, & interdum a ſcopo potius avertant (*a*). Ita quoque ſpectatis hiſce nudis humanis præſidiis jure meritoque in Præfatione additur, Textus correcti Editionem *quoad fieri potuit* fuiſſe diligenter caſtigatam; & tandem ſiſtendo intra limites humanæ imbecillitatis haud facile affirmari poſſe, eam eſſe omnibus nume-

(a) *Id affatim oſtenſum eſt Cap. V. prima Demonſtrat. per tot.*

ris abſolutam, ſed vix *cæteris omnibus quæ aduſque illum diem prodierunt emendatiorem purioremque eſſe minime dubitandum*. At hæc, ut diximus, intelliguntur ſiſtendo intra limites humanæ imbecillitatis, quæ quidem clauſula non modo ex ipſa rei natura neceſſario ſubaudienda eſt *(a)*, verum etiam in ipſamet Præfatione animadvertitur, quum ſit mentio humanæ imbecillitatis. *Secundum* eſt abſolute falſum quod triplici via ſuadebitur, teſtimoniis nimirum Præfationis, utriuſque R. Pontificis Sixti V. & Clementis VIII., & perpetuo R. Eccleſiæ judicio.

784. Præfatio habet: *In hac Editione nihil non canonicum, nihil adſcititium, nihil extraneum apponere viſum eſt*. Si enim R. Eccleſia non propoſuit Fidelibus Textum correctum tanquam Scripturam abſolute emendatam & canonicam, ſed vix comparate ad Editiones quæ aduſque illum diem prodierant, plane inferetur, illas omnes lectiones & voces quæ in correcto Textu habentur, & in futurum erunt ad voluntatem adverſariorum diligentius caſtigatæ, minime eſſe canonicas, ſed abſolute adſcititias & extraneas, atque ita juxta eorum hypotheſim perperam in Præfatione aſſeritur, *In hac Editione nihil non canonicum &c.*; quum particula negativa ad normam Dialectices hic conditionem habeat malignantis naturæ, quæ nihil penitus prædicati ſinit communicari ſubjecto; & per conſequens niſi velimus flocci facere auctoritatem Præfationis, ejuſdem ſane teſtimonio confoditur adverſariorum captioſa interpretatio de approbatione non abſoluta ſed relativa. Si oppoſueris in Præ-

(a) *Eodem divino Spiritu quo Scripturæ per Prophetas & Apoſtolos prodierunt, oportet dignoſcantur ab adſcititiis, rite interpretentur, & intelligantur; itaut nemo ex dictis num. 477. idoneus ſine peculiari Spiritus Sancti flatu ad easdem ſive litteraliter, ſive ſpiritualiter expendendas, & multo minus ad exacte perpoliendas. Quare LXX. Seniores, primum Latinum interpretem, B. Hieronymum, Patres Tridentinos, & tandem Sixtum V. divino præſidio fultos incubuiſſe Scripturis alias oſtendimus; ſicque ſpectatis nudis humanis præſidiis exacta Bibliorum recenſio ſuapte natura eſt abſolute impoſſibilis.*

Præfatione non haberi, *In hac Editione nihil non eſt canonicum*; bene vero, *nihil non canonicum apponere viſum eſt*, ſcito, *τὸ viſum* minime eo loci ſignificare animum dubium, ſed rectitudinem & æquitatem lati judicii, eo prorſus modo, quo *viſum* in ſanctis Scripturis ita univerſaliter uſurpatur (*a*). Accedamus ad diplomata Sixti V. & Clementis VIII., quorum certe auctoritati hac in parte eſt primo potiſſimumque inhærendum. Sixtus inquit, *Latinam Editionem, quæ pro Authentica a Concilio Tridentino recepta eſt, ſine ulla dubitatione aut controverſia cenſendam eſſe banc, quam nunc . . . emendatam . . . . evulgamus*: poſito autem quod præfata Editio non abſolute, ſed vix comparate ad præcedentes Editiones probata eſſet, hæc Sixti declaratio omnino ruat neceſſum erit; quoniam ſicut ad voluntatem adverſariorum dari poſſunt in futurum Biblia magis correcta & expurgata, ita cuique de conſequenti dabitur facultas dubitandi & diſceptandi, utrum Biblia ab Apoſtolica S. Sede recognita & edita cenſenda ſint illa, quæ fuerunt a Concilio Tridentino recepta: & quoniam compertum eſt a Concilio recepta eſſe Biblia magis correcta, ideo ſicut adverſarii ſibi promittunt conficere Biblia correctiora, ita declaratio Sixti abſolute habenda foret pro ſolemni mendacio, vel craſſo errore; quod quippe delirium nonniſi Proteſtantem, aut Janſenianum non pudebit admittere. Pergit Clemens obteſtans, *Bibliorum vulgatæ Editionis Textus . . . reſtitutus, & quam accuratiſſime mendis expurgatus*: quomodo autem habendus erit pro accuratiſſime expurgato in hypotheſi, quod ab eodem Clemente probatus eſſet non abſolute, ſed relative ad præ-

 ce-

(a) *Eccleſiaſtes V.v.* 17. Hoc itaque viſum eſt mihi bonum, ut comedat quis & bibat, & fruatur lætitia ex labore ſuo. *Lucæ I.* 3. Viſum eſt & mihi . . . ex ordine tibi ſcribere, optime Theophile. *Act. Apoſt. XVIII.* 28. Viſum eſt enim Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc neceſſaria. *Et v.* 34. Viſum eſt autem Silæ ibi remanere.

cedentes ſolummodo Editiones ? adverbium ſuperlativum, ut eſt illud *quam accuratiſsime*, omnibus ſui generis comparatum ſuper ponitur; Clemens itaque in ſuo diplomate taliter probavit Textum Latinum juſſu Sixti V. recognitum, ut omnem penitus ejuſdem Vulgatæ Latinæ perfectiorem Editionem elucubraturam denegarit. *Addas*, eadem animi explorata ſententia, eodemque Pontificio calculo Sixtus V. & Clemens VIII. graviſſimis pœnis interdixerunt pro futuris temporibus impreſſionem, & evulgationem Textus Latini vel quoad minimam particulam diſcordantis a præfatis Bibliis recognitis: ſi autem utriuſque Pontificis voluntas fuit iſta probare vix comparate ad præcedentes Editiones, ut quid tam ſolemniter, tam graviter interdixerunt quamlibet Editionem ſub quovis prætextu edituram, quæ ab illis vel quoad minimam particulam diſcordaret? quomodo non inferemus doctrinam de approbatione relativa ad præcedentes duntaxat Editiones, ex diametro non adverſari diplomatibus Sixti & Clementis; & inſuper facultatem revocandi ad novam criſin integritatem & authentiam Bibliorum recognitorum ex tunc non eſſe extinctam apud omnes ſinguloſque Fideles quantumvis doctrina & auctoritate conſpicuos? Non alio certe ſcopo adverſarii præfatæ doctrinæ inhærent, niſi ad effectum iterum caſtigandi Textum ab Apoſtolica S. Sede emendatum, & ſic noviſſime emendatum imprimere, & evulgare pro exemplari magis correcto & exacto; ſed hujuſmodi exemplar quovis modo, & quacunque de cauſſa diſſentiens ab illo Sixtus & Clemens omni ſolemniori formula & in perpetuum prohibent: immo Clemens ſtatuit, ut in omnibus ſinguliſque Bibliorum voluminibus in perpetuum excuſuris, tranſumptum ſui Diplomatis imprimeretur; quoniam hac lege facilius pœnæ tranſgreſſoribus fulminatæ innoteſcunt, nec allegari poteſt titulus deſuetudinis, oblivionis, vel ignorantiæ. *Volumus*, inquit, *ut præſentium tranſumptis etiam in ipſis voluminibus impreſsis eadem, in judicio, & extra, fides ubi-*

bique adhibeatur &c., quod quidem uſque hodie religioſe cuſtoditum eſt. Eodem tandem confluit conſtans perpetuumque judicium R. Eccleſiæ, quæ a Clemente VIII. aduſque præſentem diem nuſpiam paſſa eſt vel unam voculam ex Textu correcto ejus auctoritate immutari; & inſuper quemadmodum deprehendit quoſdam refractarios audacius & licentius reſiſtere allegatis diſpoſitionibus Sixti V. & Clementis VIII., ita validius atque ſolemnius petulantes conatus interclusit. Quo certe pacto ſuppreſſit verſionem Arabicam a Bibliis Latinis correctis diſſonantem, ligavit variis cenſuræ notis pleroſque Libros, Tractatus, Prolegomena, aliaſque Editiones ad idem facinus tendentes, & tandem celebri conſtitutione *Unigenitus* gravi ſtigmate perculſit Novum Teſtamentum Gallicum Paſchaſii Queſnel: unde dicere auſim, allegatam adverſariorum doctrinam de approbatione relativa Bibliorum recognitorum hodie habendam pro futili, convulſa, ac Eccleſiaſtica cenſura minime carentem.

785. Quod vero in cauſa eſt, ut adverſarii damnabiliores ſe ſe prodant illud equidem eſt, quod quum innixi teſtimonio Præfationis prædicant commendantque, negotium Scripturarum ſeligendarum eſſe operis perdifficilis, ac nimia diligentia omnino expertis, ſe ſe poſtea Editionem Bibliis a S. Sede recognitis perfectiorem exactioremque edituros confidenter ſpondent, perinde quaſi idem difficultatis pondus ipſi minime ſubeant. Si enim hoc in negotio nulla eſſe poteſt nimia diligentia, qua lege audent pro certo & indubitato venditare quaſdam exoticas lectiones & voces tanquam germaniores iis, quæ in præfatis Bibliis habentur? Ex diligentioribus obſervationibus & ex opportunioribus adjumentis ſe id animadvertiſſe certo reponent; ſed prætermiſſa hujuſmodi frigida jactantia, quæ facile ex dictis revinci poteſt, id unum velim nobis definiant: ille lectiones & voces, quas teſtantur diligentius hauſiſſe, quaſque reipſa præponunt reſpectivis lectionibus & vocibus Bibliorum

rum a S. Sede recognitorum, ſuntne omnibus numeris abſolutæ vel non ? ſi primum , ergo perperam nobis opponunt illud Præfationis, in tanta re nulla eſſe poteſt nimia diligentia, & quod difficile ſit affirmare editionem aliquam eſſe omnibus numeris abſolutam, quum ab hujuſmodi obſtaculis eorum obſervationes facto abſolvant: ſi ſecundum, ergo temere accuſant quaſdam lectiones & voces Bibliorum recognitorum venditantes pro mendis certis & indubitatis, propter illas ſuas lectiones & voces, quas nec ipſi habent pro omnibus numeris abſolûtas. *Addas* , quum adverſarii haud contenti ſint Bibliis recognitis , nec eaſdem ſuas lectiones & voces agnoſcant pro abſolute exactis & perfectis, plane per ipſos non ſtat quominus auferatur a nobis illud peculiare beneficium largitum Hebræis olim habentibus Scripturas divinas ſecundum ſenſum & verba omnibus numeris abſolutas . Videas igitur optarim , quomodo adverſarii nullimode ſibi conſtant , nihil inveniunt quo ſolidentur, non intelligunt foveas quas ſibi parant, nec ſentiunt ſcopulos quibus offendunt, & quum ſapientiores videri volunt, nullius ferme ſyſtematis homines eſſe convincantur. Nos e contra gratis animis auſcultamus Præfationem teſtantem, quod in Scripturis deligendis nulla eſſe poſſit nimia diligentia , dari editionem aliquam omnibus numeris abſolutam pro humana imbecillitate difficile ſit affirmare , quoniam eodem divino ſpiritu , quo Scripturæ primo prodierunt , opus eſt reparentur & intelligantur : atque ita ſicut humana Ratio quantumvis naturalibus adjumentis roborata , circa revelata , ut ſunt divinæ Scripturæ , vix confluit ut ancillula & pediſſequa , ſic nec valet in Scripturis deligendis & interpretandis nimiam adhibere diligentiam , nec affirmare Editionem aliquam eſſe omnibus numeris abſolutam. Quum vero ex eiſdem Scripturis & Traditione noſtrorum procerum ſciamus, R. Eccleſiam hoc in themate frui peculiari Spiritus Sancti directione , ſicque falli neſciam; quumque inſuper ex dictis & dicendis con-

ſtare

ſtare opinemur, eandem Eccleſiam delegiſſe & declaraſſe Biblia, quibus hodie utimur, tanquam Scripturam quoad omnes ſingulaſque particulas ſinceram & canonicam, ideo hiſce principiis edocti & innixi, hilari animo captivamus intellectum noſtrum, plenam fidem alligantes nuper prolatis teſtimoniis Sixti V., Clementis VIII., & ejuſdem Præfationis, quibus excitamur ad ſentiendum & tenendum, in Bibliis juſſu Sixti V. recognitis editiſque ſub Clemente nihil penitus reperiri non canonicum, nihil extraneum, nihil adſcititium, in quantum ſcilicet non humana voluntate, ſive nudo præſidio humanæ diligentiæ ea nobis allata eſse credimus, ſed quod Spiritu Sancto inſpirati Sixtus V. ea perpolierit, Clemens VIII. eadem ediderit, & S. Dei Eccleſia aduſque præſentem diem ab iniquis aggreſſoribus cuſtodierit. Licet Apoſtolica S. Sedes ut fidem & obſequium ſuorum Bibliorum recognitorum rationabilia redderet, & inſuper in eiſdem deligendis digna efficeretur ſibi promiſſa Spiritus Sancti aſſiſtentia, nihil profecto humanæ diligentiæ prætermiſerit, multorum annorum curriculo perarduo negotio incubuerit, adhibuerit probatos Theologos, viros linguarum peritos, codices vetuſtos & melioris notæ; ipſe autem Chriſti Vicarius ac B. Petri ſucceſſor Sixtus V., invocato Dei auxilio, & Apoſtolica auctoritate confiſus, inter variantes lectiones & voces ſibi a Correctoribus propoſitas ex certa ſcientia & matura deliberatione germanas canonicaſque delegit, ſtatuit, & declaravit: & per conſequens extra chorum adverſarii certe cantant, quum hac in parte ſaturati ſtercoribus Proteſtantium, qui quum Fidem Chriſti profitentur inſcitiſſime & pro more Ethnicorum contendunt ſolo humanæ rationis adminiculo revelata Religionis aſſequi & rimari, non aliter ferme loquuntur & ſentiunt de Bibliis juſſu Sixti V. recognitis & impreſſis ſub Clemente VIII., ac ſi recognita & edita forent a quovis alio privato Doctore de populo. O ignaviam! o impudentiam! o ſtultitiam!

786. *Objicies II.* Si Biblia recognita eſſent a R. Eccleſia Fidelibus propoſita ut Scripturæ Textus quoad omnes & ſingulas particulas authenticus & canonicus, tunc nihil certe in præfatis Bibliis reperiretur quod vitioſitatem ſpiraret; ſed oppoſitum multiplici ex capite eruitur. *Primo*, teſtimonio ejuſdem Præfationis monentis, pleraque in Textu correcto fuiſſe a RR. Correctoribus conſulto relicta, quæ mutanda videbantur: *In hac tamen pervulgata Lectione, ſicut nonnulla conſulto mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, conſulto immutata relicta ſunt*. *Secundo*, nonnullæ voces & interpunctiones vitioſæ, quæ irrepſerant in Biblia Vaticana etiam edita ſub Clemente VIII., caſtigatæ inveniuntur in poſterioribus eorundem Bibliorum recognitorum Editionibus: in Bibliis enim impreſſis 1592. legitur Geneſ. XIX. v. *6. hoſtium*; Exod. VIII. 26. *Deo noſtro?* Levit. XVIII. 27. *Omnis*; I. Reg. III. 12. *ſuper donum ejus*: in Bibliis autem hodiernis rectius habetur, *oſtium*, *Deo noſtro*, *Omnes*, *ſuper domum ejus*. *Tertio*, pleraque alia in eiſdem corrigenda ſuperſunt, utpote quæ complectuntur vel contradictionem, vel errorem, vel nimiam obſcuritatem, vel tales barbariſmos & ſolæciſmos, ut ab eiſdem aures Latinorum abhorreant. *Quarto*, ea lectio habenda eſt pro authentica & divina, quæ Spiritum S. agnoſcit auctorem; quum autem Spiritus S. ore Prophetarum & Apoſtolorum uno modo locutus fuerit, & in Bibliis recognitis res eadem quandoque variis dicendi formulis exponatur; uti conſtat de verbis conſecrationis calicis ab eodem Chriſto prolatis, aſſeramus oportet, non omnes eas lectiones authenticas eſſe & canonicas. *Quinto*, ſi Textus correctus quoad ſingula verba erit authenticus, quoad ſingula etiam complectetur Spiritus Sancti verba; ergo nullum penitus erit diſcrimen inter Scriptores canonicos & RR. Correctores, ſive Sixtum V. ſaltem quoad illa verba, quæ ab iſtis ſubſtituta fuerunt. *Tandem*, multo pluribus prætermiſſis, ſequeretur etiam diviſionem divino-

rum

Digitized by Google

rum Librorum in capita & verſiculos eſſe divinam & canonicam, tametſi certo conſtet præfatam diviſionem nec a Scriptoribus canonicis, nec a Septuaginta ſenioribus, nec a primo Latino interprete duxiſſe originem, ſed vix a Theologis ſcholaſticis: unde doctiſſimus Salmeron Prolegom. IX. intrepide affirmat, diviſionem Biblicorum Librorum in capita, & verſiculos, ſive in tot & non plura vel pauciora, utpote recentem mutari poſſe.

787. *Reſpond.* conc. maj. & neg. min. Quantum ſpectat *primam probationem* memoriæ commendentur ea, quæ expoſuimus nu. 657. & 658., quibus quidem penſiculate perpenſis non modo eruitur, adverſarios perfunctorie & oſcitanter gloriari allegato Præfationis teſtimonio, ſed inſuper opportune inſtruimur, quam digniſſime & diligenter Apoſtolica S. Sedes in hoc negotio inhæſerit ſenſibus & judiciis Eccleſiæ veteris, ipſa quoque in omnibus & quoad omnia hiſce poſtremis temporibus ratam habens, atque celebrans Hieronymianam verſionem, in qua licet nonnulla videantur non abſolute ſed relative mutanda, quia tamen Hieronymus ad Scripturas reparandas divinitus excitatus, vix ea conſulto mutavit apud veterem Italam, quæ Hæreticorum pravitate aut ſciolorum temeritate irrepſerant, conſulto quoque relinquens intacta quæ ab Antiquis edita fuerant, ac antiquitus lecta, hoc ipſum Apoſtolica S. Sedes innovatum voluit, roboratum, & confirmatum, ea duntaxat adcurate caſtigando apud vulgatam Editionem, quæ recentiorum Hæreticorum malitia & ingeniolorum temeritate obrepſerant.: ea vero quæ Hieronymus conſulto immutata reliquit, & a veteri Eccleſia religioſe recepta fuere & conſecrata, ipſa quoque conſulto mutare noluit, eandem penitus fidem concilians eiſdem, ac tot retro ſeculis obtinuerant. *Ad ſecundam*, ea loca Bibliorum an. 1592., quæ in hodiernis Bibliis caſtigata reperiuntur, haud RR. Patribus tribuenda ſed Vaticano Typographo, uti cuique datum eſt affatim intelligere ex capite Prodromo

Digitized by Google

noſtri operis. *Ad tertiam*, pro ſuperfluo habemus hic repetere, quam perperam & incaſſum nonnulli minus periti inſimulent Biblia a S. Sede recognita nonnullarum contradictionum, vel errorum, vel orationis obſcuræ, vel vitioſæ, quum de hiſce emendicatis prætextibus ſat egerimus n. 545. 650. 651. 658. *Quarta* ſuaſioni opponimus prolata n. 646. & ſeqq. *Ad quintam* quid reponendum veniat patet ex dictis n. 584. 625. & alibi paſſim. Non enim Apoſtolica S. Sedes novas condidit Scripturas, neque ex fontibus eas noviter expreſſit; ſed ut olim Hieronymus peculiari vocatione a Deo excitatus Textum Latinum perfectiſſime reparavit, ſic illa Spiritus S. præſidio roborata priſtino nitori eundem Textum reſtituit: unde verba in hodiernis Bibliis ex vetuſtis probatiſque exemplaribus, loco mendorum quæ irrepſerant, a S. Sede ſubſtituta, divina ſunt & authentica, tum quia autographis Prophetarum & Apoſtolorum ſunt conſentanea, tum quia in Spiritu S. ab aliquo vel aliquibus Apoſtolorum, vel Apoſtolorum diſcipulo aut diſcipulis latino ſermone primum edita, tum quia pro ratis habita a primitiva Chriſti Eccleſia, tum a Hieronymo pro genuinis agnita, a Concilio Tridentino probata, & tandem ab ipſamet S. Sede pro authenticis declarata.

788. Circa poſtremum momentum (*a*), licet uſus diſtinguendi divinos Libros in capitulos & verſiculos, quemadmodum in Bibliis recognitis cernimus, tribus circiter ab hinc ſeculis invaluerit; verum quod res & ſignificatum

(a) *Aliis profecto ſexcentis propemodum cavillis pro more habent adverſarii ſuadere vitioſitatem Latini Textus correcti; ſed quemadmodum ad confuſionem vitandam curavimus cum reſpectivis ſolutionibus ea redigere ad varias claſſes ex Triplici Biblico-Demonſtratione enatas, ita noſtram qualemcunque aſſertionem propugnandam nemo aſſumat velim, niſi prius conſectariorum huc facientium, quæque pro modulo hucuſque expoſuimus ſatis inſtructum ſe ſe agnoſcat. Omnes una voce confitemur hujuſmodi negotium hac noſtra potiſſimum ætate perdifficilis eſſe examinis atque judicii; cujus ergo audaciæ reprehendendus non erit qui vix primis hujuſcemodi rudimentis imbutus audacter ſe ſe ingerit, & pro more Præſidentis audet dirimere cauſſam?*

tum ipſis divinis Libris congenita ſint & coæva, neminem certe virum doctum latere debeat. Quemadmodum diſtinctio & numerus membrorum, quibus quodlibet naturale corpus conſtat, ipſam corporis organizationem conſociant, ita diſtinctio & numerus materierum, ſententiarum, verſuum, & verborum, quibus omnes Libri compaginantur, cum ipſis Libris in lucem prodeunt, licet extrinſecis ſignis generatim non deſcripta (*a*): quumque in omnibus corporibus potiſſimum moralibus ut ſunt Libri, diſtinctio, & numerus membrorum non eodem modo, ſed pro uniuſcujuſque ingenio & privato judicio definiri ſoleant, nihil itaque mirum quod Dei Eccleſia non diſſentiente nec contradicente, pro varietate temporum, locorum, & ingeniorum membra divinorum Librorum olim fuerint aliter, atque aliter diſtributa & enumerata (*b*). Quibus perſpe-

(a) *Exeipe divinos Bibliorum Libros quorum ſingulas materias, ſententias, verba, & etiam apices interdum veteres Hebræi, Græci, & Latini magis vel minus externis ſignis adnotarunt.*

(b) *Quid de re hujuſmodi elapſis ſeculis ante & poſt adventum Salvatoris geſtum fuerit, licet ſolitis fallacibus conjecturis ducti noſtri Critici pleraque venditent, definiantque; mihi tamen allubeſcit auſcultare Salmeronem, qui teſtimonio Libri Actuum Apoſtolorum & Hilarii fultus, probat, ab ipſis LXX. interpretibus fuiſſe Pſalmis adjectos numeros, & paulo poſt ita pergit, Proleg. IX. Canone XXII. p. 103. col. 2.* Quidquid autem ſit de hac opinione, illud conſtat, permulta ante ſecula per Septuaginta interpretes Biblia tranſlata in Græcam linguam cum commatis, & diſtinctionibus. Græci vero veteres, & Latini Patres pari diſtinctionum numero verſus diſtinxerunt, in quolibet verſu ſex dictiones, ſive monoſyllabas, ſive polyſyllabas ponentes, ut indicat Auguſtinus in Libro quem inſcripſit, *Speculum Scripturæ*, ubi pro uno verſu ſex dictiones, pro duobus duodecim, pro tribus decem & octo aſſignat. Atque hanc fortaſſis verſuum rationem expendens Hieronymus tradit, Origenem ſcripſiſſe in Cantica Canticorum verſus fere vigintimillia, & Nazianzenum opera ſua concluſiſſe verſibus triginta millibus, & Hilarium in Commentariis Pſalmorum ab Origene in Pſalmos verſus accepiſſe mille & quadraginta.... Judæi tamen non ſic diſtinxerunt verſus ſuos juxta numerum dictionum, ſed longiores, aut breviores... Juxta illum igitur dividendi morem a veteribus PP. uſurpatum Tacianus, Ammonius Alexandrinus, & Euſebius Cæſarienſis Evangelia in ſua capita diſtinxerunt, & Matthæum quidem in capita 353. Marcum in cap. 235. Lucam in cap. 343. Joannem

ſtum ſit, diſtinctionem divinorum Librorum in capita & verſiculos eſſe recentiorem quoad nos, non autem quoad rem & ſignificatum, quibus comitantibus Biblia concinnata fuere, & adſpexerunt lucem: atque ita ubi Biblia ab initio fuerunt in ſeipſis authentica, & canonica quoad diſtinctionem & numerum capitulorum & verſuum, talia evaſerunt etiam quoad nos, quum ab Apoſtolica S. Sede ſub certa & determinata diviſione capitulorum & verſuum recognita fuerunt, probata, & edita. Sat ex dictis Romanæ Eccleſiæ privilegium eſſe, ſine erroris periculo definire & declarare id, quod ad Fidem ſpectans ſuperioribus ſeculis ambiguum erat & obſcurum; & accedente ejuſdem Eccleſiæ judicio deſuper aliquo dubio, nemini in futurum licere eidem dubio miniſtrare fomenta, ſicut ante præfatum R. Eccleſiæ judicium permiſſum erat: conſtat quoque, Apoſtolicam S. Sedem pari diligentia incubuiſſe recognoſcendis & deligendis ſingulis ſententiis & verbis, ac deſignandis certis capitulis & verſibus divinorum Librorum: pari etiam auctoritate & ſub graviſſimis pœnis interdixiſſe impreſſionem & divulgationem exemplaris diſcordantis a Bibliis Vaticanis, tam quoad minimam particulam ſententiarum & verborum, quam capitulorum & verſuum; nulla itaque apparet convincens ratio, propter quam ab authentia Bibliorum recognitorum arceamus authentiam diviſionis in capita & verſus in eiſdem diligenter deſcriptæ. Minime peccavit Salmeron, quum ex recenti diviſione capitulorum & verſuum opinabatur eandem mutari poſſe, quia eo tempore ſcri-

in cap. 232.... Præter illos Hilarius Matthæi Evangelium diſtinxit in canones XXXIII. Chriſtianus Druthmarus in canon. XLVII. Apud Latinos recentiores in XXVIII. Juxta Suidam in titulos LXVIII. Capitula autem 355. ſicut Ammonius, Euſebius, Euthymius ſive Œcumenius in capita 68. Marcus juxta Latinos habet 16. capita. Græci apud Suidam partiuntur in Titulos XLVIII.... & in capita 55. Lucas vero juxta Latinos in capita 24. Œcumenius & Euthymius in cap. 83. Ambroſius in titulos CLXIII. Beda in cap. 92. Joannes a noſtris dividitur in 21. capita. Œcumenius, & Euthymius .... in 18. capita, vel Titulos.

Digitized by Google

ſcribebat, in quo nondum Apoſtolica S. Sedes de hujuſmodi varia ſentiendi & agendi ratione judicium tulerat (*a*): quinimmo optarim, ut omnes Theologi, qui meruerunt videre Biblia a S. Sede recognita, id reipſa ſenſiſſent, quod de eiſdem ſentire Salmeron paratus erat. Ex alias percenſitis optabat Salmeron videre Biblia a S. Sede recognita, ut videret pariter omnes Scripturarum ſtudioſos hiſce Bibliis, in unitate ſententiæ & pacis concordia cum maxima S. Eccleſiæ utilitate, religioſe obſequi & parere: & quod obſervatione dignius, licet tunc temporis Apoſtolicæ S. Sedis ſententia non ultimate illucebat, ac poſt publicationem correcti Textus; adhuc doctiſſimus & pius Salmeron non abſolute protulit, præfatam diviſionem in capita mutari poſſe, ſed cum clauſula, *ſi ratio, & auctoritas* (Eccleſiæ) *patrocinantur* (*b*); quid ergo dicendum ſit de quibuſdam recentioribus Theologis ſentientibus, Biblia recognita quoad diſtinctionem capitulorum & verſuum minime eſſe authentica, aliorum eſto judicium.

789. *Objicies III.* Ad eorum profecto Theologorum fidem hujuſmodi controverſiam dirimamus oportet, qui ſub Sixto V. & Clemente VIII. magnum ſibi doctrinæ nomen pepererunt, ac de judicio Romanæ Eccleſiæ quoad authentiam Bibliorum recognitorum præ cæteris magis inſtructi. Veterum enim geſta eo rectius clariuſque ad nos perveniunt, quo teſtimoniis eorum, qui præſentes vel quaſi præſentes fuerunt, innoteſcunt nobis; atqui plerique hujuſmodi Theologi amica conſenſione ac multipliciter refragantur datæ aſſertioni: Bellarminus ſcribens ad Lucam Brugenſem: *Si videro*, habet, *Textum ipſum certe in melius alicubi poſſe mutari, ſignificabo id Summo Pontifici, & Cardinalibus de-*

pu-

(a) *Salmeron primus Neapolitani Regni Jeſuitarum meritiſſimus Provincialis, lumina clauſit in hoc Neapolitano ejusdem Societatis Collegio die 14. Februarii 1585., ſex nimirum circiter annis ante publicationem Bibliorum a R. Eccleſia recognitorum.*

(b) *Salmer. cit. p. 104. col. 1.*

putatis. Sed tu ipſe plane vides, non facile hujuſmodi mutationes in Sacro Textu eſſe faciendas: quamvis utiliſſimum ſit, ut viri docti tum de variis lectionibus, tum de judicio peritorum hominum tui ſimilium admoneantur. Idem poſtquam viderat Lucæ Brugenſis Libellum de Correctionibus Romanis ſic iterum: *De Libello ad me miſſo gratias ago; ſed ſcias velim Biblia Vulgata non eſſe a nobis accuratiſsime caſtigata; multa enim de induſtria juſtis de cauſsis pertranſivimus quæ correctione indigere videbantur*. Alter e Romanis Theologis ejuſdem ævi data Epiſtola ad Nicolaum Serarium inquit: *Non eſt adempta a Summis Pontificibus ſacra Biblia corrigendi & perficiendi poteſtas ſi id fieri debere judicarint. Neque enim de Fide eſt, ita hanc Editionem eſſe emendatam, ut nihil in ea prorſus Pontificia auctoritate mutari queat*. Hiſce itaque teſtimoniis muniti Brugenſis & Serarius, primus non modo affirmat: *Perfectiorem reddi poſſe feliciter inceptam correctionem ſi acceſſerit Pontificis auctoritas*; ſed inſuper non obſtante publicatione Textus correcti immediate incubuit eidem perfectius perpoliendo, ediditque Libellum inſcriptum, *Romanæ correctionis &c.*, in quo exponit permulta menda, quæ in præfato Textu corrigenda ſuperſunt: & Serarius quam diſertiſſime in ejus Prolegomenis aſſerit probatque, poſſe adhuc alia menda in Bibliis Clementinis corrigi. Quis itaque ſibi ſuadere poterit, Biblia recognita eſſe ab Apoſtolica S. Sede delecta & declarata tanquam Scripturæ Textum quoad omnes ſingulaſque particulas authenticum & canonicum, quum nuper laudati Theologi cæterorum omnium de re hujuſmodi inſtructiſſimi oppoſitum tradant.

790. *Reſpond.* denegando ſuppoſitum majoris, quum perperam præſupponatur, rem de qua agimus adeo ambigue & obſcure traditam eſſe a Sixto V., a Clemente VIII., & apud Præfationem, ut neceſſario egeamus Theologis illius ævi, qui rem clare & diſtincte nos doceant. Heinc caute animadvertendum, quod ſicut vera Chriſti

ſpon-

ſponſa Eccleſia Romana, ad differentiam adulteræ, veritates ad Fidem & mores ſpectantes vix inchoative & diſpoſitive repetit ex ſuis privatis Doctoribus, complete tamen & perfecte a Concilio Œcumenico, vel a Romano Pontifice, per quorum os Chriſtus ipſe ad nos loquitur (*a*); ita eorum tantummodo Theologorum, qui floruerunt temporibus Sixti V. & Clementis VIII., rationem habebimus, quorum judicio deprehendemus non adverſari dictis & factis tum Concilii Tridentini, tum Sixti V. & Clementis VIII., tum tandem ſententiis Præfationis, quorum certe auctoritas quam longiſſime præferenda omnibus ſingulisque privatis Theologis illius ævi, & noſtræ ætatis. De teſtimoniis Theologorum parum congruentibus cum decreto Concilii Tridentini pro modulo diſſeruimus num. 548. & ſeqq., & 625. & ſeqq.: perpendamus modo quomodo ſe ſe præſtiterint nonnulli Theologi ſub Sixto V. & Clemente VIII., quorum ſuffragio adverſarii non ſine faſtu ſibi congratulantur (*b*). Et in primis omnes monitos eſſe velim nuper allegata Bellarmini verba non aliter ad univerſos Recentiores perveniſſe niſi relatione unius Lucæ Brugenſis, quum inter Epiſtolas Bellarminianas nullimode repererim (*c*): & aliunde haud facile intelligitur, cur Bellarminus rei tam ſcitu neceſſariæ & dignæ inter ejus monumenta ipſo vivente edita nec veſtigium, nec volam reliquerit (*d*): quin-

im-

(a) *Recole dicta num. 675.*

(b) *Studio longitudinis vitandæ prætermittimus alios inſignes Theologos ejusdem vel fere ejusdem ævi, quorum alias meminimus, pro noſtra ſententia laudare.*

(c) *In Libello Epiſtolarum Bellarmini excuſo Romæ typis Dominici Manelphii 1640. vix una deſcribitur Epiſtola ad Lucam Brug. 135. in ordine, data 8. Octobris 1616., in qua nihil de præſenti negotio.*

(d) *Multo plus refugit animus ad credendum Patri Videnhofer Jeſuitæ Germano, qui Herbipoli an. 1749. excudit quandam Diſſertationem de Auctoritate Vulgatæ editionis ſub nomine Bellarmini, cujus originale MSS. inveniſſe teſtatur in Bibliotheca PP. Jeſuitarum Urbis Mechliniæ, cuiusque Libelli mentionem fecimus n. 558. & 775.. Qui fieri potuit ut præfata Diſſertatio a tam clariſſimo viro Bellarmino elucubrata deſuper re, quæ Erudito-*

rum

Digitized by Google

immo ſi vere Bellarminus præfata verba ſcripſit, eundem opus eſt dicamus ſibi inſigniter contradixiſſe, quum nullimode ea concordent cum teſtimoniis ejuſdem Bellarmini apud Præfationem & Commentariolum ſuæ vitæ. Idipſum opponimus teſtimonio alterius Romani Theologi, quum pariter ſolius Serarii relatione pervulgatum obſervem, prætermiſſo quod hujuſmodi Theologi nec fama, nec auctoritas, nec nomen luceſcat. Ne tamen videamur fallacibus conjecturis certo detrahere tam inſignibus Theologis, demus non modo Brugenſem & Serarium, ſed Bellarminum cum nonnullis aliis Theologis illius ævi, ita vere ſenſiſſe uti Brugenſi & Serario allubeſcit: id unum extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe ſcio, quod a Clemente VIII. horſum nulla penitus vel minima particula judicio Pontificis mutata eſt de Textu correcto; ergo neceſſario dicendum vel Bellarminum nihil penitus apud Textum facto reperiſſe, quod æſtimarit in melius mutari poſſe, vel ſi id aliquando cenſuerit (quod non facile crediderim) ejus judicium facto conſtat nec fuiſſe a S. Sede probatum, nec executioni mandatum. Pari lege eruitur poſt promulgationem correcti Textus ſine ulla prorſus utilitate admonitos eſſe viros doctos tum de variis lectionibus, tum de judicio peritorum hominum quoad effectum ejuſdem Textus ite-

rum animos mirum in modum tenebat & tenet, & quod majus eſt ſplendide favens hypotheſi adverſariorum tam tarde innotuerit? Qui fieri potuit ut illi probati Jeſuitæ Romani, qui ſcrupuloſe notarunt non dicam illuſtria monumenta, ſed ſingula ferme verba & greſſus V. Bellarmini, uti effulget ex Proceſſu edito in cauſſa Beatificationis & Canonizationis ejusdem, adeo poſtea ſocordes fuerint ut nullam penitus rationem habuerint præfatæ Diſſertationis, nullum penitus verbum de ea poſteris conſignarint, permiſerint inſuper ut Jeſuitæ Germani hoc ſpectabili monumento ditarentur? Qui fieri potuit ut inter tot doctiſſimos Scriptores illuſtriſſimæ Societatis, qui a Bellarmini obitu aduſque an. 1749. floruerunt, ac de eodem argumento diſſeruere, nemo, qui præfatam Bellarminianam Diſſertationem fuerit vel per umbram ſubodoratus? Hiſce addas quæ non ſemel taxavimus loquentes de recentibus Editoribus, qui ſub velamento vetuſtiſſimorum MSS. contendunt ſuis novitatibus conciliare fidem.

iterum perpoliendi: quandoquidem ipſo Brugenſe pluries teſte & judice (cui adverſarii amice adhærent) nihil de Textu correcto mutandum ſine R. Pontificis judicio: ergo quum nulla hactenus vel minima particula judicio R. Pontificis de eo mutata ſit, quis non videt poſt præfati Textus publicationem incaſſum admonitos eſſe, & in futurum admonendos viros doctos quoad effectum ejuſdem Textus perpoliendi, quamvis quoad effectum clarius intelligendi nec uſpiam diſſenſimus, nec diſſentiemus.

791. Sed ut ſummatim ſtrictiuſque rem conficiamus, non alio certe Bellarminus, Brugenſis, Serarius, & ſi qui alii ejuſdem Clementinæ ætatis opponantur Theologi, tendunt, niſi ad teſtificandum & ſuadendum primo potiſſimumque, Biblia non eſſe ab Apoſtolica S. Sede accuratiſſime caſtigata, itaut multa reipſa fuerint in illis de induſtria prætermiſſa: quo ſibi ſtatuto tradunt de conſequenti, quod poſſit præfatus Textus alicubi in melius mutari, quod ſummis Pontificibus haud adempta ſit poteſtas iterum corrigendi & perficiendi Biblia recognita; quod eadem perfectiora reddi poſſint, quod utiliſſimum ſit viros doctos admoneri de variis lectionibus & de judicio peritorum hominum ad hoc ut incepta correctio, accedente judicio R. Pontificis perfectior reddatur: hæc quidem & his ſimilia vera certe apparent & plauſibilia ex præſuppoſitione, quod Biblia revera non fuerint accuratiſſime caſtigata; ſed prætermiſſis aliis teſtimoniis & rationibus antea expoſitis, Clemens VIII. in diplomate conceptis verbis pronunciat, Textum Bibliorum vulgatæ editionis fuiſſe ſummis laboribus ac vigiliis reſtitutum, & quam accuratiſſime mendis expurgatum; tota itaque præfata Theologorum machina funditus evertitur, comminuitur, & diſſipatur. *Confirmatur*, ideo præfati Theologi volunt in Textu correcto, ſupereſſe menda corrigenda, utiliſſimam eſſe inſpectionem & collationem Fontium cum verſionibus, Textum correctum non quoad omnes ſingulaſque particulas authenticum eſſe

& canonicum, bene poſſe R. Pontificem novam ejuſdem Textus correctionem inſtituere & probare (*a*), quia ſemper præſupponunt Biblia juſſu Sixti V. recognita, editaque ſub Clemente non eſſe accuratiſſime expurgata; ſed Clemens VIII. omni ſolemniori formula, & in perpetuum apud volumina Bibliorum hactenus excuſa & in futurum cudenda affirmat, teſtatur, & ex Cathedra pronunciat ea eſſe quam accuratiſſime expurgata; ergo ſi teſtimonium Clementis quam longiſſime prævalet præfatis Theologis, ſequitur &c. Bene reminiſcor Serarii, *Quando*, inquit (*b*), *in Apoſtolicis litteris aſſeritur: Bibliorum Textus accuratiſſime*

(a) *Quum omnes & ſinguli RR. Pontifices aduſque conſummationem ſeculi fruantur inviſibili Chriſti directione & Spiritus Sancti aſſiſtentia, incaſſum adverſarii expectant futurum R. Pontificem, qui cenſeat vel cenſere poſſit ullam particulam de Textu correcto mutandam. Licet paulo poſt publicationem præfati Textus Brugenſis, Serarius, aliique id ſibi ſpoponderint, re tamen vera elapſi jam ſunt anni 172., & nullius penitus particulæ judicio R. Pontificis additio, detractio, ſive quævis mutatio facta eſt, ut potius pro audacioribus nonnullorum ingeniorum aggreſſionibus & molimentis, eo validius ſolemniusque Apoſtolica S. Sedes de remedio providerit. Nec valet dicere, potuit Sixtus V. Vulgatam veterem caſtigare, potuit hoc ipſum præſtare Clemens VIII., cur ergo non poterit alter R. Pontifex? Potuit enim Sixtus quia revera Latinus Textus correctione indigebat, & præceptum Concilii Tridentini inſtabat: potuit Clemens, ſed quid? non enim Clemens caſtigavit Biblia recognita ſive Sixtina apud originale, ſed Sixtina impreſſa, expurgando nimirum a mendis Typographorum & aliorum. Neque ex hoc infertur, quod poteſtas poſteriorum Pontificum deterioris conditionis eſſet; verum enim vero quod Pontifex poteſtatem non habeat corrigendi Biblia a Sixto recognita, id proprie non oritur ex defectu poteſtatis, ſed ex eadem Chriſti directione & Spiritus S. aſſiſtentia, quæ nuſpiam permittent, ut ſolida mens R. Pontificis in re hujusmodi aggreſſionibus ſeculi & conflictibus vulnerata maneat, infirmando nimirum quod a Sixto Pontifice decretum eſt, paulo poſt facto reſtauratum a Clemente VIII., & ab omnibus aliis Pontificibus aduſque præſentem diem pro rato agnitum. Thomas Jameſius, Sixtinus Amama, aliique oſores Pontificiæ poteſtatis obtruſerunt Clementem VIII. caſtigaſſe errores Sixti V.; qui hiſce conſentiunt, optant, ut alter Pontifex iterum Biblia recognita revocet ad trutinam, ad hoc ut ſuis præjudiciis ſuadendis pondus accedat: ſed ſi ex præteritis quid in futurum accidere poſſit veriſimilius conjicitur, plane ſicut eorum deſiderium hactenus periit, ita peribit in futurum.*

(b) *Prolegom. cap. XIX. quæſt. XVIII. p. 225. col. 2.*

me mendis expurgatis ; intelligendum id non ſimpliciter & abſolute , ſed prout antea comparate : ſed hujuſmodi interpretationem ſat ſuperque refellimus reſponſione ad primum objectum.

792. Ex quibus colliges *primo* , eos qui arbitrantur in Bibliis recognitis ſupereſſe menda corrigenda , nonniſi perperam inſimulari crimine hæreſis ; quoniam ut quis inter Hæreticos computetur, refragetur oportet ſententiæ ab Eccleſia propoſitæ pro articulo Fidei ; quum ergo neque ex decreto Concilii Tridentini , neque ex Conſtitutionibus Sixti V. & Clementis VIII. vel pro tantillo eruatur , ſententiam noſtram propoſitam eſſe Fidelibus tanquam articulum Fidei , ſequitur &c. . Colliges *ſecundo* , quod licet habito reſpectu ad decretum Concilii Tridentini , vi cujus in excommunicationem latæ ſententiæ incidit ille , qui non ſuſceperit pro ſacris & canonicis Libros ipſos integros Vulgatæ editionis cum omnibus ſuis partibus , ſicut etiam ſpectatis nuper allegatis judiciis Apoſtolicæ S. Sedis teſtantibus, Biblia recognita habenda eſſe pro iis quæ fuerunt in Tridentino probata , & ab omnibus Orthodoxis habenda pro authenticis, colligi poſſit eos Theologos, qui ſentiunt, & tenent in Bibliis recognitis ſupereſſe menda corrigenda, incurrere præfatam cenſuram Tridentini ; quia tamen Sixtus & Clemens eos vix cenſuris ligant, qui auderent de Textu correcto aliquid tametſi minimum mutare ; de iis autem qui ſentirent Biblia recognita non in omnibus eſſe editionem in Concilio receptam , nihil penitus ſtatuunt , idcirco , abſque præjudicio ſententiæ melioris videtur dicendum , præfatos Theologos nullimode excommunicationis Tridentini inſimulandos : eſt receptiſſima juris regula , odia & pœnæ reſtringendæ. Utrum vero præfati Theologi peccent contra obedientiam debitam Pontificiis conſtitutionibus, id unum ſcio : Prætermiſſis tot aliis R. Eccleſiæ pluries expoſitis judiciis : Clemens VIII. perpetuo clamat, *Sacrorum Bibliorum vulgatæ editionis Textus ſummis laboribus*

ac vigiliis reſtitutus, *&* *quam accuratiſſime mendis expurgatus*: ipſi autumant, Biblia recognita haud fuiſſe accuratiſſime expurgata, quum alia ſuperſint menda corrigenda licet levioris momenti.

793. Eccur, ſciſcitaberis, Romana Eccleſia pervulgatiſſimum Libellum Lucæ Brugenſis inſcriptum *Correctionis Romanæ &c.* ab ejus ortu non interdixit, ſicut etiam Prolegomena Serarii, & innumerabilia propemodum opera aliorum Catholicorum virorum, in quibus aſſeritur & probatur præfata vitioſitas correcti Textus? quomodo evenit, ut in hujuſmodi ſententiam libere, nullo timore, nullove metu hodie confluant omnes ferme viri doctiſſimi totius Chriſtiani Orbis? plura ſane reponi poſſent, ſed tria brevi ſatis habeo dicere. *Primum*, Brugenſis, Serarius, cæterique bene multi doctiſſimi viri Catholici noſtræ ætatis, quibus arridet eadem cum Brugenſi & Serario ſentire, proferre, & agere, paſſim obteſtantur ſe judicio R. Pontificis propenſiſſima voluntate obſecuturos ſi aliter decernatur. *Secundum*, neminem hactenus, quantum ſcio, repererim, qui ſpeciali inſtituto & pro virili (quod felicius certe eruditiuſque geſtum eſſet) hujuſmodi palæſtram exercuerit. *Tertium*, proprium eſt Sanctæ R. Eccleſiæ, ſuique ſponſi R. Pontificis patientiam habere, omneſque animas ſanguine Chriſti ablutas ad rectum ſalutis tramitem fortiter ſuaviterque perducere. *Angelo*, ſic enim Romanæ Eccleſiæ ejuſque Angelo ſub typo Angeli Eccleſiæ Epheſi Joannes Apoſtolus Domino præcipiente ſcripſit (*a*), *Epheſi Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua, qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum. Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes ſuſtinere malos: & tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt: & inveniſti eos mendaces: & patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum*, *ET NON DEFE-* CI-

(a) *Apocalyp. cap. II. v. 1.*

CISTI. Quod quidem divinum oraculum hiſce pulcherrimis ſententiis, atque verbis illuſtrat aquilinus D. S. Auguſtinus: *Objiciuntur*, inquit (*a*), *nobis crimina malorum hominum, non noſtra, ſed aliena; & ipſa partim incognita, quæ ſi etiam vera & præſentia videremus, & zizaniis propter frumenta parcentes, pro unitate toleraremus, non ſolum nulla reprehenſione, ſed etiam non parva laude nos dignos diceret quicunque Scripturas ſanctas non corde ſurdus audiret. Tolerat Aaron multitudinem idolum exigentem & fabricantem & adorantem. Tolerat Moyſes adverſus Deum tot millia murmurantia, & toties offendentia ſanctum nomen ejus. Tolerat David Saulem perſecutorem ſuum. Tolerat Samuel nefandos filios Heli, perverſoſque filios ſuos . . . . Tolerat Iſaias in quos tam multa vera crimina jaculatur. Tolerat Jeremias a quibus tanta perpetitur. Tolerat Zacharias Phariſæos & Scribas*: quanto magis Sancta Romana Eccleſia cujus chariſma eſt inſigniſque character *ſervare*, juxta monitum Apoſtoli (*b*) *unitatem ſpiritus in vinculo pacis*, & cum iis maxime filiis paratis ſemper ejus ſententiis quam lubentiſſime obſequi, quorumque cæteroquin immortalia monumenta orthodoxam fidem illuſtrant, ac ab ...centibus Hæreticorum vindicant, protegunt, & cuſtodiunt?

O vere unitatis centrum, pacis vertex, veritatis Magiſtra, ac dulciſſima pietatis & miſericordiæ Mater Sancta Romana Eccleſia, qualeſcunque hoſce labores quos ceu pellem textam caprarum pilis Tibi, merito adumbratæ Tabernaculo Arcæ fœderis, a primo dicatos atque conſecratos ſtatui; eandem modo & in perpetuum puſilli animi mei ſententiam pro rata hic habeam, pro innovata, pro roborata. Quemadmodum nil mihi meiſque benevolis Lectoribus frugi, ſi tui oblitus oleum peccatoris impinguaſset caput meum, ita meis adlatrantibus canibus, ſi Te ſolam habue-

(a) *Epiſt. XLIII. alias XVI. Tom. II. col. 98. D.*
(b) *Ad Epheſ. IV. v. 3.*

Digitized by Google

buero propitiam nulla timebo mala. *O Sancta Romanorum Eccleſia*, opus explicent iſthæc Cl. Jacobi Benigni Boſſuet venuſtiſſima verba, quibus ſermonem ad Conventum Cleri Gallicani die 9. Novemb. 1682. zelo æſtuabundus & hilarans ita abſolvit (*a*), *O Sancta Romanorum Eccleſia, omnium Eccleſiarum & fidelium mater! O Eccleſia in eum finem a Deo electa, ut in eadem fide ac charitate ſuos omnes filios conjungeret, Tuæ unitati ab imis viſceribus ſemper adhærebimus. O Eccleſia Romana, ſi oblitus fuero Tui oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero Tui, ſi non propoſuero Te in principio lætitiæ meæ.*

FINIS OPERIS.

AD MAJOREM S. R. ECCLESIÆ GLORIAM.

(a) *Præfatus ſermo publici juris factus Pariſiis apud Leonardum ordinarium Regis Typographum an. 1682.*

INDEX

VERBORUM RERUMQUE PRÆCIPUARUM AD NORMAM PAGINARUM.

A

ADverſarii inepte admittunt Scripturas ad Fidem & mores non pertinentes, 6. 36. & *ſeqq.* Pleraque agnoſcunt ſimul & inficiantur, 6. 35. Implicite denegant exiſtentiam Scripturæ authenticæ, 16. Poſtponentes vulgatam fontibus favent Hæreſi, 31. 34. 41. Male ſtatuunt vulgatam per fontes emendandam, 71. & *ſeqq.* Acriter a Morino deprehenduntur, 80. Conantur a Hieronymo removere Spiritus S. flatum, 140. Criminantur Hieronymianam, 164. 184. Suas produnt hallucinationes, 171. 176. & *ſeqq.* Proſcindunt probitatem Hieronymi, 172. Imitantur Novatorum incantationes, 174. Quibus fallacibus principiis hodiernam Editionem Hieronymo abjudicent, 215. Nihil refert quod de multorum Catholicorum ſuffragio ſibi congratulentur, 236. 251. Nihil recte intuentur, 261. Perperam affirmant, Biblia non eſſe accuratiſſime expurgata, 420. Sibi contradicunt, 422. Haud crimine hæreſis inſimulandi, 435. *v.* Recentiores.

S. Ambroſius pro divinis habet verba Vulgatæ, 148.

Anachroniſmi quibus Biblia edita, 1790. ſcatent, 386.

Angelus Rocca, 376. 380.

Antonius Caraſa, 384.

Apiculi Scripturarum divini, 11.

Apoſtolica S. Sedes haud ad normam fontium Vulgatam caſtigavit, 76. A Romano Pontifice minime diſtincta, 273. Mater, Magiſtra, & erroris expers, 278. Oblatrantibus Hæreticis, 288. A quibus diſcedit Dupinus 299. *v.* RR. Pontifices.

Aſſenſus fidei non lædit jura naturæ, 126. Supplet defectui ſenſuum, 298.

S. Athanaſius increpat Arianos recedentes a Traditione majorum, 118.

Auctor Libri *De ſuprema R. Pontific. auctorit.* vocat antiquitatem in patrocinium Pontificiæ inerrantiæ, 267. & *ſeqq.* Obedientiam Gallicanæ Eccleſiæ erga Bullam *Unigenitus*, 317. Gallicanos Præſules pro hac Bulla propugnantes, 319. Multiplicem ſenſum declarationis Gallicanæ an. 1682., 329. Opus inſcriptum *Defenſio* &c. eſſe ſuppoſitum Boſſuet, 330. & *ſeqq.*

Auctores qui in rebus fidei ſunt præ aliis auſcultandi, 291.

Auctoritas Bullæ *Unigenitus*, 320.

Auctoritas a privatis Doctoribus petita diverſa apud Hæreticos & Catholicos, 237. 430.

S. Auguſtinus univerſam Scripturam refert ad bonum Eccleſiæ, 10. Ex æquo pro divinis agnoſcit Hebraica, Græca, & Latina, 19. 148. 182. Adprobat Hieronymianam quam ante non magni faciebat, 101. De Hieronymiana du-

dubitando nobis profuit, 103. Variantes lectiones adoptat, 182. Haud ſubodoratur captioſas Novatorum diſtinctiones, *ibid.* Cur. de Hieronymo & Hieronymiana minus digne interdum ſenſerit, 197. Depravatus quoad Τὸ *Novum Teſtamentum*, 262. Aſſertor Pontificiæ inerrantiæ, 284. Commendat Eccleſiæ patientiam, 436.

Authentia hodiernorum fontium eſt fundamentum Eccleſiæ Reformatæ, 2.

Authentia quid ſibi vindicet, 4.

Axioma; *verum non eſſe quod variat*, quomodo intelligendum, 180.

B

BAſilica Vaticana conſecrat Romanum Pſalterium, 249.

V. Beda Hieronymum & Hieronymianam commendat, 106.

V. Bellarminus male deſcribit Calvini mendacium, 69. Favet Hieronymo in Spiritu S. verſionem concinnanti, 161. Hodiernum Pſalterium ad Hieronymum refert, 251. Etiam Novum Teſtamentum, 260. Auctor fuit, ut Biblia Sixtina recuderentur, 379. Quia vitio præli & aliorum erratis obnoxia, 385. Per illud inſimulatur propter quod eſt perpetua laude digniſſimus, 395. & *ſeqq.* Nullum agnoſcit mendum apud exemplar originale Sixtinum, 400. Qua lege citetur a Brugenſe, 431. Non eſt auctor recentis Libelli &c. *ibid.*

Benedictus XIV. auctoritatem Bullæ Unigenitus commendat, 320.

S. Bernardus Romanæ infallibilitatis teſtimonium profert 285.

Biblia Latina hodie præſtant Hebraicis & Græcis, 20. 25. Habenda pro originali Eccleſiæ Latinæ, 20. 250. Præferenda hodiernis fontibus, 23. Haud per eoſdem emendanda, 71. Pro divinis habenda, 97. 148. 426. Vere & proprie authentica, 148. 151. A Patribus Trident. probata quoad omnia, 154. & *ſeqq.* Ante correctionem Textus non adæquate repræſentabat Hieronymianam, 210. Complectuntur Pſalterium Gallicanum, 249. Sub Sixto V. recognita & male impreſſa 376. & *ſeqq.* Qua lege recognita ſub Gregorio XIV. & Clemente VIII. 390. Pro authenticis in omnibus declarata a Sixto, 402. Pariter a Clemente, 407. & *ſeqq.* A Clemente XI. 414. In Spiritu S. recognita, 423. Canonica etiam quoad diſtributionem capitum & verſuum, 427.

Biſſy (Cardinalis) opinionem de Pontificia inerrantia ad omnes nationes refert, 292.

Bonfrerius præfert Vulgatam fontibus, 80.

Boſſuet ementitus voluntatem non artem habuit fallendi, 332.

Boſſuet Meldenſium diſerte fatur Romanam inerrantiam, 329. 332. Inſignem habet Romanæ Eccleſiæ rationem, 437.

Brugenſis (Lucas) ſuſpectus propagator Bellarminiani teſtimonii, 431. Perperam credidit Biblia non fuiſſe quam accuratiſſime expurgata, 433. Cur nullam ſubjerit cenſuram, 436.

C

CAntilena de mendis levioris momenti præcluditur, 87. 95.

Carolus Albertus Cavalchini, 385. 400.

Caſi-

Caſimirus Tempeſti . 385. 387.
Caſſianus teſtimonium de doctrina & ſanctitate Hieronymi, 136.
Caſſiodorus laudat Hieronymum & Hieronymianam, 48. 104. 136. Refragatur conſectariis adverſariorum, 49. Teſtatur uſum Hieronymianæ, 217.
Catholicos dedecet dubitare de auctoritate Pontificiæ definitionis, 302. Et de omnimoda Bibliorum recognitorum authentia, 435.
Chariſmata Romanorum Pontificum 276. & ſeqq.
Chriſtiani qui detrahunt Latinæ Eccleſiæ, 97. 251.
Chriſtus non corpori Eccleſiæ acephalo, ſed integro contulit judicandi poteſtatem, 297.
Circulus vitioſus non a Catholicis, ſed ab Hæreticis committitur, 360.
Clemens VIII. ea Biblia edidit quæ fuerunt a Sixto V. recognita, 389. & ſeqq. Declaravit omnimodam eorundem authentiam, 407. & ſeqq. 419.
Clemens XI. præſupponit omnimodam Bibliorum recognitorum auctoritatem, 414.
Clerus Gallicanus fatur Pontificiam inerrantiam, 310. Religioſe excipit conſtitutiones Pontificias, 312. & ſeqq. Irreformabilem agnoſcit Bullam *Unigenitus*, 317. Eandem a Refractariis vindicat, 318. Pontificiam inerrantiam centies profitetur, 324. Ex metu interdum protulit ſententiam læſivam poteſtatis Eccleſiaſticæ & Pontificiæ, 327.
Codices Hebraici, Græci & Latini aliter hodie ac Hieronymiano tempore, 44. Latini ante correctionem Textus mendis referti, 210. Quam emendatiſſime expurgati apud originale Sixtinum, 382. Et apud exemplar impreſſum ſub Clemente VIII. 394.
Concilium Generale non requiritur ad inerrantiam decreti Pontificii, 297. Indiget teſtimoniis humanis, 366.
Concilium Tridentinum rite tribuit Vulgatæ vocem *authentica*, 17. Eandem prætulit fontibus, 31. & ſeqq. Opportunum adhibuit remedium, 40. Egit de exemplaribus non tantum Latinis, ſed etiam Hebraicis & Græcis, 53. Quomodo liberum reliquit Fontes conſulere, 55. Cur in decreto nullum verbum habuit de fontibus, 65. Cur non exegit Vulgatam ad leges ſeveræ critices, 152. Probavit quoad omnia Vulgatam in ſe ſpectatam, 654. & ſeqq. Per Vulgatam intellexit Hieronymianam, 245.
Conſenſus Eccleſiæ apud Veteres Gallos inauditus, 307. Bifariam accipi poteſt, 325. 329. 345.
Conſultores quomodo Pontifici inſerviant, 366. & ſeqq.
Correctores Romani ſub Sixto V., 381. Sub Gregorio XIV., 389. Quid præſtiterint, 377. 392.
Criticæ obſervationes Hieronymi haud coæquandæ Verſioni ejuſdem, 95.
S. Cyprianus citat loca Italæ aliter ac hodie legimus, 255. Et ſicut hodie habemus, 256. Aſſertor Romanæ inerrantiæ, 283.

D

S. Damaſus indicia habuit aſſiſtentiæ Spiritus S. in Hieronymo, 193. Præcepit Hieronymo, ut novam Verſionem utriuſque Teſtam. adornaret, 198.
Decreta Romana quibus Gallicana Eccleſia morem geſſit, 322.
Decreto Tridentino bene intellecto ca-

cadunt Hæreticorum commenta, 159.

Denegatio Traditionis maximum Hæreticorum flagitium, 121.

Detractores Hieronymi, 197.

Deus quomodo quievit ab opere, 188.

Dicteria Hæreticorum circa primatum & inerrantiam R. Pontificis, 274. 288.

Diſcrepantia Hieronymianæ a criticis Hieronymi obſervationibus nihil refert, 172. Nec pariter ab hodierno Hebræo, 177. Nec a corruptis codicibus primorum Interpretum, 179. Nec a lectione D. Cypriani, 255. Nec a recenti canone Hebraicæ veritatis, 263.

Diſcrimen inter ſcopum Eccleſiæ & Criticorum quoad variantes lectiones, 42. Inter Biblia hodierna & Hieronymiano tempore, 44. Inter Catholicos & Hæreticos circa certitudinem Scripturarum, 74. Inter auctoritatem Hieronymianæ verſionis & doctrinæ, 91. & ſeqq. Inter Theologum Chriſti, & Satanæ, 130. Inter Vulgatam in ſe & refertam vitiis, 156. & ſeqq. Inter auctoritatem Hieronymianæ & Hieronymi, 190. Inter Biblia, & alios codices, 191. Inter exemplar Sixtinum originale & impreſſum, 379. Inter Papam Sixtum, & ſucceſſores quoad recognitionem Bibliorum, 434.

Diſtributio Bibliorum in capita, & verſus, 425. & ſeqq.

Doctiſſimi veterum qui Hieronymianam retulerunt ad uſum, 143. Qui profitentur Pontificiam inerrantiam, 276. & ſeqq.

Doctrina Joannis Clerici quanti facienda, 128.

Dogmata fidei traditione clare innoteſcunt, 115. Haud innovanda, 132.

Dominicus Gravina. Hieronymiana in Spiritu S. edita, 192. Cur hodierna Editio ab Hæreticis Hieronymo abjudicetur, 208.

Dubia adverſus Biblia correcta proponere non licet, 77. Nec adverſus definitionem Pontificiam, 203. 338. 340.

Dubia circa Gelaſii decretum, 343.

Dubia circa Religionem quomodo in veteri Lege dirimebantur, 338.

Dupinus Pontificiam errantiam perperam adſigit communi omnium opinioni, 291. Et Eccleſiæ Gallicanæ, 294. Imperite & inconſtanter denegat Pontificiis conſtitutionibus irreformabilem auctoritatem, 297. & ſeqq. Contumax & proruptus, 315. Abutitur teſtimoniis Patrum, 353.

E

Eccleſia Catholica integra non acephala plenam habet poteſtatem, 297. Fruitur regimine monarchico, 352. Qua lege teſtatur Scripturæ auctoritatem, 356. & ſeqq. Auctoritate a Papa accepta judicare habet de Scripturis, 363.

Eccleſia Latina ſemper Latina Biblia prætulit fontibus, 24. & ſeqq. Vetat provocare ad fontes, 29. Non ſemper eodem modo Latina habuit, 38. & ſeqq. Quomodo & quando variantes lectiones protegit, 42. 180. Uſu conſecravit Verſionem non criticas obſervationes Hieronymi, 94. Hieronymum habuit pro fido Interpetre, 137. Cur Hieronymianam adoptavit, 142. & ſeqq. Prætulit Scripturas Chriſtianorum Scripturis Hebraicis, 250. Eccleſia hodierna addictiſſima Eccleſiæ veteri, 425. Cur noſtros adver-

ſa-

ſarios toleret, 436.
Eccleſia Romana & Papa pro eodem uſurpantur, 273.
Editio Hieronymiana v. Hieronymiana.
Editio Itala etiam hodie in uſu, 220.
Editio Latina ſubiit viciſſitudines, 38. v. Biblia Latina.
Editores operum D.Hieronymi præjudiciis abrepti, 264. & ſeqq.
Editores ſuſpecti, 331.431.
Epiſcopi univerſi fatentur Pontificiam inerrantiam, 293. Præſertim Gallicani, 322.
Emmanuel Chriſolora Græcam linguam repaſtinavit, 86.
Eraſmus Roterod. denegat in Hieronymo divini Numinis flatum, 189. A viris doctis & piis male habitus, 191. Falſavit pleraque Hieronymi loca, 264. 268.
Errores ex authentia hodiernorum fontium ſuborti, 3.
Eſdra divinitus afflatus Scripturas reparavit, 130.
Exemplar originale Sixtinum diverſum ab impreſſo, 379. Summo ſtudio illud elaboratum, 381. Iſtud erratis obnoxium, 385. A Correctoribus Zagarolianis recognitum ad fidem originalis exempli, 391. Nequit in futurum diverſum exemplar imprimi, 408.
Exemplum Hieronymi novam verſionem cudentis non favet Criticis, 46.

F

FAcultas Pariſienſis obſequioſa Conſtitutionibus Pii V.& Gregorii XIV., 309. Innocentii X., 310. Taxat Antonium Arnaldum, 314. Solemniter excipit Bullam *Unigenitus*, 317.
Falſitates adparentes in Scripturis, 184.
Famoſus conſcientiæ caſus Janſeniſtarum, 315.
Fidei dogmata Traditione claré innoteſcunt, 115. Fidei aſſenſus humanam rationem non lædit, 126.
Fides ex auditu, 125. Præſtat ſupplementum defectui ſenſuum, 298. Quoad Scripturarum auctoritatem non ſufficit humana, 355.
Firmamentum quid præſeferat, 187.
Fontium authentia eſt fundamentum Proteſtantium, 2. Fontes non ſunt authentici, 4. Nec vox *Authentica* eiſdem rite aptatur, 17. Vulgatæ nec præferendi nec coæquandi, 23. & ſeqq. Nec per eoſdem Vulgata emendanda, 71. & ſeqq.
S. P. Franciſcus præcipit recitationem Pſalterii Gallicani 250.
Franciſcus Lafiteau. Gallicana Eccleſia a Queſnellianis exagitata, 294. Impia MSS. apud Dupinum inventa, 315. Acceptatio Bullæ *Unigenitus* a Facultate Pariſienſi, 317. Reſipiſcentia Emin. De Noailles, 318. Primum Pontificium diploma cui in Galliis acceſſit Regium edictum, 372.
Fraſſenus præfert Vulgatam fontibus, 29. Novit Hieronymianam in Spiritu S. editam, 102.

G

GAlli veteres munificentiſſimi erga RR. Pontifices, 305. Aſſertores Pontificiæ inerrantiæ, 306.
Gallicana Eccleſia a Janſenianis exagitata, 294. A primo novit Pontificiam infallibilitatem, 306. Pars nobiliſſima catholicæ chriſtianitatis, 307. Obſequentiſſime ad-

adhæſit Bullæ *Unigenitus*, 317. & *ſeqq.* Romanis quoque decretis nullo præcedente ipſius conſenſu, 322. Exulem voluit declarationem Cleri læſivam R. Pontificis, 328.

Gallicani Cauſidici notantur, 323. 373.

Gallicanum Pſalterium, 249.

Gennadius de auctoritate Hieronymi & Hieronymianæ 216.

Græca lingua quando, & a quo apud Italos extumulata, 86.

S. Gregorius maximam Hieronymianæ rationem habuit, 105. Quomodo nova & vetere Editione fuerit uſus, 226., & *ſeqq.*

Gregorius de Valentia reſpuit Vulgatam per fontes emendandam, 28.

H

HAllucinationes Riccardi Simonii, 150., & *ſeqq.* Adverſariorum, 170., 173. 177.

Hebræus hodiernus depravatus, 229. 230.

Hæretici cur vulgatam traducant, 31. Pœnam rebellionis luunt, 73. Subeunt Scripturarum & Religionum confuſionem 75. Hieronymum & Hieronymianam criminantur 85. Quibus de cauſis, 87. & *ſeqq.* Spernunt veteres, 118. Et non ſine pravo conſilio, 121. Haud honorificis epithetis nominandi, 131. Utuntur technis, 139. Detrahunt PP. Tridentinis, 159. Præſtigiæ quibus abripiuntur, 201. Mentiuntur beneficium a Deo Eccleſiæ collatum, 203. Pravo ſtudio Hieronymo abjudicant hodiernam Editionem 206. Minime introſpexerunt Hieronymi ſcopum, 232. Molitionibus non parcunt ad ſuos obtrudendos errores, 271. Commenta quibus denegant primatum & inerrantiam R. Pontificis, 274. Pleroſque RR. Pontifices infamant, 288. Reſpuunt monarchicum Eccleſiæ regimen, 352. Per illud Catholicos inculpant, propter quod acrius reprehendendi, 359.

Hæreticus quis proprie cenſendus eſt, 370.

Hieronymiana verſio a Novatoribus inſimulatur vitiorum, 85. 164. & *ſeqq.* 185. Quibus de cauſſis, 87. & *ſeqq.* Alia inchoative, alia in conſummatione, 98. Commendatur a veteribus, 100. & *ſeqq.* Inter revelata Religionis computanda, 123. Ejuſdem auctoritatis eſt ac olim Hebraica & Græca, 138. Propter eximiam doctrinam, & ſanctitatem Auctoris adoptata, 143. & *ſeqq.* Eſt divina etiam quoad verba accepta ex malis Interpretibus, 196. Etiam quoad V. Teſtam. juſſu Damaſi condita, 198. Ante correctionem ſcatebat vitiis, 210. Poſt Hieronymi obitum communiter recepta 215. & *ſeqq.* A Gregorio Magno habita pro Scripturæ Textu, 220. Quo ſenſu dicitur verſio ex Hebræo, 243. A PP. Trident. probata, 245. Reſtituta ſub Sixto V., 402. 419. Quam emendatiſſime impreſſa ſub Clemente VIII., 408.

S. Hieronymus nullum erratum in ſua verſione reliquit, 62. Haud immutavit quod ab antiquis legebatur, 92. 123. Non ad morem Scriptoris canonici & primorum SS. Interpretum verſionem ornavit, 96. 141. Priſtino nitori Latinam veterem reſtituit, 122. Perſecutor Hæreticorum, 130. Queis votis petierit Spiritus Sancti aſſiſtentiam, 132. Exauditus, 134. A veteribus laudatus, 136. Per ſimilitudinem fatur ſe-

erraſſe, 175. Quo ſenſu Evangelium non eſt in verbis, ſed in ſenſu, 181. Qua lege interdum hæſitat, 193. Quæ ex Hæreticis mutuo accepit, 196. A quibus, & in quibus calumniis affectus, 197. Quas ſententias & verba immutavit, 200. & ſeqq. Egit Interpretem, Correctorem, & Reviſorem, 211. In verſione quam methodum tenuit, 227. & ſeqq. Temere infamatus, 231. Quater in Pſalterio laboravit, 248. Haud ſingulis Libris ſingulas Præfationes aſſuit, 252. Totius N. Teſtamenti emendator, 258. & ſeqq. Ab Editoribus haud exacte execuſus, 264. & ſeqq. Aſſertor Pontificii primatus & inerrantiæ, 283.

Hiſpani commendantur, 153. Ab anno 395. Hieronymianam ſuſceperunt, 216.

Hiſtoria mixtionis Editionum apud Veteres inaudita, 223.

Humana induſtria non impedit flamen Spiritus S., 142. 174.

Humana ratio ancillatur circa res Fidei dirimendas, 110. Nec humano ſenſu in Dei rebus loquendum, 241.

Hugo Victorinus de auctoritate Hieronymianæ, 107. Vindicatur a criminationibus Novatorum, *ib.* & 224.

Hyacintus Serry, 290.

I

JAnſeniani infeſtant Gallicanam Eccleſiam, 194. Subdolis principiis infectantur Pontificiam inerrantiam, 196. & ſeqq. Sibi non conſtant, 299. 373. Confugiunt ad technas, 302. & ſeqq. Perſtringuntur, 305. Evulgant famoſum conſcientiæ caſum, 315. Appellant ad futurum Concilium, 316. Concedunt Epiſcopos pro inerrantia Pontificia militare, 325. Fruſtra lætantur declaratione Comitiorum, 1682., 327. Quot cenſuris videntur obnoxii, 372.

Janſenii famoſæ propoſitiones, 309.

Impoſtura Launoi, Dupini, aliorumque polytieorum Theologorum, 292.

Incantatio Proteſtantium, 119.

Indicia aſſiſtentiæ Spiritus S. in Hieronymo, 135.

Infallibilitas Pontificia non pertinet ad articulum Fidei, 371. Sed ad ſententiam probabiliorem & tutiorem, 374.

Innocentius X. quam rititiſſime finivit Janſenii cauſſam, 301.

Inſignia R. Pontificis chariſmata, 276. & ſeqq.

Joannes Clericus oblinit os Catholicis, 89. Uno ictu inſectatur auctoritatem Scripturæ & Traditionis, 113. Iniquus in Veteres, 120. Peccat in primis Chriſtianorum rudimentis, 125. Suo mucrone confoditur, 127. Mango libertatis Chriſtianæ, 128. Criminatur peritiam Hieronymi, 167. Ridiculum ſe prodit, 178. Maledicit habentibus rationem Hieronymi, 207. Inſcite calumniatur Hieronymum, 232.

Joannes de la Hay. Haud hodie a Vulgata ad fontes recurrendum, 29. In omnibus Vulgatæ ſtandum, 81. Hieronymo aſtitit Spiritus S., 161.

Joannes Martianæus Clericum convincit imperitiæ, 128. Aſſuit operibus Hieronymi Canonem Hebraicæ veritatis, 267.

Joannes Millius, 218.

Joannes Morinus præfert Vulgatam fontibus, 28. Quam inviolatam eſſe teſtatur, 80. A Hieronymo in Spiritu S. conditam, 161.

S. Irenæus quoad auctoritatem R. Eccle-

Digitized by Google

cleſiæ, 282.
S. Iſidorus Hieronymum & Hieronymianam ſubvehit, 105.
Judicium Scripturarum deligendarum eſt facti dogmatici, 369.
Juriſconſulti quid de *Authentia* ſtatuant, 413.

L

Labile Proteſtantium ſyſtema, 208.
Latina Biblia, *v.* Biblia.
S. Laurentius Juſtin. Hieronymi panygiriſta, 136.
Lectiones Scripturarum ſecundum ſenſus & verba divinæ, 8.11.37. 148.180.& *ſeqq.*
Lectiones variantes quando pro canonicis habendæ, 179.
Le Long male argumentatur, 380.
Lemovincenſe Concilium de Hieronymo & Hieronymiana, 109.
Liber Sapientiæ, Eccleſiaſtici &c. quo ſenſu per Hieronymum apocryphi, 253. Cur a Hieronymo minus caſtigati, 257.
Libri Recentiorum caute legendi, 258.
Libri ſacri qui primitus fuerunt latine deſcripti, 18.
Lirinenſis (Vincentius). Quid obſervandum ad convincendos Hæreticos, 100. Increpat novitatum amatores, 110. Fert præſumptionem Neſtorii, & Pelagianorum, 119. Hæreticos torquere Scripturas, 121. Quomodo fidei profectum inquirendum 129. Haud innovanda Dogmata, 132. Occultum Hæreticorum artificium, 288.
Loca diſcrepantia inter hodiernam Editionem & Hieronymum, 164. & hodiernum Hebræum, 165. & veterem Italam, 168. & S. Cyprianum, 255. & Canonem Hebraicæ veritatis, 263. & editionem Sixtinam, 377.
Loqui ex Cathedra quid ſibi vindicet, 273. Quoad Biblia recognita, 403. & *ſeqq.*
Lucas Waddingus, 303.378.
Lyranus, 250.

M

Manuſcripta dubiam redolent auctoritatem, 268.
Marianus Victorius de introductione *Alleluja*, & *Gloria Patri* a Hieronymo, 248.
Melchior Canus præfert Vulgatam fontibus, 26. Favet Hieronymo divina ope adjuto, 160. Poſt Hieronymi tempora Hieronymiana uſurpata, 217.
Menda non typographica authentiam tollunt, 13. 22.
Menda levioris momenti a Scripturis ableganda, 87. Quæ ab adverſariis venditantur, 164, & *ſeqq.* Alia abſolute, alia relative talia, 201. Vitio præli & aliorum in Biblia Sixtina irrepſerunt, 383. & *ſeqq.* Cur relative mutanda conſulto relicta, 425.
Miſſa tribus celebratur linguis, 19.
Moſes cur Lunam vocat luminare magnum, 188. Princeps politicus & ſummus Sacerdos, 337.
Mutatio verborum in Scripturis vitanda, 200. Nec eorum quæ videntur relative mutanda, 202.
Myſteria Religionis poſtulant non rationem, ſed aſſenſum, 125.

N

Nævi quibus cuſa Hieronymi Opera ſcatent, 264. & *ſeqq.*
Natalis ab Alexandro minus apte deſcribit *Loqui ex Cathedra*, 274.

Ma-

Digitized by Google

Magni facit auctoritatem Præfationis, 413.
Nazianzenus. Roma ſemper rectam fidem habet, 283.
Neapoli cæſus L. Valla, 191. Obiit Salmeron, 429.
Neſtorius præſumptuoſus, 110.
Nihil obeſt quod Hieronymus deſtitutus fuerit odierna Hebraica, & Lexico, 177.
Noailles Cardin. ad meliorem mentem revertitur, 317.
Non ſine culpa defenditur, in Hieronymiana reperiri menda, 169. & ſeqq.
Nonnulla Vulgatæ loca vindicantur, 169. & ſeqq. 229. & ſeqq.
Novum Teſtam. Queſnel proſcriptum, 414.

O

Officium Interpretis, Correctoris, & Reviſoris Hieronymus præſtitit, 211.
Opinio de infallibilitate R. Pontificis apud Epiſcopos communis, 293. Præſertim Gallicanos 322. & ſeqq. Gallicanis Cauſidicis odioſa, 323.
Orationes dignæ indubium fructum pariunt, 134.
Orationes Hieronymi ad obtinendam Spiritus S. aſſiſtentiam, 132.
Ordo qui in dubiis Religionis in veteri Lege ſervabatur, 338.
Origenis regulæ circa intelligentiam Scripturarum, 186. Eccleſia per Origenem ſuper Petrum fundata, 282.

P

Pagnini verſio plurimis non placet, 148.
Pallavicinus explodit integritatem hodiernorum fontium, 18. 80. Sibi non conſtat, 70.
Patres magni faciunt Scripturarum apiculos, 11. Quo ſenſu monent recurſum ad fontes, 45. Celebrant ſinceritatem Hieronymianæ, 100. 123. 136. Calumniis afficiuntur a Clerico, 113. Damnant Hæreticos recedentes a traditione majorum, 117. 118. Face Traditionis & Fidei adprobarunt Hieronymianam, 124. Quinam ſunt, 143. Verba Vulgatæ ad ſacros Scriptores referunt, 148. Qua lege Scripturis incumbebant, 186. Abunde tradunt inerrantiam R. Pontificis 276. & ſeqq. Communius, propriuſque per *petram* intelligunt S. Petrum, 354.
Peritia linguarum ſecundario confluit ad acceptationem Hieronymianæ, 143. & ſeqq. Utilis ad revincendos hoſtes, non ad culpandam Vulgatam, 250.
S. Petrus canonicas declaravit Paullinas, 341. Fundamentum Eccleſiæ, 353.
Petrus Sutor merito reprehendit Eraſmum, 190.
Pontifices veteris Legis tradebant exemplar Scripturarum, 335. Irreformabiliter dirimebant dubia Religionis 338.
Præfatio Bibliorum . D. Hieronymus ad Scripturas reparandas divinitus excitatus, 110. Ob præli vitia Sixtus ſua interclusit Biblia, 378. Quod Sixtus intendit Clemens VIII. perfecit, 412. Biblia abſolute a mendis expurgata, 418. Quænam in Bibliis conſulto immutata relicta ſunt, 452.
Principia & confectaria Janſenianorum 297. 303.
S. Proſperi egregium de Hieronymo teſtimonium, 136.
Pſalterium hodiernum Hieronymi eſt, 247. Haud exacte deſcriptum ab Editoribus Hieronymianis, 366.

Pu-

Putida cantilena Joannis Clerici, 120.

R

RAbanus Maurus, 106. Recentiores perperam denegant fidem Victorino, 107. 224. Inſimulant Hieronymianam, 169. & ſeqq. Hieronymianam traducentes ſuos propalant errores, 171. 231. Inficiantur beneficium a Deo Eccleſiæ collatum, 203. Id tribuunt Antiquitati quod Antiquitas a ſe removet, 224. 252. 289. Arctantur ad exuendam præconceptam opinionem, 250. Aliorum Manuſcriptis fidem non habent, 268. Digladiantur ad invicem, 351. Criminantur Bellarminum, 395. & ſeqq. Decipulis onerant Sixtinum Diploma, 404. Torquent Bullam Clemen. VIII. & Præfationem, 409. Sibi contradicunt, 422. Culpa non carent, 435.

Regula Lirinenſis quoad coercendos Hæreticos, 90. Auguſtini quoad res traditas, 107. Origenis quoad Scripturas intelligendas, 186. Auguſtini & Juſtini quoad diſcretionem Scripturæ authenticæ, 187.

Regulæ vitiorum corrigendorum apud Biblia, 48.

Rex Chriſtianiſſimus protegit definitionem Innocentii, 309. Ægre habet refractarios, 312. In irritum revocat a Clero Gallicano male ſtatutum, 328.

Rhetorum ſecta armata Judæorum telis, 86.

Riccardus Simonius de authentia Vulgatæ parum inſtructus, 150. & ſeqq. Prorupit in peſſimam ſententiam, 152. Proteſtantium calumniis vires addidit, 153. Criminatur Hieronymum, 169. 231.

Romani Pontifices ex Cathedra loquentes, 273. Ab Hæreticis infamantur, 274. A veteribus commendantur, 276. & ſeqq. Haud hactenus a Fide deviarunt, 289. Independenter a Conciliis irreformabiliter damnarunt hæreſes, 298. A Janſenianis quoad inerrantiæ privilegium depreſſi, 302. & ſeqq. A Gallis veteribus beneficiis cumulati & protecti, 305. Ab eiſdem agniti pro infallibilibus, 306. Præferendi Pontificibus Legis veteris, 336. 341. Semper judicant juxta Dei legem, 338. Ipſi facto delegerunt & declararunt Scripturas canonicas, 341. & ſeq. 363. Qua lege teſtantur Scripturæ veritatem, 355. & ſeqq. Quomodo teſtimonio humano & divino innitantur, 365. In rebus Fidei minime ad invicem pugnant, 407. Nec hactenus nec in futurum Textum Bibliorum correctum mutabunt, 434.

Romanum Pſalterium a Hieronymo emendatum, 248.

Ruffinus ex detractore Hieronymi laudator, 102.

S

SAlmeron. Per editionem Latinam Eccleſia Hæreticos confutavit, 23. Cur Hæretici contendant Vulgatam convincere errorum, 31. Hodie non indigemus recurrere ad fontes, 44. Quo ſenſu in Tridentino nihil ſtatutum de fontibus, & cuique datum eoſdem conſulere, 53. & ſeqq. Refragatur adverſariis, 56. Defendit aſſiſtentiam Spiritus S. in Hieronymo, 160. Cur Hæretici hodiernam Editionem Hieronymo abjudicent, 208. A Hieronymi tempore Hieronymiana recepta, 217.

217. Eandem Tridentinum approbavit, 245. De diſtributione Bibliorum in canones, capita &c. 427. Salmeroni gravitas, 429.
Salvianus Hieronymianam habuit pro Scriptura inviolata, 103.
Scriptura univerſa ad Fidem & mores pertinet, 6. & ſeqq. 10. 87. Secundum ſenſus & verba divina, 8. 11. 37. 148. 180. & ſeqq. Nec omnia, nec clare omnia complectitur credenda, 115. Traditione innoteſcit nobis, 116. Nonnulla complectitur tropologice intelligenda, 175. 185. Quomodo dignoſcenda, 187.
Scripturæ Chriſtianorum præferendæ Scripturis Hebræorum, 250.
Serarius a mente Tridentini declinavit, 67. Propalavit ſuſpectam Romani Theologi ſententiam, 430. Et quod Biblia non fuerint accuratiſſime caſtigata, 432. Cur nulla cenſura notatus, 436.
Sixtus V. reprobat multiplicem verſionum varietatem, 171. Laudat Hieronymum & Hieronymianam, 109. Retinet in vulgata veteres loquendi modos, 200. Pronunciat Bibliorum recognitionem ad Papam pertinere, 346. Id in Bibliis poni facit quod ex multis ipſe delegerat, 349. Quantum ſtudii & laboris ob id perpeſſus fuerit, 375. Motu proprio ſupprimit ſua Biblia impreſſa, 378. Quibus de cauſſis, 383. & ſeqq. Purgatur ab impoſturis Amamæ, 387. Illuſtria bona a Bellarmino accipit, 399. Declarat omnimodam authentiam Bibliorum recognitorum, 402. & ſeqq. 419.
Sixtus Senenſis. In controverſiis dirimendis Vulgatæ ſtandum, 27. Perperam nonnulla Vulgatæ loca habuit pro mendis, 61. Et quod alia fuerint a Hieronymo conſulto relicta, 62. Sibi non concordat, 64.
Sixtinus Amama tria arbitrarie præſupponit, 242. Spernit ad prælum referre menda Bibliorum Sixtinorum, 383.
Sol quomodo in medio ſtetiſſe dicitur. 188.
Spiritus privatus diſſenſionis auctor, 350.
Spiritus S. diverſo modo adſtitit Scriptoribus canonicis, primis SS. Interpretibus, & Hieronymo, 96. 141. Non impeditur ob humanam ſubjecti induſtriam, 142. 174. Pleraque in Scripturis dixit obſcure, 185. 202. Primo, potiſſimumque conſluit in definitionem Pontificiam, 366. & ſeqq.
Steuchus propugnat hodiernam Vulgatam eſſe Hieronymi, 205. Poſt Hieronymum Itala verſio obſoleta 217.
Summi Sacerdotis eſt tradere exemplar Legis, 335.
Synodus Tridentina. v. Concilium. Hieroſolymitana egregium de Hieronymo teſtimonium, 108. Hoc ipſum exhibent Milevitana, Romana, Lemovicenſis, *ibid.*

T

Tertullianus. Ex Romana Eccleſia nobis auctoritas, 682.
Theologi Hiſpani commendantur, 153.
Theologi qui habent Biblia Latina pro originali Textu, 20. Cur alii admittunt authentiam originalium 22. Qui præferunt Latina Originariis, 26. & ſeqq. Qui nec exacte nec conſtanter ſe præſtiterunt, 55. Coguntur ad reſpuendam adverſariorum hypotheſim, 67. Qui teſtantur antiquiſſimum Hieronymianæ uſum, 217. Qui denegant hodiernam Editionem eſſe ſolius

Digitized by Google

Hieronymi, 235. Tenentur ad Pontificiam infallibilitatem, 374. Ad omnimodam authentiam correcti Textus 411. 435. Ad judicia Apoſtolicæ S.Sedis, 431.
Thomas Jameſius tria perperam præſupponit, 242. Colligit oppoſitiones inter Biblia Sixtina, & Clementina, 376. Maledicit Sixto & Clementi, 389.
Thomas Stapletonus. Sola Latina editio pura remanſit, 28. Haud Latina emendanda per fontes, 79.
Tournely fert zelum Gallorum reſpuentium doctrinam Janſenii, 309. Adhærentium Conſtitutionibus Alexand. VII., 312. Facultatis Pariſienſis adverſus fautores Arnaldinæ doctrinæ, 313. Cleri Gallicani ſuper Papali damnatione obſequioſi ſilentii, 316. Citat decreta Romana quibus Gallicana Eccleſia morem geſſit, 322.
Traditionis denegatio maximum Hæreticorum facinus, 121. Et hac de cauſſa ipſi & non Catholici rotant in circulum, 360.

V

VAriantes lectiones adoptatæ ab Eccleſia, 42. 180. A Hieronymo, 181. Ab Auguſtino, 182.
Verba hominum quomodo reddantur divina, 196.
Verba Scripturarum ſunt divina, 11. Haud mutanda, 200.
Verſio Latina Pagnini vitiis referta, 149.
Verſiones cunctæ haud cum Virali & Hieronymiana confundendæ, 147.
Veteres Hieronymianæ habuerunt uſum, 216. Ad uſque noſtram ætatem, 223. Quo ſenſu eandem appellent verſionem ex Hebræo, 243. v. Patres.
Villalpandus. A vulgata non recedendum, 28.
Vincentius Gotti præfert Vulgatam fontibus, 29. 81.
Viri qui in Eraſmum inſurrexere, 191.
Waltonus de mendaciis convincitur, 14. 15. Contorte ex teſtimonis Patrum eruit præferentiam fontium, 43. Carpitur diſſimulationis & ineptiæ, 78. & mendacii, 137. Indocte a Vulgata removet veram authentiæ rationem, 147. & *ſeqq.* & a Hieronymo Spiritus S. aſſiſtentiam, 195. & *ſeqq.* Oblique colligit, ante Gregorium non fuiſſe ſolam Hieronymianam in uſu, 218. & *ſeqq.* & hodiernam Editionem non eſſe puram Hieronymi, ſed ab aliis mixtam, 227. & *ſeqq.* Aberrat a ſcopo Hieronymi, 232. Tria perperam præſupponit, 242. Abſurde Hieronymo abjudicat hodiernum Pſalterium, 146.
Vulgata editio, *v.* Biblia.

F I N I S.

Digitized by Google

ERRATA CORRIGE.

		ERRATA	CORRIGE
Pag. 7.	l. 7.	Carpem	Carpum
35.	20.	afferentibus.	afferentibus
77.	24.	ipſa	ipſe
109.	antepenul.	X̄V.	XIV
148.	14.	qui quidem, tanquam clara vox ipſius Dei teſtantis eſt &c.	qui quidem eſt tanquam clara vox ipſius Dei teſtantis, eas &c.
181.	30.	ritu	rita
205.	7.	paragrafo	paragrapho
231.	26.	graviſſimorum,	graviſſimarum
232.	18.	*hac habet*	hæc habet
283.	2.	Nanzianzenus	Nazianzenus
285.	18.	Apoſtolis immediate, vel quaſi immediate &c.	Apoſtolis, ac primis fidelibus ab Apoſtolis immediate vel quaſi immediate &c.
	24.	at qui	atqui
289.	14.	rationibus	ranis

Si quæ alia natura parum caverit, aut incuria fuderit, doctiſſimo Lectori caſtiganda ſubjiciuntur.

ANT 1319346.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google